BIBLIOTHÈQUE CLASSIQUE LATINE

— OU —

COLLECTION

DES AUTEURS

CLASSIQUES LATINS

AVEC

COMMENTAIRES ANCIENS ET NOUVEAUX

FRAGMENTS INÉDITS, RECHERCHES, DISSERTATIONS, INDEX, PORTRAITS, CARTES GÉOGRAPHIQUES, PLANS DE SIÈGES ET BATAILLES, TABLEAUX, ETC.

PAR N. E. LEMAIRE,

ANCIEN DOYEN ET PROFESSEUR DE POÉSIE LATINE A L'ACADÉMIE DE PARIS.

IMPRIMÉE PAR DIDOT.

SECONDE SOUSCRIPTION.

1837

BIBLIOTHECA

CLASSICA LATINA

SIVE

COLLECTIO

AUCTORUM CLASSICORUM LATINORUM

CUM NOTIS ET INDICIBUS

On souscrit, à Paris,

Chez N. E. LEMAIRE, Éditeur, rue des Quatre Fils, n° 16, au Marais.
DEBURE frères, libraires du Roi, rue Serpente, n° 7.
TREUTTEL et WURTZ, libraires, rue de Bourbon, n° 17.
A. F. DIDOT, imprimeur de l'Institut, rue Jacob, n° 24.
DONDEY-DUPRÉ, impr.-lib. rue de Richelieu, n° 47 *bis*.
BRUNOT-LABBE, libraire, quai des Augustins, n° 33.
Jul. RENOUARD, libraire, rue de Tournon, n° 6.
H. VERDIÈRE, libraire, quai des Augustins, n° 25.
ARTHUS-BERTRAND, libraire, rue Hautefeuille, n° 23.
LECOINTE, quai des Augustins, n° 49.

Et chez tous les libraires de France et des pays étrangers.

M. T. CICERONIS

QUÆ EXSTANT

OMNIA OPERA

CUM

DEPERDITORUM FRAGMENTIS

IN QUATUOR PARTES DIVISA

ITEM

INDICES QUINQUE

NOVI ET ABSOLUTISSIMI

EXCUDEBAT A. FIRMINUS DIDOT,
GALLICARUM ACADEMIARUM TYPOGRAPHUS.

M. T. CICERONIS

PARS PRIMA

SIVE

OPERA RHETORICA ET ORATORIA.

TEXTUM COLLATIS OPTIMIS EDITIONIBUS

RECENSUIT,

VARIETATE LECTIONUM

ET NOTIS ERNESTII SCHUTZIIQUE FERE INTEGRIS, ALIORUM SELECTIS, EXORNAVIT ET SUAS ADDIDIT

J. W. RINN

IN COLLEGIO ROLLINÆO RHETORICES PROFESSOR

VOLUMEN PRIMUM

PARISIIS

COLLIGEBAT NICOLAUS ELIGIUS LEMAIRE

POESEOS LATINÆ PROFESSOR

MDCCCXXXI

NOVI EDITORIS PRÆFATIO.

Lectorem admonuit voluminis istius præscriptio, in hac editione pauca admodum nostra esse. Scilicet tot tantorum virorum laboribus aliquid addere velle superbiæ fortasse magis, quam diligentiæ nobis fuisset. Omnem igitur operam in legendis optimorum editorum notis consumpsimus, rati sic nostrum opus parum quidem laudis, plus certe utilitatis habiturum. Textum, perlectis ante et collatis optimis editionibus, dedimus, qualem doctissimus vir J. V. *Leclerc* edidit, tum viri nomine moti, tum quia parum dare conjecturis, et codicibus niti videbatur, quibus omissis, ingenia quidem doctorum se proferant liberius; sed ita ut variæ editiones, correctionibus deformatæ, non eamdem auctoris imaginem, verum germanos tantum vultus et gentilem aliquam similitudinem præbituræ sint. Exemplo sit illa Schützii in permutandis locis immodica, et, ut opinor, sæpe infelix libertas.

Partitionem capitum Schützianam, quæ inæquali quidem mensura claudicans, rectior tamen et ex ipsa rerum natura descripta videbatur, retinere primum in animo fuit; sed quia in indice comparando, multum laboris nova illa divisio attulisset, servata vetere, eam quæ melior videbatur adscripsimus, ad quam se referunt argumenta, ex ejusdem Schützii editione desumpta.

Notæ sunt hic Ernestinæ omnes, aliæ ad verbum expressæ, aliæ quales Schützius, aut ceteri suis inseruerunt; item Schützianæ fere integræ, nisi quas longiores e Victorio suo citationes ultra modum proferebant. Harum plerasque contraximus, citata verba indicando tantum, non transcribendo. Addidimus e Grutero varietatem lectionum, parcius in ceteris, in Rhetoricis fusius; ubi de textu fortasse diligentius inquirendum monet ea, de qua modo dicemus, de auctore librorum ad Herennium controversia. Adjecimus ex Wetzelio historicas plerumque, aut signatrices similium locorum notas; alias ex diversis; præcipue de legibus et jure, idque in Topicis accuratius, quæ ad JCtum scripta sunt, non sine aliqua juris peritiæ ostentatione. Multa quoque in hoc libro sua inveniet J. V. *Leclerc*, alia suo nomine signata, alia non, quum par verecundia esset, sive silentio nostro veluti furari quod alienum esset; sive latinitati nostræ nomen adscribere, cui parum ea respondere videretur: ab illo tamen sicubi dissensimus, profitendum nostro periculo censuimus. Quæ ipsi de nostro addidimus, ita nihil sunt, ut de iis tacere melius sit.

J. W. RINN.

ALTERA PRÆFATIO
IN LIBROS AD C. HERENNIUM.

De auctore librorum ad C. Herennium multa in diversum ad hanc ætatem disputata sunt, quum alii Ciceronis esse libros contenderent, alii aliud nomen proferrent, plerique Cornificii, cujus loca satis multa affert Quintilianus, Rhetoricorum totidem locis ad verbum respondentia. Cui quidem certamini non tam immiscere me ausim, quam e variis auctoribus ea colligere conabor, quæ dirimendæ litis esse videbuntur.

Rhetoricorum ad Herennium, qui primi omnium diserte mentionem fecerunt D. Hieronymus (adv. Ruf. I, p. 137. Procem. Comm. ad Abdiam) et Rufinus (de compos. et meth. orat. p. 315-321) eorum Ciceronem auctorem nominant. Idem facit non semel Priscianus; Lupus quoque Ferrariensis, ut videtur, Epist. I ad Eginhartum. Codd. quotquot et edd. exstant, omnes ejusdem opinionis monumentum habent Tullii et Terentiæ nomina, libri primi duodecimo capiti interpolata. Itaque primi editores pro Ciceronianis confidentissime protulerant. Eidem opinioni accesserunt Leonardus Aretinus, Georgius Trapezuntius, Laurentius Valla, Cavalcantius, Politianus, Capidurus, Mancinellus, Sinibaldus Antoninus, Longolius, Doletus, Ant. Marinellus, G. Caspar Kirchmaierus, Jo. Pe-

a.

trus Ludovicus, Dionysius Lambinus, Nic. Angelius, Becichemus, et nuper apud nos J. V. *Leclerc*, qui conjecit ex gemina Rhetoricorum editione natos ad Herenn. libros, et eos qui de Invent. dicuntur, sicut et Academicos bis editos fuisse constat.

Primum igitur antiquitate sua se tuetur illorum opinio. Sed et alia sunt quæ favere illi videntur; tum exempla sæpius a poetis, quod Tulliani moris est, petita, tum nobilium partibus infestus animus, qualem se in primis Ciceronis orationibus protulit. Addere fortasse liceat ipsum Herennii nomen (1), cujus gentis patrocinio (Plut. vita C. Marii) Mariana gens Tullianæ genti affinis utebatur, ut non mirum sit cognatione aliqua (quod verbum satis late patet) Tullium cum Herennio fuisse conjunctum (IV, 6).

Dictio, quæ aliis jejuna videtur, et a Ciceroniana ubertate procul abhorrens, aliis contra non inelegans et magni oratoris initiis digna. Nec mirum sit, aliquid deesse iis quæ ipse sibi puero aut adolescentulo rudia et inchoata ex commentariolis suis excidisse ait (de Orat. I, 2). Res autem gestæ quas in exemplis au-

(1) Ea diligentius inquirenti succurrit Ciceronem, postquam nobilium partibus favere cœpit, Herennios inimicos fortasse habuisse, et, ut conjicere licet, eo acriores, quod infestiores esse solemus veteribus amicis, a quibus semel dissentire cœpimus. Nam et Herennium, Marii partibus fidum, video Sertorii legatum in Hispania fuisse, et ab alio postea Herennio in exercitu Antonii centurione Ciceronem occisum. Ea levis quidem conjectura, sed ex qua facilius intelligam, cur Cicero Herennii nomen in altera editione deleverit.

ctor retulit cum Ciceronis temporibus congruunt, quum omnes ante an. Urb. 665, aut, si putes cum Schützio scriptorem ad Sullæ victoriam respexisse (IV, 54), 673 actæ sint.

Sed ad confirmandam eam quam exposuimus opinionem, plurimum valet utriusque operis similitudo, quæ cognationis aliquid et consanguinitatis habere videtur. Argumento sit illa utriusque operis e Wetzelio desumpta collatio.

Her.	*Cic. Inv.*
LIB. I.	LIB. I.
Præf. de consilio suo, c. 1.	Præfat. de eloquentiæ dignitate, c. 1-4.
ORATORIS	ORATIONIS
Officium, causarum genera tria, orationis partes quinque, c. 2.	*Genus*, officium, finis, etc. c. 4, 7 — c. 7, 1.
Inventionis sunt	Inventionis sunt
1. Exordium, c. 3-7.	1. Exordium, c. 15-18.
2. Narratio, c. 8, 9.	2. Narratio, c. 19-21.
3. Divisio, c. 10.	3. *Partitio*, c. 22-23.
4. Confirmatio et	4. Confirmatio, c. 24-41. (ubi argumentatio, de qua ille lib. II, 2 (13)-29.)
5. Confutatio, c. 10.	5. *Reprehensio*, c. 42-51.
6. Conclusio, c. 2, 30-31.	6. Conclusio, c. 52-56.
Constitutiones causarum *tres*, c. 11-15.	Constitutiones causarum *quatuor*, c. 8-13.
1. Conjecturalis, c. 11, 3-4, c. 17, 1-3; 2, 2-8.	1. Conjecturalis, c. 8, 2, 4-16.
2. Legitima, cujus partes *sex*; c. 11-13.	2. *Definitiva*, I, 8, 4 et II, 17-18. *Controversiæ* genera *quinque*, c. 13; II, 40-51.
1. Scriptum,	1-4. Ut illic.
2. Contrariæ leges,	6. Ut illic.

Her.	*Cic. Inv.*
Lib. I.	Lib. I.
3. Ambiguum, 4. Definitio, 5. Translatio, 6. Ratiocinatio,	3. Nostro est constitutio causæ translativa, nr. 4; vid. not. ad Her. I, 11, 2, et c. 15, 4.
3. Juridicialis, quæ est	3. *Generalis*, c. 9, cujus sunt negotialis et *juridicialis*, c. 11.
	4. *Translativa*, c. 11, 11, 2, 19, 20.
	Illic est pars assumptivæ Her. 1, 12, 8.
Absoluta et Assumptiva, c. 14, 15.	c. 11, 3-10.
Ratio, judicatio, firmamentum, c. 16, 17.	*Quæsitio*, relatio, etc. c. 13, 6—c. 14.
Lib. II.	Lib. II.
Præf. c. 1.—c. 2, 3.	Præf. c. 1-3.
Conjecturalis partes *sex*, c. 2-8.	Conj. partes *tres*, c. 4-16.
Legitima, c. 9-12.	*Definitiva* (cl. lib. I, 13), c. 17-18.
Legitimæ partes *sex*, c. 9-12.	*Controversiarum* genera *quinque*, c. 40-51.
Juridicialis, quæ est	*Generalis*, cujus pars prima negotialis, c. 21-22. pars altera juridicialis, c. 23.
Absoluta, c. 13.	Absoluta, c. 23.
Assumptiva, c. 14-17.	Assumptiva, c. 24-36.
Cujus partes quatuor:	Eædem:
Comparatio, c. 14.	Comparatio, c. 24—c. 26, 4.
Translatio criminis, c. 15.	*Relatio* criminis, c. 26, 5—c. 28.
Concessio, c. 16-17, 6.	Concessio, c. 31-35.
Remotio criminis, c. 17, 7.	Remotio criminis, c. 29-30.
Laus ac vituperatio, III, 6-8.	*præmia*, c. 37-39.
Argumentationes, c. 18-29.	Argumentatio, 1, 29-41.
Conclusio, c. 30, 31.	Conclusio, c. 1, 52-56.
Inventio rerum accommodata ad genus deliberativum, et demonstrativum, 3, 2-8.	Argumentationes in genere deliberativo, 2, 51-59.

His lectis, nemo est qui non videat, aut utrumque e communi fonte hausta protulisse, aut alterum ab altero multa mutuatum, aut eumdem esse utriusque operis auctorem.

Et nonnulli quidem, inter quos Wetzelius, opinantur utrumque Hermagoræ, ut ille ait, rivulos in hortos suos deduxisse. Quibus respondit verissime Schützius : Si uterque græcum sequutus esset, non facile explicari, quomodo tot loca iisdem verbis potuerint ab utroque enuntiari. — Quid vero si latinum? — Respondebit hic quoque Schützius : « Auctorem librorum ad Herennium diserte significare (IV, 7) nomina figurarum latina, quæ de græco converterit, remota esse a consuetudine; unde probabiliter colligitur, ei nullum rhetoris latini librum cognitum fuisse, e quo figurarum latina nomina sic jam usitata, et propterea minus asperitatis habitura petere posset ». Quamquam dici potest, qui primi de rhetorica latine scripserunt, aut disseruerunt, eos nomina figurarum græca usurpavisse.

— Sed alter ab altero mutuatus est. — Illud primum animadvertendum, præceptorem Herennianum, quod Purgoldus Schütziusque demonstravere, priorem scripsisse. Ille enim affirmat (I, 9) se nova de insinuationibus excogitavisse, quod eas solus in tria tempora diviserit; Cicero autem (Inv. I, 17) disertis verbis de iisdem tribus temporibus agit, quibus insinuatione potius quam principio utendum sit. Ergo editis jam ad Herennium Rhetoricis de Inventione libros scripsit.

Quis est ille igitur quem, ut volunt, Cicero non

tantum in inveniendis et ordinandis præceptis sequutus est, sed etiam ad verbum sæpissime expressit. Credam magistrum aliquem, ut Quintilianus innuere videtur (III, 6, 57), nisi rectissime moneat J. V. *Leclerc*, non eum rhetorem esse, qui libri primi initio scripserit, se negotiis familiaribus impeditum vix satis otii studio suppeditare posse, et id ipsum quod habeat otii libentius in philosophia consumere solitum. Et eodem capite rursus : « non enim spe quæstus, aut gloria commoti, venimus ad scribendum ». Restat igitur, ut juvenem aliquem, æqualem suum (nam permulta sunt quæ juvenem in hoc libro omnino redolent), Tullius in Rhetoricis sequutus sit, vir de suo tam dives, quem et jam puerum inter æquales adeo eminuisse tradidit Plutarchus; quod ut equidem credam, haud facile adducar; et ea res Schützium movit, ut Cornificium rejiceret, non admisso tamen Cicerone.

Duo enim sunt argumenta quæ huic obstent opinioni. Et primo Fabius omnes Ciceronis vel rhetoricos, vel oratorios libros, his tantum exceptis, advocavit. Exempla tantum quæ in eis occurrunt, publici fortasse juris facta, habet, IX, cap. 3, 31, c. 6, 70, 91. Sed intelligi potest eum e duobus ejusdem operis editionibus, aut posteriorem amplioremque tantum novisse, aut priorem etsi notam neglexisse. (Vid. Quintil. de Rhet. Cic. II, cap. 14, 4, cap. 15, 6; III, cap. 1, 20, cap. 5, 14, cap. 6, 15, 49, 57, 63, etc.) Deinde multa a Quintiliano ex Cornificio prolata in libris ad Herennium occurrunt, v. c. V, cap. 10, 3;

IX, cap. 2, 27, cap. 3, 71, cap. 4, 98. Ille autem Cornificius, teste eodem, non pauca de arte dicendi scripserat, III, 1, 21, inter quæ librum singularem de figuris, IX, 3, 89. Ut nemini mirum videri debuerit, si quæ ex illo protulerat Fabius, v. c. IX, 3, 71; X, 2, 27, in his libris omnia non occurrant, quamquam omnia se reperisse nonnulli sunt, qui contendant. Et illud præcipue notatione dignum est, rhetores a Quintiliano, IX, 2, reprehendi, quod eam quam vocat Cornificius licentiam, Græci παῤῥησίαν, figuris adscripserint, ut nomen a Cornificio primum datum esse videatur, quum, ut vidimus, auctor ad Herennium primum se figurarum vocabula latiora reperisse testatus sit. Huic igitur opinioni faverunt Paulus Aldusque Manutii, Muretus, P. Victorius, Badius, Turnebus, Ant. Riccobonus, Regius, Majoragius, Sigonius, Barthius, C. S. Schurzfleisch, aliique.

Adversantur autem multi, alius alium auctorem inducentes, nempe Ciceronem filium, Laureamve illius libertum, qui et ipse Cicero vocabatur; vel Tullium Tironem, qui rhetor Plinio Suetonioque memoratur; vel M. Gallionem, cujus nomen in antiquissimo codice librorum ad Herennium romano, licet ab alia manu deletum comparuisse refert Aldus, Pauli Manutii filius, epist. ad Naugerium; vel Virg. Rufum, Neronis æqualem; vel, si diis placet, Timolaum, Zenobiæ reginæ filium, unum e xxx tyrannis, quem ad Herennium fratrem, sive, ut habet J. V. *Leclerc*, Herennianum, scripsisse auctor est Trebellius Pollio.

Aliam conjecturam induxerat Schützius, Antonium

Gniphonem Suetonio Fabioque memoratum librorum nostrorum auctorem putans. In quo non morabimur, rati, ut diximus, auctorem eorum, quisquis fuerit, non rhetorem fuisse. Cornificium malimus, de quo quid sentiendum sit quærentibus, accuratissimam Schützii disputationem afferam.

«Cornificium seniorem quo minus, ut multis placuit, auctorem librorum ad Herennium esse credamus, maxime nobis obstat hoc, quod illum æqualem Ciceronis fuisse constat, quem ex æqualis et condiscipuli libris in suos rhetoricos tam multa transtulisse, haud est credibile. Neque tamen ausim negare, Quintilianum, qui sæpe Cornificium laudat, quæ ex eo attulerit, e libris Rhetoricis ad Herennium deprompsisse, ipsumque eos Cornificio auctori tribuendos censuisse. Quod quum jam Riccobono visum esset, exortus est Jo. Marius Mattius, qui in annotationibus suis in varios auctores latinos et græcos Riccobonum refutare conaretur. Nuper autem Spaldingius, novissimus idemque doctissimus Quintiliani Institutionum oratoriarum editor, literis ad me scriptis, mihi significavit, se Riccobono assentiri, de eaque re singularem libellum meditari. Nimirum omnia ac singula loca, quæ Quintilianus ex Cornificii libris excitat, in libris ad Herennium inveniri Spaldingius cum Riccobono contendit. Quod etsi ita manifestum est, ut dubitari nequeat, nondum tamen hoc ipso vincitur, libros ad Herennium a Cornificio scriptos esse.

« Quintil. V, 10, 2 : « Enthymema ... Cornificius contrarium appellat». Apud A. ad Her. IV, 18, legi-

tur : «Contrarium est, quod ex rebus diversis duabus alteram breviter et facile confirmat», idque in figuris numeratur. Propterea Mattius negabat a Quintiliano de argumentis loquente factam commemorationem Cornificii huc pertinere. Neque vero ipse id affirmare ausim, præsertim quum ille Quintiliani locus nondum satis expeditus esse videatur.

«Quintil. IX, 2, 27 : «Cornificius licentiam vocat παῤῥησίαν». A. ad Herenn. IV, 36 : « Licentia est, quum apud eos, quos aut vereri aut metuere debemus, tamen aliquid pro jure nostro dicimus». Potest sane Quintilianus h. l. Herenniani nostri respexisse : fieri tamen etiam potest, ut ad alium librum respexerit, in quo Cornificius vocabulo *licentia* eodem modo, quo Herennianus, usus esset.

«Quintil. IX, 3, 31, figuræ complexionis s. συμπλοκῆς idem exemplum affert, quo utitur A. ad Herenn. IV, 14 : «Qui sunt . . . Carthaginienses». Quia tamen Quintilianus haud addit, cui scriptori hoc exemplum acceptum referat, nihil illa commemoratione ad causam nostram efficitur.

«Quintil. IX, 3, 56 : «Sunt tamen erudita et latina : Africano virtutem industria, virtus gloriam, gloria æmulos comparavit». Et Calvi : «Non ergo magis pecuniarum repetundarum, etc.» Hic Spaldingius acute suspicatur post *latina* omissam esse a librariis mentionem auctoris, quia paullo post sequitur : *Et Calvi*. Sane si hic in codd. legeremus : «Sunt tamen erudita et *latina* Cornificii», hic locus me maxime moveret, ut existimarem Quintilianum, ubi Cornificium

laudat, auctorem librorum ad Herennium intellexisse.

« Quintil. IX, 3, 69—71 : « Aliter quoque voces aut eædem diversa in significatione ponuntur, aut productione tantum vel correptione mutatæ : quod etiam in jocis frigidum, equidem tradi inter præcepta miror; eorumque exempla vitandi potius, quam imitandi gratia, pono. *Amari jucundum est, si curetur, ne quid insit amari. Avium dulcedo ad avium ducit*, etc. Cornificius hanc *traductionem* vocat, videlicet alterius intellectus ad alterum ». Si comparaveris locum ad Her. IV, 14, nihil sane obstat, quo minus Quintiliano Cornificium nominanti hunc ipsum locum obversatum esse putemus, et recte Spaldingius Marii Mattii cavillationes refutat. Sed si forte Cornificius ipse ex auctore ad Herennium ista mutuatus esset, sicut Cicero multa ex eodem desumpsit, nondum hoc exemplo constaret, Cornificium libros ad Herennium scripsisse.

« Quintil. IX, 3, 89 : « Hæc omnia (de figuris) copiosius sunt exsequuti, qui non ut partem operis transcurrerunt, sed proprie libros huic operi dedicaverunt, sicut Cæcilius, Dionysius, Rutilius, Cornificius, Visellius, aliique non pauci ». Ex hoc loco an colligi possit, Quintilianum Cornificium nominando ad quartum librum auctoris Herennium respexisse, valde dubito. Nam primum quartus ille liber non est proprie dicatus doctrinæ de figuris, sed omnino agit de eloquutione. Deinde quid prohibet, quo minus Cornificium proprium librum de figuris verborum et sententiarum conscripsisse statuamus; quem Quin-

tilianus ipse non pauca de arte Rhetorica scripsisse dicit?

« Quintil. IX, 3, 91 : « Quædam omnino non sunt figuræ, sicut ordo, dinumeratio, circumscriptio; sive hoc nomine significatur comprehensa breviter sententia, sive finitio. Nam et hæc Cornificius atque Rutilius schemata λέξεως putant ». Recte Spaldingius his verbis (pronomine *hæc* tantum ad verba quæ proxime præcedunt relato), Quintilianum hoc significare existimat, *sententiam* et *definitionem* a Cornificio et Rutilio inter figuras verborum relatas esse. Idque factum est ab auctore ad Herenn. IV, 17, 25, unde tamen non sequitur, eum esse Cornificium, aut Quintilianum ad ista Herenniani capita h. l. respexisse. Nam si Cornificius proprium, ut nos putamus, librum de figuris composuit, potuit sane eodem modo, quo Rutilius, Herenniani exemplo inductus, *sententiam* et *definitionem* inter schemata λέξεως recipere.

« Quintil. IX, 4, 98 : « Adjicit his (figuris) Cæcilius περίφρασιν, de qua dixi. Cornificius interrogationem, ratiocinationem, subjectionem, translationem, occultationem; præterea sententiam, membrum, articulum, interpretationem, conclusionem; quorum priora alterius generis sunt schemata, sequentia schemata omnino non sunt ». Herennianus utique in figuris verborum nominat interrogationem IV, c. 15, ratiocinationem c. 16, subjectionem c. 24, translationem c. 34, occultationem c. 27. Nam etsi in omnibus libris apud Herennianum, c. 27, legitur occupatio, certissi-

mis tamen argumentis mihi persuasit Spaldingius ibi esse *occultatio* legendum. Contra apud Quintilianum pro *translationem* forsitan rectius legatur *transitionem*, quam figuram Herennianus, et perperam quidem, in figuris verborum, c. 25, nominat. Porro Herennianus habet sententiam, IV, 17, membrum, articulum c. 19, interpretationem c. 28, conclusionem c. 30. Hunc igitur Quintiliani locum fateor argumentum ceteris omnibus multo speciosius præbere iis, qui Quintilianum, ubi Cornificium laudaverit, auctorem librorum ad Herennium significasse contendunt.

« Neque tamen hæc omnia Cornificium esse verum librorum ad Herennium auctorem demonstrant. Etenim Quintilianus non minus errare potuit, hos libros Cornificio tribuens, quam Priscianus eos Ciceroni assignans; ne illud ambitiosius urgeam, loca illa Quintiliani, in quibus Cornificium laudat, etsi probabiliter ad libros ad Herennium trahi possunt, non tamen excludere omnem dubitandi rationem, si cogitemus fieri potuisse, ut Cornificii liber cum libris ad Herennium eamdem ob causam, ex qua similitudo inter Herennianum et Ciceronem de Inventione fluxit, multis locis conveniret.

« Ceterum auctorem librorum ad Herennium vel primum omnium, qui inter Latinos artem rhetoricam scripserint (post M. Catonem scilicet et M. Antonium, quorum ille, ut ait Quintil. III, 1, 19, aliqua tantum, hic imperfectum opus scripserat), vel inter primos fuisse, hoc etiam nobis persuadet, quod numquam nisi græcorum de arte scriptorum mentionem facit,

et quod se primum figuris sententiarum et verborum latina nomina imposuisse innuit IV, 7. Itaque fieri potest, ut eum Quintilianus inter « minus celebres », qui ante Ciceronem de arte scripserint, quos lib. III, 1, nominatim haud recenset, retulerit. Præterea tota orationis forma scriptorem prodit, qui uteretur sermone latino jam a Crasso et Antonio ad eloquentiam exculto, nondum tamen ad summam quam ei Cicero conciliavit perfectionem absolutionemque provecto; cujus quum nullibi mentionem fecerit, magno nobis argumento esse debet, eum, antequam illud ingenium ad maturitatem suam pervenisset, de arte rhetorica scripsisse. »

Hæc sunt quæ de illa disputatione comparare potui, ipse mentis dubius, nedum aliis viæ monstrator esse velim.

J. W. Rinn.

M. T. CICERONIS
RHETORICORUM
AD C. HERENNIUM
LIBER PRIMUS

ARGUMENTUM

E SCHUTZII EDITIONE DESUMPTUM.

Auctor de occasione et consilio scribendi pauca præfatus (c. 1), primum officium oratoris quale sit demonstrat, deinde tria causarum genera ei proposita definit, demonstrativum, deliberativum, judiciale : deinde ostendit, in oratore esse oportere inventionem, dispositionem, elocutionem, memoriam, pronuntiationem; quæ ille tribus rebus assequebatur, arte, imitatione, exercitatione, cap. 2.

Jam primum de inventione agit, quæ in sex partes orationis consumitur, exordium, narrationem, divisionem, confirmationem, confutationem, conclusionem, cap. 3.

Harum sex partium primo loco exordium pertractat, quod, præmissa admonitione de quatuor causarum generibus, honesto, turpi, dubio, humili (cap. 4), dividitur in principium (cap. 5), et insinuationem (cap. 6), et quomodo utrumque tractandum sit, docetur. Tum, uberius exposita principii et insinuationis differentia, vitia exordiorum breviter recensentur, cap. 7.

Sequitur locus de narratione, cujus tria genera memorantur; primum, quo res gesta, de qua in judicio agitur, exponitur; alterum, quod intercurrit nonnumquam fidei aut criminationis, aut alia ejusmodi causa; tertium a causa civili remotum, cujus duo sunt genera, unum quod in negotiis, alterum quod in personis positum est. Illius tres partes numerantur, fabula, historia, argumentum, cap. 8. Deinde tres res narrationi convenire ostenditur, ut brevis, ut dilucida, ut verisimilis sit, cap. 9.

Deinde agitur de divisione, in qua primum aperiri debeat, quid actori cum adversariis conveniat, deinde ad distributionem accedi, quæ in duas partes dividitur, enumerationem et expositionem, cap. 10.

Jam procedit auctor ad confirmationem et confutationem; ubi primum agitur de generibus constitutionum, 1° conjecturali, cap. 11; 2° legitima, quæ in sex partes dividitur, scriptum et sententiam, contrarias leges, ambiguum, definitionem, trans-

lationem, ratiocinationem; quarum singulæ singulis exemplis illustrantur, cap. 12, 13; denique 3° juridiciali, cujus duæ partes sunt, altera absoluta, altera assumptiva. Assumptivæ partes sunt quatuor, concessio, quæ dividitur in purgationem et deprecationem, cap. 14; translatio criminis, remotio criminis, comparatio, cap. 15.

Postremo loco docetur, quomodo constitutione reperta, ratio, quæ causam facit, et firmamentum rationis quæri et constitui debeat, cap. 16; et quomodo ad eam omnem rationem orationis conferri oporteat, cap. 17.

M. T. CICERONIS
RHETORICORUM
AD C. HERENNIUM
LIBER PRIMUS.

I. (1.) Etsi negotiis familiaribus impediti, vix satis otium studio suppeditare [1] possumus, et id ipsum, quod datur, otii, libentius in philosophia consumere consuevimus; tamen tua nos, C. Herenni, voluntas commovit, ut de ratione dicendi conscriberemus: ne aut tua causa noluisse nos [2], aut fugisse laborem putares. Et eo studiosius hoc negotium suscepimus, quod te non sine causa velle cognoscere rhetoricam [3] intelligebamus. Non enim parum in se fructus habet copia dicendi, et commoditas orationis, si recta intelligentia et definita animi moderatione [4] gubernetur. Quas ob res illa, quæ Græci scriptores inanis arrogantiæ [5] causa

I. 1. *Vix satis otium studio suppeditare. Studio* abest a codd. quibusdam bonis: sed edd. pr. constanter servant, estque necessarium. Ern. — Delet *otium* Schütz. quia statim recurrit.

2. *Noluisse nos, aut fugisse.* Sic edd. Med., Junt. Aldina. Alii scr. et editiones veteres: « noluisse aut nos fugisse ». Ern. — Verburg. conj. « aut nostra fugisse laborem », quod non est necessarium; nam qui laborem fugit, is non potest fugere, nisi propter suam ignaviam. Sch.

3. *Rhetoricam.* Delevimus *artem*, quod abest a sex MSS Palat. Lips. W. edd. 1474, 1475, Med. Junt. Ald. etc. Ern. — Hanc vocem olim defenderat contra Lambinum Gulielmius; habet Gruterus; sed recte deletam putat Schütz.

4. *Animi moderatione. Moderatione animi* Aldus, Gruter. Lallem. *Definita* abest a quibusdam codicibus, quos Lambinus inspexit, et sane prætulerim, « si recta intelligentia et moderatione animi ». Sch.

5. *Inanis arrogantiæ causa.* Pall. omnes et Gulielmiani hoc loco retinent

sibi assumpserunt, reliquimus[6]. Nam illi, ne parum multa scisse viderentur, ea conquisierunt, quæ nihil attinebant[7], ut ars difficilior cognitu putaretur: nos autem ea, quæ videbantur[8] ad rationem dicendi pertinere, sumpsimus. Non enim spe quæstus[9], aut gloria commoti venimus ad scribendum, quemadmodum ceteri; sed ut industria nostra tuæ morem geramus voluntati. Nunc, ne nimium longa sumatur oratio, de re dicere[10] incipiemus; si te unum[11] illud monuerimus, artem sine assiduitate dicendi non multum juvare: ut intelligas, hanc rationem præceptionis ad exercitationem accommodari oportere.

II. (II.) Oratoris officium est, de his rebus posse dicere, quæ res ad usum civilem moribus ac legibus[1] consti-

illud *inanis*, quod Lambinus adjungit infra voci *gloriæ*. Apparet quidem eo commotum, quod ore vulgi teratur, *inanis gloria*, non item *arrogantia inanis*. Quo modo tamen loquutum hunc scriptorem quid vetat credere? Certe non repugnat aut latinitatis ratio, aut sententiæ; miseram vero optimorum scriptorum sortem, si hoc modo illis præscribere, et pro captu nostro quidvis immutare nobis licebit. Hæc Gulielmii schedæ. GRUTERUS.

6. *Assumpserunt*, *reliquimus*. Vett. edd. *assumpere*. Parva sane mutatio; sed unde colligas quam temere sæpe descitum a scriptis. Fugerunt editores reduplicationem syllabæ *re*, cujus generis exempla veteribus quæsita potius quam odiosa. — *Reliquimus* primus dedit Aldus. MSS et edd. pr. *relinquimus*. ERN.

7. *Quæ nihil attinebant*. Ed. 1474, *ad rem attinebant*. ERN. — Ejecimus binas dictiones *ad rem*, quæ in nullo comparebant Pall. nam primus eorum habebat *ad propositum*. GRUTERUS.

8. *Ea*, *quæ videbantur*. Ed. Med. et ed. 1476 habent *ea*, *quæ putavimus*.

9. *Spe quæstus*, *aut gloria commoti*. *Gloria* Ald. et al. Sed legendum *gloriæ* cum MSS quibusdam, probantibus Græv. et Oudend. SCH. — Hæc esse videtur structura verborum: « non spe quæst. aut comm. gloria », ita ut ea voce *commoti* non teneantur illa priora: « spe quæstus ». Diversa enim sunt, nec tam arcte jungenda *quæstus* et *gloria*. Male igitur, puto, qui *gloriæ* voluerunt.

10. *De re dicere*. *Ipsa*, quod vulg. omittitur, addidimus ex ed. 1474. SCH.—Cod. Lips. omittit *dicere*. ERN.

11. *Si te unum illud*. Addunt *sed* ante *si te*, edd. Med. et edit. 1476.

II. 1. *Moribus ac legibus*. Cod. Aug. « legibus ac moribus ». SCH. — Et sic equidem prætulerim: nempe post ea verba « ad usum civilem », prima occurrit vox *legibus*, quibus civium

tutæ sunt, cum assensione auditorum, quoad ejus fieri poterit. Tria sunt genera causarum[2], quæ recipere debet orator : demonstrativum, deliberativum, judiciale. Demonstrativum[3] est, quod tribuitur in alicujus certæ personæ laudem, vel vituperationem : deliberativum est[4], quod in consultatione positum, habet in se suasionem et dissuasionem : judiciale est, quod positum in controversia, habet[5] accusationem, aut petitionem cum defensione. Nunc, quas res oratorem habere oporteat, docebimus : deinde, quo modo has causas tractari conveniat, ostendemus. Oportet igitur[6] esse in oratore inventionem, dispositionem,

jura consecrantur. Sequitur deinde gradatio : nec tantum cognitione *legum* opus est oratori, sed morum etiam, quæ non minus fortasse in judiciis possunt. — De oratoris officio conf. Inv. I, 5; de Or. I, 31 ; Fabium de re ipsa pluribus disserentem, II, 15. WETZEL.

2. *Tria sunt genera causarum.* Ex Aristotelis Rhet. I, 3, qui ex rei ipsius natura elicuit τρία γένη τῶν λόγων ῥητορικῶν, 1° συμβουλευτικὸν, cujus sit προτροπὴ καὶ ἀποτροπή; 2° δικανικὸν, cujus sit κατηγορία καὶ ἀπολογία : 3° ἐπιδεικτικὸν, cujus sit ἔπαινος καὶ ψόγος. Quos igitur græcus philosophus dicit λόγους ῥητορικοὺς, has noster dicit causas, sequutus Hermagoram. Vide de Inv. I, 6. Aristotelem Cicero quoque sequitur, de Inv. I, 5; Partitiones 3, 7; Top. 24; de Or. I, 31; quamquam, de Or. II, 10, ex persona Antonii tertium genus deliberativum, sive laudativum, minus necessarium esse judicat. De hac partitione ipsa et nomine disserit Fabius, III, 3. WETZEL.

3. *Demonstrativum.* De quo amplius infra, III, 6, et Cic. de Inv. I, 5, cujus pars potior quum sit laus, *laudativam* inde rhetoricés partem nominant alii Rhetores ap. Fabium, III, 3; *laudationes* Cicero de Or. II, 10; de Cl. Orat. II, 84. WETZEL.

4. *Deliberativum est, quod in consultatione positum, habet.* « Quod est in c. p. et habet » cod. Aug. « quod est in consultatione, quod habet », MSS b. Oud. SCH. — « Quod positum in consultatione », edd. 1476 et Med. — Adblanditur mihi scriptura Pal. quarti : « deliberativum, est in consultatione, quod habet in se ». GRUTERUS. — De eo genere amplius infra, III, 2, arctius Aristoteli inhærens quam in libb. de Inv. I, 5. WETZEL.

5. *Habet accusationem. In se* addit cod. Aug. ed. 1476 et edd. 1474, Med. Junt. Ernestius non putavit recipiendum.—De judiciali genere cf. de Inv. I, 5.

6. *Oportet igitur*, etc. Quæ in oratore esse oporteat eadem enumerantur de Inv. I, 7, et de Or. I, 42; ubi est : « excogitare, ornare, disponere, meminisse, agere ». Quæ quasi membra eloquentiæ vide de Or. I, 31; II, 19. — Agit autem auctor noster de

elocutionem, memoriam, et pronuntiationem[7]. Inventio est excogitatio rerum verarum aut verisimilium, quæ causam probabilem reddant. Dispositio est ordo et distributio rerum; quæ demonstrat, quid quibus in locis[8] sit collocandum. Elocutio est idoneorum verborum et sententiarum ad inventionem accommodatio. Memoria est firma animi rerum[9] et verborum et dispositionis perceptio. Pronuntiatio est vocis, vultus, gestus[10] moderatio cum venustate. Hæc omnia tribus rebus assequi poterimus, arte[11], imitatione, exercitatione. Ars est præceptio, quæ dat certam viam rationemque dicendi. Imitatio est, qua impellimur cum diligenti ratione[12], ut aliquorum similes in di-

inventione ejusque sex partibus, I, 3, II, 30; Cic. de Or. II, 17, de Inv. I, 14. — De dispositione, III, 9; Cic. de Or. II, 76. — De pronuntiatione, III, 11; Cic. de Or. III, 56. — De memoria, III, 16; Cic. de Or. II, 86, et part. 7. — De elocutione, III, 8; Cic. de Or. III, 37, et Quint. 8, procem. 15. De re cf. omnino Cic. de Or. I, 15, 49. Wetzel.

7. *Et pronuntiationem*. Vulgo; sed copulam, quæ hic melius abest, delevimus auctoritate codd. Oud. et Aug. Sch. — Pronuntiatio est quod dicimus gallice *le débit;* non autem quod habet clarissimus interpres : *la prononciation*. Vide enim infra pronuntiationem esse vocis, vultus et gestus moderationem cum venustate.

8. *Quid quibus in locis*. Vulgo; sed *in* delendum censuit Oudend. Et omittunt ejus codd. et edd. pr. quos sequutus sum. — *Quod et quibus locis* cod. Aug. Sch. — *Quid quibusque locis sit collocandum* ed. Med. 1498 et ed. 1476.

9. *Firma animi rerum*. *Animi* displicet Ernestio. Est tamen etiam Cic. de Inv. I, 7. Sch.

10. *Vocis, vultus, gestus*. Ald. « vocis et vultus et gestus ». Copulæ hic rectius absunt, ut in reliquis. Sch. — *Vocis, vultus et gestus* ed. Med. et ed. 1476, et sic equidem prætulerim, quum hic non sit expressa distributio ut supra : « tria sunt genera causarum.... demonstrativum, deliberativum, judiciale », aut infra : « hæc omnia tribus rebus assequi poterimus, arte, imit. exercit. ». Vidimus autem paullo supra : « oportet esse in orat. invent. disp. elocut. memor. et pronuntiationem ».

11. De *arte*, cf. Quint. II, 17, 41, et Cic. de Or. I, 20 : de *imitatione* autem quæ egregie præcipit sub Antonii persona, de Or. II, 21 : de *exercitatione*, cf. infra ad c. 8. Wetzel.

12. *Cum diligenti ratione*. Nonnulli codd. *dicendi*. Forte fuit *diligendi ratione* pro *deligendi :* veteribus enim *dilectus*, quod nobis hodie *delectus*. *Diligendi* ergo ratio esset delectus, quo non aliud magis in imitatione

cendo velimus esse[13]. Exercitatio est assiduus usus consuetudoque dicendi. (III.) Quoniam igitur demonstratum est[14], quas causas oratorem recipere[15], quasque res habere conveniret[16], nunc, quemadmodum ad orationem possint[17] oratoris officia accommodari, dicendum videtur.

III. Inventio in sex partes orationis[1] consumitur, in exordium[2], narrationem, divisionem, confirmationem, confutationem, conclusionem[3]. Exordium est princi-

necessarium : quippe quem eloquentiæ magistrum Cicero sæpe dixit. Gulielmius. — Schütz. habet *deligendi.*

13. *Velimus esse.* Primus dedit Aldus. MSS nostri et alii, item edd. pr. habent *valeamus*, idque recipi vult Oudend. Ern.

14. *Quoniam igitur demonstratum est.* Tota hæc clausula est ab interpretibus : aut potius, liber iste in epitomen redactus est ab aliquo. Quid enim absurdius hac recapitulatione, quum tribus punctis sua omnia vix signarit, nedum demonstrarit? Sic et infra, ubi est : « Nunc quoniam una, etc. » Nihil odiosius est tali insinuatione, hoc in breviculo. Idemque postea millies occurrit, non sine incredibili lectorum fastidio, meo certe : quem pudet pigetque tam multas bonas horas consumpsisse in tam turbido lacu. Sed quid faciamus? Quis Tullio cohæret, tale quid ei dandum videbatur. Et vero in libris posterioribus, dignus est ferre nomen Tullium. Gruterus.

15. *Recipere.* Edd. Med. et 1476 add. *oporteat*, satis commode.

16. *Conveniret.* Grævius correxit *conveniat*, quod habent quidam codd. scr. et edd. in his Med. probatque Oudend. Sed temporum ratio non patitur. Ern. — Hic equidem Grævio et Oudend. credere malim quam Ernestio : nam quod *conveniebat*, quum scripsit auctor, nunc quoque *convenit*. Logicæ igitur rationi magis consentanea Grævii lectio ; Ernestina fortasse rationi grammaticæ.

17. *Quemadmodum ad orationem possint.* Ita editio Victorii, neque aliter Pall. aliquot. Ceteri *rationem*, nisi quod primus, « ad inventionem possint », sec. « quemadmodum oratio ad rationem oratoris officii, etc. » Lambinus conjecturam suam nobis objecit : « quemadmodum ad inventionis rationem possint, etc. » Nihil mutari placet. Quippe ad orationem ipsam oratoris officia accommodantur, quum traditur inveniundi via, quæ eloquentiæ mater est. Guliel. — Schütz. *ad inventionem.* Rescripsi, inquit, pro vulg. *ad orationem.* Nam *inventionem*, quod jam Lambino et Mich. Bruto placuit, nexus postulat. Sic statim postea : « ad inventionis rationem accommodari ».

III. 1. *In sex p. orationis. Orationis* abest a codd. quibusdam et ed. Med. 1474 ; placet Grævio et Oudend. Ern.

2. *In exordium.* Gruter. habet *exordium*, omisso *in*.

3. *Conclusionem.* Edd. Med. et 1476 *et conclusionem*, male. Sæpius adest in his edd. copula, quum desit

pium orationis, per quod [4] animus auditoris constituitur ad [5] audiendum. Narratio est rerum gestarum, aut perinde ut gestarum, expositio. Divisio est, per quam aperimus, quid conveniat, quid in controversia sit; et per quam exponimus [6], quibus de rebus simus dicturi [7]. Confirmatio est nostrorum argumentorum expositio cum asseveratione [8]. Confutatio est contrariorum locorum dissolutio. Conclusio est artificiosus terminus orationis [9]. Nunc, quoniam una cum oratoris officiis, quo res cognitu facilior esset, producti sumus, ut de orationis partibus loqueremur, et eas

in recentioribus. Hoc semel monere satius videtur, quam postea notare quoties recurrit.

4. *Exordium est princ. or. per quod.* Quum deinde *exordium* dividatur in *principium* et *insinuationem*, incommodum est in definitione exordii vocabulum *principium* poni; et facile potuit a glossatore inculcari. Sic et postea dicitur: divisio est per quam, etc. et sic sæpius. Sch.

5. *Animus aud. constituitur ad audiendum.* Quidam libri, ut et cod. Aug. hic addunt *aut judicis*, quod recte delevit Ernest. post Grævium. Et cod. Duisb. utramque glossam *vel judicis* et *vel apparatur*, quod quidam scrr. quos inter cod. Aug. et Ald. post *constituitur* ponunt, omittit. Nam auditores hic intelliguntur judices, ut alibi sæpe. Sch. — Equidem crediderim *constituitur* non idem esse quod *apparatur. Constituitur* animus, quum orator *principio* utitur, et auditorem statim idoneum facit ad audiendum; *apparatur* autem, id est, paullatim idoneus redditur *insinuatione*. Quod autem parum latine dictum judicaverint multi DD. VV. non faciet ut delendum censeam. Vide infra, cap. 8, « alicujus apparationis causa », eodem sensu.

6. *Et per quam exponimus.* Cod. Pith. *et expon.* probante Grævio. Sch.

7. *Simus dicturi. Acturi* reposuit Grævius e MSS, et placebat idem Gulielmio. Vulgatum tamen non videtur deterius. *Acturi* habent ed. cod. Cort. ed. 1474. Ern.

8. *Cum asseveratione.* Oudend. commendat *assertione* e duobus codd. sed vereor, ne utrumque sit ab interpolatore profectum. *Assertio* quum nihil aliud sit quam *affirmatio*, quid ineptius quam id in *confirmationis* definitione adjicere? Sch. — Exponi possunt argumenta cum dubitatione, aut etiam confutatione; non modo cum asseveratione.

9. *Artificiosus terminus orationis.* Pall. tres priores, ex Italia ad nos delati, adjiciunt *totius orationis.* Quæ dictio otiosa videri non posset, nisi abesset totidem Pall. in Germania forte descriptis: quorum quartus plane est scriptura antiqua, ut et sextus, qui ultimus præscriptum habet nomen Johannis Palatini, Ducis Bavariæ ac Simerensis, qui fuit pater Frederici II Electoris. Grut.

ad inventionis rationem accommodaremus, de exordio primum dicendum videtur. (IV.) Causa posita, quo commodius exordiri possimus, genus causæ considerandum est [10]. Genera causarum sunt quatuor: honestum, turpe [11], dubium, humile. Honestum causæ genus putatur, quum aut id [12] defendimus, quod ab omnibus [13] defendendum videtur, aut id oppugnamus, quod ab omnibus videtur oppugnari debere : ut pro viro forti contra parricidam. Turpe genus intelligitur, quum aut honesta res oppugnatur, aut defenditur turpis. Dubium genus est, quum habet in se causa et honestatis et turpitudinis partem [14]. Humile genus est, quum contempta res affertur.

IV. Quum hæc ita sint, conveniet exordiorum rationem ad genus causæ [1] accommodari. (V.) Exordiorum duo sunt genera : Principium, quod græce προοίμιον appellatur, et insinuatio, quæ [2] ἔφοδος

10. *Considerandum est.* Ald. *est considerandum.* Sch.

11. *Turpe.* Non est quod mireris de turpi genere dicere auctorem; sed memor sis causidici officiorum, cui sæpe ipsi judices imperant ut scelesti hominis causam recipiant *ex officio.* — Sic de Inv. I, 15, non quatuor, sed quinque genera causarum esse dicit : honestum, admirabile (quod hic turpe), humile, anceps (quod hic dubium), præterea obscurum. Wetzel.

12. *Quum aut id defendimus.* Sch. « quum aut defendimus id ». Sic cod. Erf. inquit, ordine concinniore quam ut vulgo.

13. *Quod ab omnib. d. v. a. i. o. q. a. o. v. oppugnari debere.* Gruter. « id defendimus quod ab omnibus videtur oppugnari debere », deletis ceteris verbis. « Oppugnari videtur debere », cod. Aug. ed. Med. et ed. 1476, in qua abest *id* ante *oppugnamus* : eadem dat *quid* pro *quod* post *oppugnamus.* — *Ab omnibus.* Gulielmius et hic, et statim infra delevit vocabulum *ab*, nescio an librorum jussu : hæret id sane in sex Palat. et vetuste editis. Grut.

14. *Et turpitudinis partem.* Sch. habet *partes.* Sic edidimus, inquit, e cod. Erf. et Aug. Et jam placuit Grævio.

IV. 1. *Ad g. causæ.* « Ad omne genus causæ » Ald. Sch. — Sic ed. 1476.

2. *Quæ ἔφοδος.* Maluit Gulielmius ἐπῳδὸς, ut latinis expressere literis duo MSS ejus, et Pall. omnes. Tralatio tunc ducta esset ab incantationibus morbos pellentibus, quarum meminit Suidas : tamquam hic quoque rhetores magico quasi artificio aversos hominum animos ad se allicerent. Sed longius petitum videtur. Grut.

nominatur. Principium est, quum statim[3] auditoris animum nobis idoneum reddimus ad audiendum. Id ita sumitur, ut attentos, ut dociles, ut benivolos[4] auditores habere possimus. Si genus causæ dubium habebimus, a benivolentia principium constituemus, ne quid illa turpitudinis pars[5] nobis obesse possit. Sin humile erit genus[6] causæ, faciemus attentos. Sin turpe causæ genus erit[7], insinuatione utendum est, de qua posterius dicemus, nisi quid nacti[8] erimus, quare adversarios criminando, benivolentiam capere possimus[9]. Sin honestum causæ genus erit, licebit recte vel uti, vel non uti principio. Si uti volemus, aut id oportebit[10] ostendere, quare causa sit honesta, aut breviter, quibus de rebus simus dicturi, exponere. Si principio uti nolemus, a lege, a[11] scriptura, aut ab aliquo[12] firmissimo nostræ causæ adjumento principium capere[13] oportebit. Quoniam igitur doci-

3. *Statim*, i. e. *protinus*, ut Cic. de Inv. I, 15. Sch.

4. *Ut attentos, ut dociles, ut benivolos*: « Ut attentos, benivolos, dociles » ed. 1476.

5. *Ne quid illa turpitudinis pars*. Nempe quæ est in genere causæ dubio. « Pars turpitudinis » cod. Aug. « ne quid turpitudinis pars illa » ed. Med. et ed. 1476.

6. *Sin humile erit genus*. *Genus erit* Ald.

7. *Sin turpe causæ genus erit*. Sch. delet *causæ genus erit*, quod, Oudend. teste, omittit Voss. 3; optime, inquit; nam inficeta est frequentior horum verborum repetitio. — « Si turpe erit genus causæ », ed. Med. et ed. 1476. — Videntur mihi multi editores similium vocalium concursus sedulo vitavisse, quibus tamen gaudere magis quam offendi veterum aures crediderim.

8. *Nacti erimus*. Sic edidi pro *fuerimus* e MSS et edd. antiquis, ut 1744, Mediol. Junt. Ern.

9. *Benivolentiam capere possimus*. Sic rescripsit Ern. e MSS et edd. vett. Sic et Aug. qui habet *capere oportebit*. Vulgo *captare*. Sch.

10. *Aut id oportebit*. *Id* delevit Sch. cum Ern. tamquam hic otiosum.

11. *A lege, a scriptura*. *Vel scriptura* ed. Med. « vel a script. » ed. 1476. — A loco communi de legum servandarum, et scripturæ, sive ejus, quod diserte in lege, testamento, etc. scriptum est, servandi necessitate. Ernest.

12. *Aut ab aliquo*. Cod. MS quidam *alio*. Sed bene defendit Ern. *aliquo*, quod, ut sæpe, dicitur pro *alio quo*. Sch.

13. *Principium capere*. Schütz. « initium capere ». Sic rescribendum

lem, benivolum, attentum habere auditorem volumus[14], quomodo quidque confici[15] possit, aperiemus. Dociles auditores habere poterimus, si summam causæ breviter exponemus, et si attentos eos faciemus; nam docilis est is[16], qui attente vult audire. Attentos habebimus, si pollicebimur, nos de rebus magnis, novis, inusitatis verba facturos, aut de iis rebus[17], quæ ad rempublicam pertineant, aut ad eos ipsos, qui audient[18], aut ad deorum immortalium religionem[19]: et, si rogabimus, ut attente audiant: et, si numero exponemus res, quibus de rebus[20] dicturi sumus. Benivolos auditores facere quatuor modis[21] possumus, a nostra, ab adversariorum, ab auditorum persona, et a rebus ipsis.

duxi, inquit, pro vulg. Incommode enim diceretur: « si principio uti nolemus.... principium capere oportebit », qua ratione dupliciter in eadem sententia vocabulum *principium*, primum sensu definito, deinde latiore significatu poneretur.

14. *Benivolum, attentum habere auditorem volumus.* « Attentum auditorem vol. habere » cod. Aug. Sch.

15. *Quidque confici.* « Quodque eorum confici » ed. Med. et ed. 1476.

16. *Nam docilis est is, qui.* Intellige quom. interpretatus est doct. vir J. V. L. « docilem se præbebit qui attente volet audire », ut non idem sit, sed consequens. Sch. delet *is*. Pronom. *is*, inquit, hic speciem præberet definitionis; itaque auctoritate sex codd. Oudend. et Altorf. expunximus. At cod. Aug. habet « docilis est ille »; quæ variatio probat, *is* et *ille* interpolatori deberi. « Docilis est ille » ed. Med. et ed. 1476.

17. *Aut de iis rebus, quæ ad remp. pertineant.* Schütz. delet *rebus*. Recte, inquit, omittitur in codd. Oudend.— *De rebus his* cod. Aug. Sic ed. 1476. — *Quæ ad remp. pertinent* Grut. alii, *pertinerent.*

18. *Qui audient.* MS Erf. et ed. 1474, Med. *audiunt*. Ern.

19. *Aut ad deorum immortalium religionem.* Sic Victor. Manut. Faber. Aug. cod. addit cum aliis *et pietatem*, quod est e glossa. Sch. — Ed. Med. et ed. 1476 addunt « aut ad pietatem nos esse dicturos », nisi quod in ed. 1476 abest *ad* ante *pietatem*.—Male additur *ad pietatem*; nam quod cui in mentem veniat, pietatem hic intelligi de iis officiis quæ conferuntur in parentes, cognatos, liberos, etc. id vero minus nihilo est: ea attentionem non excitabit, sed magis benivolentiam; itaque ibi mox ponitur. Gruter.

20. *Exponemus res, quibus de rebus.* Sic pro *res de quibus* edidit Ernesti ex edd. et codd. MSS. Sic codd. Voss. tres, et Leid. 2; et MS Guelf. notante Heus. ad Cic. de Off. I, 31, 2.

21. *Quatuor modis possumus.* Sch.

V. A nostra persona benivolentiam contrahemus [1], si nostrum officium sine arrogantia laudabimus, aut in rempublicam [2] quales fuerimus, aut in parentes, aut in amicos, aut in eos ipsos, qui audiunt [3], referemus, dum hæc omnia [4] ad eam ipsam rem [5], de qua agitur, sint accommodata. Item si nostra incommoda proferemus, inopiam, solitudinem, calamitatem: et, si orabimus [6], ut nobis sint auxilio; simul ostendemus [7], nos in aliis spem noluisse habere [8]. Ab adversariorum persona benivolentia captabitur, si eos in odium, in invidiam, in contemptionem adducemus. In odium rapiemus, si quod eorum spurce, superbe, perfidiose, crudeliter, confidenter, malitiose, flagitiose factum proferemus. In invidiam trahemus, si vim, si potentiam, factionem, divitias, incontinen-

quatuor modis poterimus. Sic e cod. Aug. rescripsimus, inquit; semper enim auctor hic utitur futuro tempore.—*Ab adversariorum, ab auditorum persona, et a rebus ipsis.* « Ab adversariorum persona et ab auditorum et a rebus ipsis » ed. Med. — *Adversariorum. Nostrorum* adjiciunt sex codd. Oudend. qui id sine causa probat. Sch.

V. 1. *Benivol. contrahemus.* Bechichemus in MS invenit *comparemus*, unde forsan *comparabimus* aliquis prætulerit. Gruterus suspicabatur, « benivolentiam contrahemus » a librariis additum esse. Sed ejusmodi breviloquentia ab auctore nostro aliena est. Amat potius variationem in verbis, ut postea: « benivolentia captabitur... colligetur ». Sch.

2. *Aut in rempublicam.* Schütz. *atque in rempublicam.* Sic ad ordinis perspicuitatem, inquit, scribere præstat e cod. Gryph. quod vidit Mich. Brutus.

3. *Qui audiunt, referemus.* Schütz. *qui audient.* H. e. inquit, judices. Itaque vel hoc argumento patet, lectionem ante Grævium, qua addebatur, « vel omnes, vel aliquos », delendam esse. — Additur *aliquid* ante *referemus* MS et edd. 1474. Med. Junt. Ald. ed. Med. 1498, ed. 1476, et cod. Aug.

4. *Dum hæc omnia. Dummodo* præbent Ald. et al. edd. Ernesti edidit *dum* e MSS et edd. vett. edit. 1474, Juntina.

5. *Ad eam ipsam rem.* Schütz. delet *ipsam*, ut supervacuum, et quia modo præcesserat *ipsos*.

6. *Et, si orabimus. Rogabimus* ed. 1476.

7. *Simul ostendemus.* « Et simul ostendemus » MSS Oud. ed. Ald. « Et si simul ostendemus » cod. Aug. ed. 1476. « Si simul » ed. Med. 1498.

8. *Nos in aliis spem noluisse habere.* « In aliis spem nos habere noluisse » ed. 1476.

tiam, nobilitatem, clientelas, hospitium[9], sodalitatem, affinitates adversariorum proferemus, et his adjumentis magis, quam veritate eos confidere[10] aperiemus[11]. In contemptionem adducemus, si inertiam, ignaviam, desidiam, luxuriam adversariorum proferemus[12]. Ab auditorum persona benivolentia colligetur[13], si res eorum fortiter, sapienter, mansuete, magnifice judicatas proferemus: et si, quæ de iis existimatio[14], quæ judicii exspectatio sit, aperiemus. Ab rebus ipsis[15] benivolum efficiemus auditorem, si nostram causam laudando extollemus[16], adversariorum per contemptionem deprimemus.

VI. (VI.) Deinceps de insinuatione aperiendum[1] est. Tria sunt tempora, quibus principio uti non possumus, quæ diligenter sunt consideranda[2]: aut quum turpem

9. *Hospitium, sodalitatem.* Schütz. « hospitia, sodalitates ». Sic, inquit, edidimus e conjectura Gulielmii; neque enim odiosum habere hospitem aut sodalem; multitudo in invidia fuit.

10. *Quam veritate eos confidere.* Schütz. *veritati*. Sic ed. Med. 1498 et ed. 1476. — *Veritate* Pal. sec. quart. sextus, item Bruil. dictumque vetuste ac venuste videbatur Gulielmio. GRUT.

11. *Aperiemus.* Id est, monstrabimus. Tulliana locutio quæ sæpe in hoc libro recurrit, nonnumquam metaphorice conjuncta cum voce *fontes*, quod et Tullianum est. At hoc præcipue facere possit ut Ciceronis eos esse libros credam, quod totam hanc conciliandorum animorum rationem expressam in primis Tullii orationibus inveniam, et ita ut hæc omnia auctoris nostri præcepta orator animo combibisse videatur.

12. *Luxuriam adversariorum proferemus.* Sequutus sum quod plures MSS et edd. vett. habent, pro *eorum*. ERN. — Schütz. *eorum* retinuit.

13. *Colligetur. Captatur* cod. Aug. *colligitur* ed. 1476.

14. *De iis existimatio, quæ judicii.* « De his æstimatio et quæ j. » ed. 1476, « et quæ jud. » ed. Med.

15. *Ab rebus ipsis.* Sic MSS ap. Oud. et ed. 1474. *A rebus i.* ed. 1476, et Gruter. et ed. Med. 1498.

16. *Extollemus. Tollemus* cod. Aug. Altorf. Sch.

VI. 1. *Deinceps de insinuatione aperiendum est.* Pal. quartus nihil habet loco illius, « aperiendum est », et profecto poterat abesse. GRUTER. — *Aperiendum.* Sic fere MSS, ed. 1474, Med. Junt. Ald. etc. forma *aperiundum*, non est hujus generis scribendi, nec hujus auctoris. ERNESTI.

2. *Tempora, quibus princ. uti non poss. quæ dil. sunt consideranda.* Ed. 1476 « tempora, quæ dil. s. consideranda, quibus p. u. n. possumus ».

causam habemus, hoc est, quum ipsa res animum auditoris a nobis alienat; aut quum animus auditoris persuasus videtur esse ab iis[3], qui ante contra dixerunt[4]; aut quum defessus est eos audiendo, qui ante dixerunt. Si causa turpitudinem habebit, exordiri poterimus his rationibus: rem, non hominem; aut hominem, non rem spectari oportere[5]: non placere nobis ipsis, quæ facta dicantur ab adversariis, et esse indigna aut nefaria. Deinde quum diu rem auxerimus, nihil simile a nobis factum[6] ostendemus; aut aliquorum judicium de simili causa, aut de eadem[7], aut de minore, aut de majore proferemus. Deinde ad nostram causam pedetentim accedemus, et similitudinem conferemus. Item si negabimus[8], nos de adversariis, aut de aliqua re dicturos[9], et tamen occulte

— *Principio uti n. p.* Id est, exordii genere eo, quod procemium dicitur, c. 4. Sed insinuatione modo, ἐφόδῳ v. init. c. 7.

3. *Videtur esse ab iis.* « Esse videtur » Ald. *Ab his*, ed. 1476.

4. *Qui ante contra dixerunt.* Sch. delet *ante*, ut otiosum; et quia melius opponuntur « qui contra dixerunt iis, qui ante dixerunt ». Illis potest judex persuasus, his defessus esse.

5. *Rem, non hominem; aut hominem, non rem spectari oportere.* Ed. Med. et ed. 1476, « hominem non rem, rem non hominem s. o. », nisi quod ed. 1476, *hospitem* pro secundo *hominem*. — « Aut hominem, non rem ». Hæc absunt a cod. Putean. et Pith. Et Pithœus glossam a recenti manu appositam putabat. Genuina tamen nobis videntur, quæ Cic. de Invent. I, 17, in eadem causa dicit « aut pro re hominem, aut pro homine rem interponere ». Sch. — *Spectari oportere.* Indicat Gulielmius restare in Bruil. *exspectare*, quod et mihi repertum in Pal. pr. sec. quarto, sexto, et sic sæpe expressum in bonis auctoribus, de quo nos integro capite in libris suspicionum. Grut.

6. *A nobis factum o.* « Factum a nobis » cod. Aug. « Factum esse o. » ed. 1476.

7. *Aut de eadem.* Burm. post Grævium legit « de eadem re ». Nihil opus. Cf. Cic. de Inv. I, 17. Sch.

8. *Item si negabimus.* Schütz. delet *si.* Propterea, quod antecedentium membrorum constructioni non convenit.

9. *Aut de aliqua re dicturos.* Sch. addit *eorum* ante *dicturos. Eorum*, inquit, abest a pluribus cod. (etiam ab Aug.) Idem displicet Grutero et Grævio. Ernesti delevit, ne admonito quidem lectore. Sed abesse non debet, quod vel e simili loco, Cic. de Invent. I, 17, intelligitur: « et negante quid-

dicemus interjectione verborum[10]. Si persuasus auditor fuerit[11], id est, si oratio adversariorum auditoribus fidem fecerit (neque enim non facile scire poterimus, quoniam non sumus nescii, quibus rebus fides fieri soleat[12]): ergo si fidem factam putabimus, his nos rebus insinuabimus ad causam: de eo[13], quod adversarii firmissimum sibi adjumentum[14] putaverint, primum nos dicturos pollicebimur; aut ab adversarii dicto exordiemur[15], et ab eo maxime, quod ille nuperrime dixerit; aut dubitatione utemur, quid potissimum dicamus, aut cui loco primum respondeamus, cum admiratione. Si defessi erunt audiendo, ab aliqua re, quæ risum movere possit, exordiemur[16], ab apo-

quam de adversariis esse dicturum neque hoc, neque illud ». Gruter. *eorum* a suis MSS abesse declarat et expungit.

10. *Interjectione verborum*. Id est, spargendis subinde verbis, quibus intelligatur ab antecedentibus, quod nos dicturos negavimus. Ern.

11. *Si persuasus auditor fuerit, id est, si oratio advers. a. f. fecerit.* Schütz. delet « si persuasus auditor fuerit, id est ». A glossatore, inquit, e superioribus interpolata sunt. Eodem modo Cic. de Invent. I, 17, antea quum dixisset: « aut ab eis, qui ante dixerunt, quiddam auditori persuasum videtur », id deinde sic variat: « Sin oratio adversariorum fidem videbitur auditoribus fecisse ».

12. *Quoniam non sumus nescii, quibus rebus fides fieri soleat.* Hoc vere antiquorum qui omnia ad artem et scientiam referebant. Non e vultu sedentium, non ex audientium assensu judicat; sed ex iis quæ de hominum natura et argumentorum vi in Rhetorum officinis edoctus est.

13. *De eo, quod.* « Si de eo, quod » Ald. minus apte. Sch.

14. *Firmissimum sibi adjumentum putaverint.* Schütz. delet *adjumentum*. Abest, inquit, a Voss. sec. nec legitur in loco simili ap. Cic. de Inv. I, 17. — *Putaverint.* Sic dedimus pro *putaverunt* e MSS pluribus nostris et Oudendorp. edit. 1474, Med. Junt. Ald. Ern.

15. *Ab adversarii dicto exordiemur.* MS Lips. ed. 1474 *incipiemus*, ad variandam orationem non inepte. Sed Junt. « exordiri poterimus ». Ern. — Non insulsa mihi quidem videtur Juntinæ ed. lectio, quæ non jubet, sed monet potius sic incipi posse.

16. *Ab aliqua re, quæ risum movere possit, exordiemur.* Schütz. *incipiemus. Exordiemur*, inquit, quod abest a MSS, Oud. deleri vult. Verbum tamen hic abesse commode non potest. Itaque rescripsimus *incipiemus*, quo in eadem re utitur Cic. de Invent. I, 17, extr. — Confer totum de risu locum in secundo de Orat. cap. 54-72.

logo[17], a fabula verisimili[18], imitatione[19], depravatione[20], inversione[21], ambiguo[22], suspicione[23], irrisione[24], stultitia[25], exsuperatione[26], collatione, literarum mutatione[27]; præterea exspectatione[28], si-

17. *Ab apologo.* De Orat. II, 66.

18. *A fabula verisimili.* Gallice : *un conte.* Vide de Oratore, II, 59, ex. *fabellæ.*—De hac re præiverat præcipiendo Aristot. Rhet. II, 20. Wetzel.

19. *Imitatione.* Codd. Gryph. teste Mich. Bruto *immutatione;* quod non est admittendum. Nam de ridiculo e literarum mutatione postea dicit. Sch. — Imitatione sæpe in narrando utendum. Vide de Orat. II, 59, sæpe etiam imitatione depravata.

20. *Depravatione.* Schütz. « imitatione depravata ». Sic legendum esse perspicitur, inquit, e Cic. de Orat. II, c. 59 : « In se est item ridiculum, quod ex quadam depravata imitatione sumi solet »; quod fit, quum vitium aliquod sic imitamur, ut paullo etiam deterius fiat, ut Quintilianus ait VI, 3, 9, « ex industria depravatum ». Postquam ista scripseram, lectionem « imitatione depravata » in cod. Altorf. inveni. — Hæc vir acutissimus; at eo ipso loco quem indicat, video Tullium de imitatione primum, dein de imitatione depravata dixisse.

21. *Inversione.* Verborum scilicet. Vid. de Orat. II, 65, et plura Fabius, VIII, 6, 44.

22. *Ambiguo.* Quum eadem laudis causa pariter et vituperationis dici possunt, cujus generis est illud Neronianum apud Tull. de Or. II, 61. Vide etiam 62.

23. *Suspicione.* Quid sit illud nescio. Vertit J. V. L. *une conjecture.*

24. *Irrisione.* Facile intelligitur quid sit. Vide de Orat. II.

25. *Stultitia.* Vide ex. de Orat. II, 68. Vertit J. V. *Leclerc : une naïveté.*

26. *Exsuperatione.* Ὑπερβολή.

27. *Collatione, literarum mutatione.* Vulgo « abjectione, adjectione, lit. m. » Sed ista vocabula, « abjectione, adjectione », omittunt optimi codd. Erf. et Duisb. et sunt procul dubio glossatori tribuenda. « Literarum mutatio » est παρονομασία, quam in fontibus ridiculi numerat Cicero de Orat. II, 63. Pro *collatione* cod. Erf. habet *collectione;* cod. Pith. *collocatione.* Sed *collatione* verum est, de qua agit in locis ridiculi Cicero ibidem c. 66. Sch. — *Abjectione, adjectione* ed. 1474. Med. aliæque non habent *adjectione*, nec Grævius in ullo MS reperit. Neutrum MS Lips. edd. Junt. Ald. quas Grævius non inspexit. Itaque cum Grævio delenda putavi ut glossas. Ernest. — Grut. habet « abjectione, adjectione ». Sequutus sum, inquit, editionem Roberti Stephani, confirmatam ab interprete Palatini primi, nisi quod idem quoq. explicet præterea vulgatum illud *collocatione.* — Abest tantum *abjectione* in Med. 1498 et ed. 1476.

28. *Præterea exspectatione.* Schütz. « dicto præter exspectationem ». Sic emendandum censuimus, inquit, pro vulg. Nam primum sola exspectatione non continetur causa ridiculi; deinde id quod dicitur « præter exspectationem » (παρὰ προσδοκίαν), tam frequenter adhibetur ad risum movendum, ut præteriisse id auctorem nostrum haud credibile sit. Ita Cic. de Orat. II, 63 : « Scitis esse notissimum ridiculi genus, quum aliud exspecta-

militudine[29], novitate[30], historia[31], versu[32], aut ab alicujus interpellatione[33], aut arrisione[34]; et si promiserimus, aliter, ac parati fuerimus, nos esse dicturos; nos non eodem modo[35], ut ceteri[36] soleant, verba facturos; quid alii soleant, quid nos facturi simus, breviter exponemus.

VII. (VII.) Inter insinuationem et principium hoc[1] interest. Principium hujusmodi debet esse, ut statim[2] aper-

mus, aliud dicitur ». Idem ibid. c. 70: « Sed nihil magis ridetur, quam quod est præter exspectationem ». — Hæc Schütz. sed nonne *exspectationem* vocant rhetores quum exspectatio fit, aliudque exspectato dicitur? Sensum igitur illius accipiam, non correctionem. Vide ex. exspectationis de Or. II, 70.

29. *Similitudine*. Vide de Or. II, 66, ubi Tullius similitudinis genera esse dicit *collationem*, de qua supra, et *imaginem*, additque utriusque exempla.

30. *Novitate*. Novitatem placere omnibus apertum est; quomodo autem risum moveat non ita facile dixerim: novitatem Tullius inter ridiculi fontes non retulit in libro de Oratore, et in primo de Inventione exordiendum dicit de aliqua *re nova* aut *ridicula*. Videtur cl. vir J. V. *Leclerc* commodissime interpretatus ab istis vocibus, *preterea exspectatione*, non jam agi de ridiculo.

31. *Historia*. Vid. ex. hist. de Or. II, 66.

32. *Versu*. De Or. II, 64.

33. *Alicujus interpellatione*. Nihil de hoc Tullius in libris ante dictis; sed in ceteris ridiculi fontibus sæpe interpellationes occurrunt. Fortasse interpretandum quasi orator interpellatus arridente aliquo, ex ea re exordium sumat. Tullius simili loco, de ea re ex tempore quæ nata sit exordium sumendum dicit. Interpretatur cl. vir *Leclerc* tamquam non interpellatus sit orator, sed ab illo aliquis.

34. *Aut arrisione*. Hoc aptum nobis haud videtur. Quis enim exordienti oratori arrideret, ut is inde exordiendi rationem sumere posset. Ex Cic. de Inv. I, c. 17, conjicias, *acclamationem* hic reponendum esse. Sch. — Et jam corrigere tentaverat Lambinus, qui *irrisione* voluerat, oblitus jam supra dictum.

35. *Non eodem modo, ut*. Ed. 1474, « aliter quam ceteri ». Ern.

36. *Ut ceteri soleant*. « Ut soleant ceteri » cod. Aug. Sch.

VII. 1. *Hoc interest. Principium*. Sic dedimus e MSS et ed. Junt. vulg. « hoc interest quod princ. » Quædam vett. ut 1474 Med. *quia*. Sic et Grævius. Ern.

2. *Ut statim apertis rationibus*. Schütz. « Ut statim et aperte his rationibus ». Vulgo, inquit, « ut st. ap. rat. » Sed cod. Græv. et Duisb. bene « his rationibus ». Nos autem pro *apertis* dedimus *et aperte*, ducti loco simili ap. Cic. de Inv. I, c. 15, ubi principium sic definitur: « Est oratio perspicue et protinus perficiens auditorem benivolum ». Et sic h. l. *aperte* opponitur τῷ *occulte*.

tis rationibus, quibus[3] præscripsimus, aut benivolum, aut attentum, aut docilem faciamus auditorem : at insinuatio ejusmodi debet esse, ut occulte per dissimulationem eadem illa omnia conficiamus[4], ut ad eamdem commoditatem in dicendi[5] opere pervenire possimus. Verum hæ tres utilitates[6] tametsi in tota oratione sunt comparandæ, hoc est, ut auditores sese perpetuo nobis attentos, dociles, benivolos præbeant; tamen id per exordium causæ maxime comparandum est. Nunc, ne[7] quando vitioso exordio utamur, quæ vitia vitanda[8] sint, docebo. In exordienda causa servandum est, ut lenis sit sermo, et usitata[9] verborum consuetudo, ut non apparata oratio esse[10] videatur. Vitiosum exordium est, quod in plures causas potest accommodari, quod vulgare dicitur; item vitiosum est, quo nihilominus adversarius potest uti, quod commune appellatur; item illud, quo leviter com-

3. *Quibus præscripsimus.* Est ab antiquis MSS et Pall. nostris aliorumque. Vulgata *quas præsc.* genus dicendi a Græcia est, inquit Gulielmius, qui item monuit abesse Fabr. *apertis* et probat. Gruter.

4. *Eadem illa omnia conficiamus.* Inepte hic additur : « ut ad eamdem commoditatem in dicendi opere pervenire possimus »; in quo facile agnoscas magistri alicujus interpretamentum. Itaque ejecimus. Sch.

5. *In dicendi opere pervenire.* Sic MS Cort. ed. 1474 Med. Junt. Ald. et alii libri ap. Oudend. quod cum Grævio restituimus. *In dicendo* est e Lambini conjectura. Ern. — Certe redundant quæ Sch. omisit; at si quæ non prosunt omnia ejicias, dele in hac ipsa pagina *per dissimulationem*, idem nempe quod *occulte*; dele *hoc est... præbeant*; dele *causæ*. Sequamur igitur libros.

6. *Verum hæ tres utilitates.* Grævius legendum censebat : « Verum hæ tres ». Vulgata tamen ab auctoris consuetudine non abhorret. Sch.

7. *Nunc ne... docebo.* Hæc verba inter « oratio esse videatur » et « vitiosum exord. est » reponenda esse putat Schütz. e loco simili Cic. de Inv. I, 18, init.

8. *Vitanda sint.* Sic legendum esse pro *sunt*, per se intelligitur, et sic habent libri quidam apud Oud. MSS Cort. Lips. ed. 1474 Med. Ern.

9. *Et usitata. Ut usitata* ed. 1476, et quæ sequuntur, male, ut apparet ex sensu.

10. *Oratio esse videatur.* « Videatur esse », Ald. « Videatur esse oratio » aliæ veteres edd.

mutato adversarius poterit uti ex contrario[11]; item vitiosum est, quod nimium apparatis verbis compositum est[12], aut nimis longum est, et quod non ex ipsa causa natum videtur[13] (quod separatum vocatur; in quo etiam translatum includitur), ut proprie cohæreat[14] cum narratione : et quod neque benivolum, neque docilem, neque attentum facit auditorem. De exordio satis dictum est : deinceps ad narrationem transeamus.

VIII. (VIII.) Narrationum tria sunt genera[1]. Unum est, quum[2] exponimus rem gestam, et unumquodque

11. *Quo leviter commutato adversarius poterit uti ex contrario*. « Leviter commutato » quod abest ed. 1474, omnibus Ald. et pluribus MSS ap. Oud. Lips. Ernestio sapere glossam videbatur. Non assentior. Nam etiam Cic. de Inv. I, 18, in vitiosis exordiis numerat id, « quod ab adversario potest leviter mutatum ex contraria parte dici ». Sch.

12. *Quod nimium apparatis verbis compositum est*. MS Lips. et alius ap. Oud. et Erf. *apparate* pro *apparatis verbis*, it. ed. Med. 1474, quod non spreverim. Nam non modo verbis, sed etiam sententiis non debet esse apparatum nimis. *Est* autem delevi cum MS Leid. ap. Oud. et ed. 1474; nam nimis frequens est verbum illud. Ern.— Sch. « nim. apparate » edidit.

13. *Natum videtur*. MS Lips. *videatur*, quod melius puto. Itemque mox ed. 1474. Ern. — Male Ernesti legi volebat *videatur*. Inter verba *natum videtur* et *ut proprie*, etc. vulgo infercitur hæc parenthesis « (quod separatum vocatur, in quo etiam translatum includitur) ». Sed hæc recte absunt ab Ald. Nam moleste interturbant orationem, et sunt a magistro quodam ex alio quodam libro annotata. Jam Mich. Brutus insititia esse judicavit; itaque delevi. Sch.

14. *Ut proprie cohæreat*. Lambinus emend. « ut non proprie ». Sed e vulgata idem sensus oritur, propterea quod negatio jam inest in antecedentibus, « quod non ex ipsa causa natum videtur ». Cic. de Inv. I, 18, eamdem rem sic eloquitur : « separatum est, quod non ex ipsa causa ductum est, nec sicut aliquod membrum adnexum orationi ». Ceterum non opus est ut pro *narratione* hic reponamus *oratione*. Nam si exordium cum narratione, quæ est proxima pars orationis, bene cohæret, necesse est etiam cum tota oratione proprie cohæreat. Sch. — Sensus est igitur : « quod non ita natum ex ipsa causa videtur ut proprie cohæreat cum narratione ». *Proprie* cohærere dicitur, quod uni tantum accommodatur. Cui opponitur vulgare.

VIII. 1. *Narrationum tria sunt genera*. Alibi : « genera tria sunt ». Unde facilius intelligi possit cur desit in plerisque edd. *est* post *unum*. Ceterum hæc omnia de narratione prope ad verbum recurrunt in primo de Inventione, 19.

2. *Unum est, quum*. Addidi *est* e MSS pluribus et ed. 1474 Med. Junt.

trahimus ad utilitatem nostram, vincendi causa: quod pertinet ad eas causas[3], de quibus judicium futurum est. Alterum genus narrationis est[4], quod intercurrit nonnumquam fidei[5], aut criminationis, aut transitionis[6], aut alicujus apparationis[7], vel laudationis causa. Tertium genus est id, quod a causa civili remotum est: in quo tamen exerceri convenit, quo commodius illas superiores narrationes in causis tractare possimus. Ejus narrationis duo sunt genera: unum, quod in negotiis; alterum, quod in personis positum est[8]. Id, quod in negotiorum expositione positum est, tres habet partes[9], fabulam, historiam, argumentum. Fabula est, quæ neque veras, neque verisimiles continet res, ut hæ, quæ a tragœdis[10] traditæ sunt. Historia est res gesta, sed ab ætatis nostræ

quia alterum genus sine conjunctione cum primo hoc proponitur. Lips. Erf. et alii ap. Oud. etiam habent « unum est quum », item edd. Omnibon. Med. Junt. quod recepi; est enim sine dubio melius quam vulg. *quo*. Ernesti. — Abest *est* apud. Grut. qui etiam *quo* pro *quum* edidit.

3. *Quod pertinet ad eas causas.* Schütz. « quod genus pertinet a. e. c. » edidit e MS Cort. probante Ernestio. In Gryph. A. inquit, legitur « maxime pertinet »; sed hac limitandi particula hic non egemus.

4. *Alterum genus narrationis est.* Schütz. delet *narrationis*, auctore Ern. ut superfluum.

5. *Nonnumquam fidei*, id est, fidei faciendæ causa. Delevi *aut* ante *fidei*, quia in codd. antiquis apud Græv. et nostro Lips. item ed. Med. non est. Grævius etiam alterum delevit e cod. Put. quod non imitatus sum. Ern. — *Aut* merito a Gronovio et Ernestio abjectum. Sch.

6. *Aut transitionis.* Ut ab hac narratione commode ad rem ipsam transeamus, quo amplius hanc præparemus, apparemus. Wetz.

7. *Aut alicujus apparationis.* Ut auditoris animum paratum faciamus ad ea quæ dicturi sumus.

8. *Unum, quod in negotiis; alterum, quod in personis positum est.* In negotiis positum, quod gallice dicimus *un événement*; quod in personis, *une anecdote.*

9. *Partes.* I. e. *genera.*

10. *Ut hæ, quæ a tragœdis. Ut eæ* Ald. Ernesti « quæ tragœdiis ». Ed. 1474 Med. inquit, « a tragœdis ». Sic et MS Erf. et Voss. ap. Oud. Grævius edidit *tragœdis*. Bene. Ego tamen malui sequi, quod in pluribus esset. — Schütz. « quæ tragœdiis », cum Grutero. — Tragœdiæ autem non verisimiles a nostro dicuntur, quia admittunt id quod Galli dicimus, *le merveilleux;* et sane apud Veteres nodum fabulæ sæpe Dii solvunt.

memoria remota[11]. Argumentum est ficta res, quæ tamen fieri potuit; velut argumenta comœdiarum. Illud genus narrationis, quod in personis positum est, debet habere sermonis festivitatem, animorum dissimilitudinem, gravitatem, levitatem[12], spem, metum, suspicionem, desiderium, dissimulationem, misericordiam[13], rerum varietates, fortunæ commutationem, insperatum incommodum, subitam lætitiam, jucundum exitum rerum. Verum hæc in exercendo transigentur. Illud, quod ad veritatem pertinet, quomodo tractari conveniat, aperiemus.

IX. (IX.) Tres convenit res[1] habere narrationem, ut brevis, ut dilucida, ut verisimilis sit: quæ quoniam fieri oportere scimus, quemadmodum faciamus, cognoscendum est. Rem breviter narrare poterimus, si inde incipiemus narrare[2], unde necesse erit: et si non ab ultimo initio[3] repetere volemus; et si sum-

11. *Ab ætatis nostræ memoria remota.* Mirum, nisi isti Ciceronis libri sunt, quomodo de historiæ definitione cum libris de Inventione conveniant; quum ea definitio non vera sit, teste Gellio, V, 18, et Tacito, qui Annalibus res a temporibus suis remotas narravit, Historiis autem, suæ ætatis; teste etiam verbi etymologia et usu Græcorum, ut Wetzel. ostendit; teste denique ipso Cicerone, qui ut idem notavit ad Div. V, 12, 5, a Lucceio perfectam esse dicit Historiam belli civilis (Sullani), quod a. 673 finitum Lucceius viderat, qui a. 693 consulatum petebat.

12. *Levitatem.* Vulgo *lenitatem.* J. Gron. malebat e codd. MSS *levitatem*, quod et alii habent ap. Oud. et Græv. qui et recepit. Recte. Nam gravitati opponitur levitas, non lenitas. Itaque et nos sic dedimus, quamquam edd. nostræ consentiunt in *lenitas.* Ern. — De levitate vide ad Inv. I, 19. Wetz.

13. *Dissimulationem, misericordiam.* Inter hæc duo verba interserunt recentiores *errores.* Sed non comparet in ullo Pall. aut editione veteri. Gruter.

IX. 1. *Tres convenit res.* Ernesti: « tres res convenit ». Sic, inquit, MSS et edd. vett. usque ad Aldum, qui dedit *t. c. r.* molliorem orationem facturus.

2. *Si inde incipiemus narrare.* Schütz. delet *narrare*, auct. cod. Goth.

3. *Ab ultimo initio. Initio* Grutero suspectum fuit. Alibi sane, et non longe post, simpliciter dicitur « ab ult. » Græv. explicat modo, quomodo ultimum initium intelligat, non usu loquendi firmat. « Ab ultimo principio » dixit etiam Cic. de Inv. II, 5. Ern. — Addit alia quoque exempla Wetz. —

matim, non particulatim narrabimus; et si non ad extremum, sed usque eo, quo opus erit, persequemur[4]: et si transitionibus nullis utemur[5]; et si non deerrabimus ab eo, quod cœperimus exponere; et si exitus rerum ita ponemus[6], ut ante quoque, quæ facta[7] sunt, sciri possint, tametsi nos reticuerimus: quod genus est[8], si dicam: « me ex provincia redisse », profectum quoque in provinciam intelligatur. Et omnino non modo id quod obest, sed etiam id quod neque obest, neque adjuvat, satius est præterire. Et ne bis aut sæpius idem dicamus, cavendum est : etiam ne id, quod semel supra diximus, deinceps dicamus[9], hoc modo :

Ultimo initio, quo sensu infra II, 26: « a summo exordio »; et Corn. in Atticum, I, 1 : « ab ultima origine stirpis »; et Virgilius Æn. VII, 49, « ultimus auctor sanguinis ».

4. *Persequemur.* Sic dedi pro *prosequemur*, quod in hac sententia non dicitur. Illud habent MSS ap. Oud. tum Lips. Cort. edd. 1474. Junt. Ern.

5. *Transitionibus nullis utemur.* Clar. vir interpres: *si nous ne cherchons pas de transitions.* At Wetzel. quum ad hæc referat ea quæ paullo inf. p. 26 : « ne quam in aliam rem transeamus », nescio an melius sensum perspexerit. Duo enim loca confer. Videtur auctor bis eadem præcepta posuisse: « et si non ad ext. persequemur; — ne longe persequamur »; infra: « si non ab ult. init. repet. volemus;—ne ab u. repetemus »; inf. « si tr. nullis utemur »; — « ne quam in al. rem trans. » Obstare videtur quod inde sequitur, eadem omnino sententia. Ideo legendum proposuerim : « et si trans. null. utem. et non deerrab. ab eo q. cœp. exp. » deleta conj. *si.*

6. *Ita ponemus.* Sic dedimus ex MSS pluribus ap. Oud. etiam Cort. et edd. Med. Junt. (quibus Schütz. addit, codd. Erf. Voss. 3, et Leid.) vulgo *exponemus*, quod e vicino *exponere* ortum est. Finis rerum non exponitur, sed ponitur. Ern.

7. *Ante quoque, quæ facta sunt. Quoque*, quod h. l. otiose abundat, recte omittit cod. Aug. Itaque delevi. Sch.

8. *Quod genus est.* Sic MSS plerique et edd. pr. quod restitui, mutatum ab Aldo. — Hoc ut nexus orationis demonstrat, h. l. absolute ponitur, pro : *ut* aut *quomodo.* Itaque *est*, quod vulgo adjicitur, abest autem ab Aldina, delevimus. Sch. — Deleverat et Gruterus.

9. *Etiam ne id, quod semel supra diximus, deinceps dicamus. Semel* abest MS Lips. Id si genuinum est, recte judicat Grævius, bene in altero membro esse in cod. Duisb. « sæpius d. d. » Sed mihi *sæpius* e superioribus huc tractum videtur. *Supra* deinde Grævius auctore MS Erf. deleri vult. Abest etiam ed. Med. 1474. Sed id abesse non potest, quia opponitur τῷ

Athenis Megaram vesperi advenit Simo:
Ubi advenit Megaram, insidias fecit virgini[10]:
Insidias postquam fecit, vim in loco[11] attulit.

Rem dilucide narrabimus, si, ut quidque primum gestum erit, ita primum exponemus, et rerum ac temporum ordinem conservabimus, ut gestæ res[12] erunt, aut ut potuisse[13] geri videbuntur. Hic erit considerandum, ne quid perturbate, ne quid contorte[14], ne

deinceps, estque idem quod *ante* dictum est (velut versu primo), ne et post dicatur (versu secundo). Ern. — Schütz. scribit : « etiam ne quid, simul diximus, deinceps dicamus ». Vulgata, inquit, nec antecedentibus convenit, quia idem esset atque id, quod modo dictum fuerat : « ne bis aut sæpius idem dicamus »; nec exemplo, quod sequitur, satis respondet. Itaque correximus « ne quid s. d. d. dicamus », quod id ipsum est, quod sequenti exemplo illustratur. *Supra*, quod hic aptum non est, omittitur in codd. nonnullis. Emendationi nostræ favet Cic. de Inv. I, 20 : « et si non ab eo, in quo proxime desitum erit, deinceps incipietur ».

10. *Insidias fecit virgini*. Lambinus « insidiatur virgini » contra Pall. et Gull. neque versus labat : absorbetur enim prima syllaba a fine antecedentis. Gaut.

11. *Vim in loco*. Lambinus conj. « vim illico ». Sed « in loco » interpretor illo ipso loco, ubi insidiatus erat virgini. Sch.

12. *Ut gestæ res erunt*. Ante hæc verba Schütz. addit : « et si ita narrabimus ». Hæc supplenda erant, inquit, e loco simili Cic. de Invent. I, 20 : « Aperta autem narratio poterit esse, si ut quidque primum gestum erit, ita primum exponetur, et rerum ac temporum ordo servabitur, ut ita narrentur, ut gestæ res erunt, aut ut potuisse geri videbuntur ». Tria enim sunt, quæ hic dilucidam facere narrationem dicuntur : primum, ut, quæ prius facta sunt, etiam priusquam cetera memorentur; sunt enim, qui ab eventu secundo ac tertio incipiant, deinde id, quod primo loco accidit, quasi obliti suppleant : alterum, ut ne res cum rebus, aut tempora cum rebus aliter conjungamus, atque in ipso negotio fuerunt conjuncta; tertium, ut omnia, quæ ad negotium pertinent, ita referamus, ut res quasi ante oculos auditorum geri videatur.

13. *Aut ut potuisse*. Abest. *ut* ed. Med. 1498 et ed. 1476.

14. *Perturbate... contorte*. Illud ad priorem legem refertur; *perturbate* enim narrat, qui primum B, deinde C, deinde A refert, sic ut hoc tertio loco annectat, quod primo loco ponere debebat. *Contorte* autem narrat, qui errore, et lapsu memoriæ res alio ordine aliisque temporibus gestas esse refert, quam revera sunt gestæ. Sch. — Equidem putaverim *contorte* esse *laboriose*, *implicite*, gallice, ut ait vir cl. *Leclerc*, *entortillés*. Non ut Schütz. placuit, multo minus ut Wetzelio qui interpr. « nimis breviter, indeque obscure ». Et nostro sensui favere videtur allatum ab eo exemplum : « res

quid ambigue, ne quid nove[15] dicamus, ne quam in aliam rem transeamus, ne ab ultimo repetamus, ne longe persequamur, ne quid, quod ad rem pertineat, prætereamus; et si sequemur ea, quæ de brevitate præcepta sunt; nam quo brevior[16], eo dilucidior et cognitu facilior narratio fiet. Verisimilis narratio erit, si, ut mos, ut opinio, ut natura postulat, dicemus; si spatia temporum, personarum dignitates[17], consiliorum rationes, locorum opportunitates constabunt[18]: ne refelli possit[19], aut temporis parum fuisse, aut causam nullam, aut locum idoneum non fuisse, aut homines ipsos facere, aut pati non potuisse. Si vera res erit, nihilominus hæc omnia narrando conservanda sunt: nam sæpe veritas, nisi hæc servata sint, fidem facere non potest: sin erit ficta[20], eo magis erunt conservanda[21]. De iis rebus caute[22] confligendum

contortæ et difficiles». Cic. de Or. I, 58. Vide insuper quæ paullo infra : « quo brevior, eo dilucidior narratio erit ».

15. *Ne quid nove*. Hæc mihi suspecta, quia commodum hic sensum non habent, uti Oud. In ed. 1474 sunt alieno loco ante « ne quid contorte », in MS pariter non eodem loco. Ern. — *Nove* sine causa suspectum est Ernestio. Nam et Quintil. IV, 2, 36, damnat in narrationibus vocabula « ab usu remota », i. e. nova. Sch.

16. *Nam quo brevior*. Ed. 1474 adjicit *est;* quod minime probare debebat Ernesti. Nam consecutio verbi *fiet* id non patitur. Sensus enim hic est : « quo brevior fiet narratio, eo dilucidor fiet ». Sch.

17. *Personarum dignitates*. Ut ita quemque egisse narremus, prout ipso dignum fuerit, ab ipso exspectari potuerit; explicatur autem paullo post : « homines ipsi facere, aut pati potuerunt ». Wetzel.

18. *Constabunt*. Non repugnabunt sibi. Wetzel.

19. *Ne refelli possit*. Aptum huic loco verbum; itaque acumen laudandum conjectantium *referri*, sed non id etiam inferendum in contextum cum Lamb. repugnante omni supellectile librorum nostrorum calamo exaratorum. Gruter. — Schütz. « ne referri possit ». Ita scribendum esse, inquit, jam Lamb. monuit. *Refelli*, quod legitur in omnibus, alienum est, nec sic absolute ponitur.

20. *Sin erit ficta*. Schütz. « sin ficta ». Sic scripsimus, inquit, Oud. auctore, qui id in cod. Erf. invenit. — « Sin erunt ficta », ed. 1476.

21. *Erunt conservanda*. Schütz. *observanda*. Sic, inquit, cod. Aug. quod variandæ orationis causa prætulimus.

22. *Caute confligendum est*. Schütz.

est, quibus in rebus tabulæ, aut alicujus firma auctoritas, videbitur interfuisse.

Adhuc quæ dicta sunt, arbitror mihi constare cum ceteris artis scriptoribus, nisi quia de insinuationibus nova excogitavimus[23], quod eas soli nos, præter ceteros[24], in tria tempora divisimus, ut plane certam viam et perspicuam rationem exordiorum haberemus.

X. (x.) Nunc, quod reliquum est, quoniam de rerum inventione[1] disputandum est, in qua singulare consumitur oratoris officium[2], dabimus operam, ut nihilo minus industrie[3], quam rei utilitas postu-

« c. confingendum e. » Hanc lectionem, inquit, cod. Voss. et Leid. 2, 3, sensu postulante, prætulimus vulgatæ. Nam conflictio hic aliena est, ubi de narratione agitur. Aptissime autem hic præcipitur caute confingendum esse, si quis in his rebus narratione ficta utatur, in quibus tabulæ aut firma alicujus auctoritas interfuerit. Nam hic facile possit orator, qui impudentius mentiatur, mendacii convinci.

23. *Nova excogitavimus*. Schütz. « nova quædam e. », quod addit e cod. Aug. ut molliatur auctoris ostentatio. Sed cur ea mollienda, quum cetera ostentatione plena sint : « soli nos præter ceteros, etc. » Equidem juveniliter gaudere tenui inventione auctorem crediderim, sive Tullius est, sive quis alius. Delet « præter ceteros » Schütz. auctoribus Oud. et Ern. inopportune tamen crediderim, licet tanta nomina præsto sint.

24. *Quod eas soli nos, præter ceteros*. Sic MS Cort. et ed. 1474 : in *nos* etiam alii libri consentiunt, idque edidimus. Sed quidam libri, ut MS Cort. habent antea *insinuatione*, et inde h. l. *eam*, quod et in ed. Med. Junt. reperi, etsi habeant *insinuationibus*. Sed « præter ceteros » jure suspectum est Grævio; nec ullo modo convenit verbo *soli* in hac re, in qua nemo ante elaborarat. In iis rebus, in quibus plures elaborant, conjungi possunt. Ern. —Quid significaverit Ernesti, minime intelligo. Ante nostrum auctorem elaboraverant Græci, quibuscum sibi constare de ceteris rebus dicit.

X. 1. *De rerum inventione*. Hoc aptum non esse videri possit, quia de inventione totus hic liber agit. Defendi tamen potest sic, ut intelligatur inventio « rerum quæ proprie pertinent ad causam », h. e. « argumentorum ». Sic fere lib. III, c. 1, init. Sch. — Hoc minime dubium est, ut mirer Wetzelium quum hæc viderit, de claudicante sensu dixisse.

2. *Singulare... oratoris officium*. *Singulare* abest ab ed. 1474, male. Nam vult dicere summum et præcipuum. Tum quidam libri habent *artificium :* idque placet Oud. mihi non : nam solet opus oratoris *officium* appellare, ut supra c. 2, pr. Ern. — Mich. Brutus præfert *artificium* e cod. Gryph. Sed *officium* est id quod sæpe alias dicitur *munus*. Sch.

3. *Dabimus operam, ut nihilo mi-*

labit[4], quæsiisse videamur; si prius pauca de causarum divisione dixerimus.

Causarum divisio in duas partes distributa est. Primum enim perorata[5] narratione debemus aperire, quid nobis conveniat cum adversariis[6], et si ea, quæ nobis utilia erunt, convenient, quid in controversia relinquatur, hoc modo : « Interfectam esse matrem ab Oreste, convenit mihi cum adversariis : jurene fecerit[7], et licueritne facere, id est in controversia ». Item e contrario, « Agamemnonem esse a Clytæmnestra occisum confitentur : quum id ita sit, me ulcisci parentem[8] negant oportuisse ». Deinde quum hoc fecerimus, distributione uti debemus. Ea dividitur in duas partes, enumerationem et expositionem. Enumeratione utemur, quum dicemus numero, quot de rebus dicturi simus[9]. Eam plus quam trium partium numero[10] esse

nus industrie. In ed. 1474, ubi est *industriæ*, additur *studiose*, quod est glossema verbi *industrie*, quod in textum irrepsit. — *Industrie quærere* est magna cura magnoque labore quærere. Sic Cic. pro Dom. c. 11 : « industrius ac sæpius scribere ». Ern. — Schütz. *industrie.*

4. *Quam rei utilitas postulabit.* « Quæ res postulabit » cod. Aug. Sch.

5. *Primum enim perorata.* Schütz. delet *enim*, quod abest cod. Aug. ed. Med. 1498 et ed. 1476, et Gruter. Retinuit Ernesti e MSS Lips. ed. 1474 et Junt. — *Perorata*, absoluta. Quod non sine causa durius Wetz. videtur de narratione dictum.

6. *Cum adversariis, et si ea.* Vulg. « conveniat cum adversariis. Et si ea ». Ita addita copula ex editione 1474 conjunxi cum antecedente, quocum necessario cohæret. Nam exemplum subjectum convenit utrique. Ern. — Cujus auctoritatem Schütz. sequitur. Gruterus omisit *et*. In ed. Med. 1498 et edit. 1476 sic phrasis legitur : « conveniat cum adversariis, et quid in controversia relinquatur, si ea quæ nobis utilia erunt, convenient, hoc modo » : nisi quod ed. 1476 « in controversiis ».

7. *Jurene fecerit.* Sic MSS ap. Oud. Lips. Cort. ed. 1474. Sic enim dicitur, quum non sequitur *an* : et hic sequitur « et licueritne ». Ern. — *Licuerit.* Per leges naturæ. Wetzel.

8. *Ulcisci parentem.* Ed. 1474 abest *parentem*.

9. *Quot de rebus dicturi simus.* Sic pro *sumus* legendum esse facile quisque sentit. Ern.

10. *Eam plus quam trium partium numero esse non oportet.* Multi MSS et edd. 1474 Omniboni, Med. *contineri*. Juntina vero : « eam plerumque tr. p. n. contineri oportet » : quod non

non oportet : nam et periculosum est[11], ne quando plus minusve dicamus[12], et suspicionem affert auditori[13] meditationis et artificii; quæ res fidem abrogat orationi[14]. Expositio est, quum res, de quibus dicturi sumus[15], exponimus breviter et absolute[16].

(XI.) Nunc ad confirmationem et confutationem[17] transeamus. Tota spes vincendi, ratioque persuadendi posita est in confirmatione et confutatione : nam quum adjumenta[18] nostra exposuerimus, contrariaque dis-

spernendum. Nam Quintilianus reprehendit eos, qui necessario tripartitam esse debere dicant : nec hæc lectio librarium sapit. ERN. — Schütz. delet *numero*, quod librarii, inquit, inepte ex antecedentibus repetierunt; nec erat quod Ernesti probaret lect. Juntinam; quæ enim sequuntur, ostendunt antecedere oportere enuntiationem negantem. Hæc Sch. probante Wetzelio. — Gruterus nostram lect. habet : sic, inquit, Pal. pr. ac sec. at tertius et quint. « numero contineri n. op. » quartus : « ea plus quam trium partium uti non oportet », ex quibus liquet quantum sibi indulserit scribarum licentia.

11. *Nam et periculosum est.* Non dubito, inquit Ern. auctorem dedisse « periculum est ». « Periculosum est ne » dici, nec reperi, nec credo.—Schütz. qui dat *periculum* expunxit *est;* quia *periculum* commode potest regi a sequenti verbo *affert.*

12. *Ne quando plus minusve d.* Intell. ne aliquod divisionis membrum obliviscamur, aut aliquod inscii addamus.

13. *Affert auditori.* Si codices aliquot addicerent, *auditori* omittendum putarem. Intelligi debet; scribi nil erat hic opus. SCH.

14. *Fidem abrogat orationi.* Sic dedi pro *oratori* e MSS pluribus, edd. 1474, 1475. Med. Ald. et sic in hac re solet dicere Cicero. ERN.

15. *Quum res, de quibus dicturi sumus.* « Quum quibus de rebus dicturi sumus » codd. aliquot ap. Oud. « res de quibus rebus » cod. Aug. SCH. — *Quum res quibus de rebus* ed. Med. 1498 et ed. 1476, et Pall. Gruteri, qui tamen nostram lect. habet.

16. *Absolute.* Tota hæc divisionis ratio tribus rebus constat : 1° exponatur quid conveniat, quid in controversia sit; 2° enumeretur quibus de rebus simus dicturi; 3° ostendatur paucis quid sint eæ res. Luxuriant sane hæc omnia quum præceptionibus, tum verbis. De his tamen severius Wetzel.

17. *Et confutationem.* Hæc verba recte addidit Ernesti e codd. Duisb. Oud. ubi tamen ponuntur post *transeamus.* Nec sane omittere potuit auctor, qui supra *confutationem* diserte in partibus orationis numeraverat, et statim eam confirmationi adjungit. SCH.

18. *Nam quum adjumenta nostra.* Schütz. *argumenta.* Sic rescripsimus, inquit, e cod. Putean. Voss. 1, Leid. 1. Cur auctor h. l. verbo translato ac non potius proprio utetur, ubi primum de confirmatione agebat? Et *argumenti* vocabulum in eadem causa usurpat Cic. de Inv. I, 24.

solverimus, absolute nimirum munus oratorium confecerimus.

XI. Utrumque igitur facere poterimus, si constitutionem causæ cognoverimus. Causarum constitutiones[1] alii quatuor fecerunt: noster doctor[2] Hermes tres putavit esse; non ut de illorum quicquam detraheret inventione[3], sed ut ostenderet, id, quod oportuisset simpliciter ac singulari modo[4] docere[5], illos distribuisse dupliciter et bipartito[6]. Constitutio[7] est

XI. 1. *Causarum constitutiones.* I. e. quid causa contineat, qua in re posita sit.

2. *Noster doctor Hermes.* Sic cum Grævio edidimus e MSS pluribus, idque habet etiam ed. 1474, ed. Junt. plane omittit, uti MSS Med. Erf. et ed. R. Stephani, quod forte optimum. Ern. — Nomen proprium abest ab Oud. MSS sex. Lambinus emendandum putabat *Hermagoras*, quod in quibusdam libris inveniri dicitur. Sed hoc falsissimum est. Nam Cicero de Inv. I, 11, diserte docet, Hermagoram quatuor constitutiones fecisse, non tres. In cod. Altorf. super vocabulo *doctor* glossæ instar scriptum est: *Hermesis*. Sch. — *Hermetes* Gruter. Haud aliter, inquit, Victorius, et alludunt Pall. in quibus fere *Hermestes*, aut *Hermes;* nisi quod quartus ac sextus totum nomen omittunt, quemadmodum et Bruil. et Fabr. Gulielmius mallet nihil adesse, quam nomen falsum, utique quum et Nicolaus Angelius testatus fuerit, de suis in Italia omnibus, nihil comparare ibidem, præter « noster doctor tres ».

3. *Non ut de illorum q. d. inv.* Non quod vellet (sc. aliis, qui quatuor causæ const. fecerunt) laudem inventionis detrahere. Hunc etsi sensum habet clarissimi viri, cujus editionem sequuti sumus, gallica interpretatio credam interpretari posse: Admittebat hæc omnia quæcumque ceteri invenerant; aliter autem distribuenda putabat.

4. *Singulari modo.* Quid sit, ostendit opposita vox *bipartito*, ut v. *simpliciter* opponitur *dupliciter*.

5. *Docere.* Schütz. *doceri.* Sic legendum esse bene monuit Ernesti, inquit.

6. *Bipartito.* Id est, quæ debebat esse species una, ex ea fecere duas, atque ita e tribus constitutionibus fecere quatuor. Ern.

7. *Constitutio est prima deprecatio defensoris cum accusatoris insimulatione conjuncta.* Sensus est: Constitutionem causæ habebis, si sciveris hinc quid accusator objecerit, illinc quid prætenderit defensor. — Quas noster constitutiones dicit « conjecturalem, legitimam, juridicialem », tres, eas cum aliis Cicero quatuor facit, Inv. I, 8: « conjecturalem, definitivam, generalem, translativam ». Græcorum στοχασμὸν, ὅρον, ποιότητα, μετάληψιν: qua ultima omissa de tribus prioribus agit de Or. II, 25 et 26. Ex his igitur: *conjecturalem* uterque habet; *definitiva* Ciceronis est nostro auctori *definitio*, quæ est legitimæ pars, I, 12; Inv. I, 8: *generalem* autem dicit Cicero Inv. I, 11: « juridicialem et negotialem; » *translativa* Ciceronis est

prima deprecatio defensoris cum accusatoris insimulatione conjuncta. Constitutiones itaque, ut ante diximus [8], tres sunt : conjecturalis, legitima, juridicialis. Conjecturalis est, quum de facto controversia est, hoc modo : « Ajax in silva, postquam rescivit, quæ fecisset per insaniam, gladio incubuit. Ulysses intervenit : occisum conspicatur : e corpore telum cruentum educit. Teucer intervenit ; fratrem occisum [9] et inimicum fratris [10] cum gladio cruento [11] videt ; capitis arcessit ». Hic, quoniam conjectura verum quæritur, de facto erit controversia, et ex eo constitutio causæ conjecturalis nominatur. (XII.) Legitima constitutio est, quum in [12] scripto aliquid controversiæ nascitur. Ea dividitur [13] in partes sex : scriptum et sententiam [14], contrarias leges, ambi-

nostro *translatio* criminis quæ est *assumptivæ* pars, 14. *Assumptiva* autem est pars juridicialis, 14. Cf. infra ad c. 15. WETZEL.

8. *Ut ante diximus.* Schütz. delet *ante*, auctoritate cod. Altorf. Eo enim, inquit, hic nihil opus est, quum res de qua agitur paucos ante versus dicta esset.

9. *Fratrem occisum. Quum* ante *fratrem* delevi auctoritate MSS ap. Oud. pro quo nonnulli scr. et edd. ut Med. Junt. habent *ubi*. Illud *quum* peperit varietatem in seq. *videt*, pro quo reperitur in codd. *videat* et *videret*. Certe sic melior est oratio; forte etiam *et* delendum. Ed. 1474, *fratrem suum* ERN. — *Quum* recte omittitur Voss. 2, Leid. 3. SCH. — *Ubi occisum fratrem* ed. Med. 1498, et ed. 1476 « quum fr. occ. »

10. *Et inimicum fratris.* Schütz. delet *et*. Sic, inquit, omissa copula MSS. Oud. sex.

11. *Cum gladio cruento. Cruentato* ed. Med. 1498 et ed. 1476.

12. *Quum in scripto aliquid c. n.* Sic edidi, ut Grævio placebat, et est in cod. Duisb. Varietas est in libris scr. et edd. tanta, ut eam referre pigeat ; quæ omnis nata est a glossatoribus. ERN. — Burmannus legit « in scripto aut ex scripto ». Sic et cod. Aug. Oudend. conj. « quum scripto aliquid c. n. » SCH. — *Quum in scripto.* Seu in scripta lege, seu in scripto hominis, ut ex sequentibus exemplis patet, in quibus ambigua testamenti verba afferuntur. — *Quum ex scripto aut ex scriptis* ed. Med. 1498 et ed. 1476 ; « in scripto » ap. Cic. de Inv. II, 40, ubi tamen sequitur *ex scripto*, ut h. l. « ex scripto et sententia ». WETZEL.

13. *Ea dividitur in partes sex.* De quibus fusius agit infra II, 9 ; Cicero, Inv. I, 13, quinque habet, omissa translatione quam non partem legitimæ facit, sed quartam quæstionem. WETZ.

14. *Scriptum et sententiam.* Gallice, *la lettre et l'esprit.* — Grævius ex codd. addidit *in* ante scriptum.

guum, definitionem, translationem[15], ratiocinationem[16]. Ex scripto et sententia nascitur controversia, quum videtur scriptoris voluntas cum scripto ipso dissentire, hoc modo: « Si lex sit[17], quæ jubeat, eos, qui propter tempestatem navim reliquerint, omnia perdere; eorum navim, ceteraque esse, si navis conservata sit, qui remanserint in navi: magnitudine tempestatis[18] omnes perterriti navim reliquerunt, et in scapham conscenderunt[19], præter unum ægrotum; is propter morbum exire et fugere non potuit: casu et fortuitu navis in portum incolumis delata est: illam ægrotus possidet: navim petit ille, cujus fuerat ». Hæc constitutio legitima est ex scripto et sententia. Ex contrariis legibus controversia constat, quum alia lex jubet aut permittit, alia vetat quippiam fieri, hoc modo: « Lex vetat eum, qui de pecuniis repetundis

15. *Translationem. Translatio* autem id esse videtur quod gallice vocamus, *fin de non recevoir, question préjudicielle*, quum ad alios judices, alium accusatorem, aliud quæstionis genus transferri rem oportere contendimus. Vide ad finem capitis.

16. *Ratiocinationem. L'analogie.* Vide ibid.

17. *Si lex sit.* Sic plures MSS et edd. nostræ veteres omnes, 1474, Med. Junt. Ald. etiam Vict. Cratand. etc. quædam tamen « si sit lex ». Ern. — Schütz. « sit lex ». Ita legendum, inquit, cum pluribus editt. etsi Grævius, quem Oud. et Ern. sequuti sunt, e cod. Erf. Putean. edit. Steph. Cratand. et al. præferendum censuit « si sit lex ». Verum sic protasis caret apodosi.

18. *Magnitudine tempestatis omnes perterriti navim reliquerunt.* Sine dubio aliquid ante « magnitudine tempestatis » excidit, nempe initium narrationis. Nam si maxime addamus *quidam*, ut est in MSS Lips. et aliis ap. Oud. res non conficitur. Sed lacunæ explendæ nihil nec in scriptis, nec in editis reperi. Ern. — Schütz. qui addit *quidam* ante perterriti, censet, si ita legamus, non esse quod suspicemur quædam ante *magnitudine* excidisse. Cod. Aug. hanc lect. Ceterum conf. Cic. de Inv. II, 51, ubi eadem lex narratione paullo aliter informata illustratur.

19. *Et in scapham conscenderunt.* Sic edidi pro vulg. « scap. consc. » Nam in illo pæne omnes MSS, item edd. vett. consentiunt, diciturque bene latine « conscendere in navem ». Ern. — Gruterus delet *et in.* Sic, inquit, Pall. quart. et sext. quorum brevitas mihi placuit. — Lambinus reposuit ex optimis « et in sc. descenderunt », quod rei ipsi aptius recte judicat Wetzelius.

damnatus sit, in concione orationem habere. Altera lex jubet augurem, in demortui locum, qui petat, in concione nominare. Augur quidam damnatus de pecuniis repetundis, in demortui locum[20] nominavit: petitur ab eo mulcta.» Constitutio hæc legitima est ex contrariis legibus.

XII. Ex ambiguo[1] controversia nascitur, quum res in unam sententiam scripta[2], duas aut plures sententias significat, hoc modo: «Paterfamilias quum filium heredem faceret, testamento vasa argentea uxori legavit[3]. Tullius, heres meus[4], Terentiæ, uxori meæ, xxx pondo vasorum argenteorum dato, quæ volet. Post mortem ejus vasa pretiosa, et cælata magnifice,

20. *In demortui locum nominavit.* Veteres editiones habent «in d. locum, qui petat, nominavit». Abjeci duas voces insestrices loci non sui: «qui petat», auctoritate Pall. pr. sec. quart. sexti et Bruilerensis, tanto quidem magis quod esset in tertio «qui petebat». Gruter.

XII. 1. *Ex ambiguo. Ambiguum* de quo Cic. de Inv. II, 40. Græci ἀμφιβολία. Wetzel.

2. *Quum res in unam sententiam scripta, duas aut plures sententias.* Sic edidi, ut volebat Grævius e cod. suo, nec tam illo uno codice fretus, quam quia sic in omnibus edd. pr. reperi, 1474, Omnibon. 1475, Med. Junt. Ern.— Schütz. præfert: «quum re in unam sententiam scripta, scriptum duas aut plures sententias significat». Sic, inquit, nos arbitramur huic loco integritatem reddidisse. Quomodo enim dici possit «res sententias significare?» Emendationi nostræ favet varietas scripturæ. Vulg. editur cum Ald. et cod. Aug. «quum scriptum duas aut plures sententias significat». In cod. Erf. legitur: «quum res in unam sententiam scripta duas aut plures res significat».

3. *Legavit.* Sic dedi deleto «hoc modo», quod a MSS multis abest, item edd. 1474, 1475. Omnib. Med. Junt. Primus «hoc modo» dedit Ald. Gruterus dedit «hoc modo» non sine dubitatione. Pall. quartus, inquit, non habet illud «hoc modo» et non videtur esse auctoris: abesse potest profecto salva sententia; utpote quum illud neque agnoverit item Bruilerensis aut Fabr. Ern.

4. *Tullius, heres meus, Terentiæ, uxori meæ.* Schütz. delet *Tullius* et *Terentiæ.* Quum Cicero, inquit, de Inv. eamdem rem tractans exemplum hoc simpliciter sic efferat: «heres meus uxori meæ», facile patet, nomen «Tullii et Terentiæ» hic additum esse ab interpolatore qui libros ad Herennium a Cicerone scriptos esse putaret. Idem defendit Burmannus in præf. ad edit. librorum ad Herenn. et Cic. de Inv. p. XXXIII. — Et fuerint libri Ciceronis, mirum videtur quomodo juveni obvium fuerit futuræ uxoris nomen.

petit mulier[5]. Tullius se[6], quæ ipse velit[7], in xxx pondo ei debere dicit.» Constitutio est legitima ex ambiguo. Ex definitione constat causa, quum in controversia est[8], quo nomine factum appelletur; ea est hujusmodi : «Quum L. Saturninus legem frumentariam de semissibus et trientibus[9] laturus esset, Q. Cæpio[10], qui per id temporis quæstor urbanus erat, docuit senatum, ærarium pati non posse largitionem tantam. Senatus decrevit, si eam legem ad populum ferat, adversus remp. videri eum facere. Saturninus ferre cœpit. Collegæ intercedere; ille nihilominus cistellam detulit[11]. Cæpio, ut illum contra S.C. intercedentibus collegis, adversus remp. vidit ferre[12], cum viris bonis

5. *Petit mulier.* In antiquis sola Med. anni 1474 habet et Junt. Ceteræ *illa*. *Mulier* magis est e forma scribendi in talibus narrationibus. Ern. — Eamdem ante lectionem admiserat in editione sua Gruterus. Sic, inquit, omnino Pall. plerique et Gulielmiani.

6. *Tullius se.* Schütz. « filius se ».

7. *Quæ ipse velit.* Sic correxi vulg. « quæ i. volet », quod est e superioribus temere repetitum, et plane vitiosum ac contra regulam latinitatis. Vestigia veræ ac restitutæ lectionis sunt in MSS qui habent *vellet;* quod factum ex antiqua scriptura *velet* pro *velit*. Ern. — Gruterus : « quæ ipse volet »; sic omnino, inquit, Pall. plerique et Gulielmiani : prius editi, « quæ velit ipse ».

8. *Quum in controversia est.* Sic MSS plerique et edd. vett. omnes a quibus propter paucos scriptos non recedendum. Ern. — Gruterus « quum inde c. e. » Ita, inquit, Pall. pr. quart. Bruil. et Fabr.

9. *Legem frumentariam de semissibus et trientibus.* Ut civibus romanis pauperioribus pro illo pretio modii singuli frumenti venderentur. Wetzel.

10. *Q. Cæpio.* Prænomen e MSS pluribus et edd. pr. 1474, 1475, Mediol. restitui. Sic et Oud. Mox pro « per id temporis », aut malim *tempus* ex ed. 1474 reponere, aut *per* delere. Ernest.

11. *Cistellam detulit.* Sic vulgati omnes et Pall. ad unum. Lambinus e suis maluit *sitellam*. Gruter. — Cistella secundum cl. v. *Leclerc* arca, in qua lex includebatur. Aliter autem Wetzelius, cistella, inquit, cistula, cista, sitella, vas in quod tabellæ a civibus suffragia ferentibus conjiciebantur.

12. *Adversus rempublicam vidit ferre.* Hæc verba delerem, si unus liber adjuvaret; sunt enim sine dubio spuria, ex SCto repetita. Nam, hoc esse adversus rempublicam cerni non potest; actio modo cernitur. Interim uncis inclusi. Verba *contra SC.* si abessent, pariter non desiderarem, et absunt ab ed. Med. 1474, ab MSS fere

impetum facit, pontes disturbat, cistas dejicit[13], impedimento est, quo secius feratur lex : arcessitur Cæpio majestatis. » Constitutio est legitima ex definitione. Vocabulum enim definitur ipsum, quum quæritur, quid sit minuere majestatem.

Ex translatione controversia nascitur, quum aut tempus differendum, aut accusatorem mutandum, aut judices mutandos reus dicit. Hac parte constitutionis, Græci in judiciis, nos in jure civili[14] plerumque utimur. In hac parte nos juris civilis scientia juvabit[15]. In judiciis tamen nonnihil ea utimur, hoc modo[16]: « Si quis peculatus accusetur[17], quod vasa argentea publica de loco privato dicatur sustulisse, possit dicere, quum definitione sit usus, quid sit furtum, quid peculatus; secum furti agi, non peculatus oportere ». Hæc partitio legitimæ constitutionis his de causis raro venit in judicium, quod in privata actione[18] prætoriæ

SC. abest et solum *contra* relinquitur, quod sic est in ed. Junt. Ernest. — Sequutus est Ernest. Schütz. Qui cur juvenem scriptorem peccasse nolint, non intelligo.

13. *Pontes disturbat, cistas dejicit.* Haud secus Pall. nostri, nisi quod sec. « gradus pontis disturbat, cistam dejicit », quod ipsum pro interpretamento habuerim, aliter quam placitum Lambino. Gruter. — *Pontes*, id est, ponticulos per quos adibantur cistæ, in quas tabellæ mitterentur. V. *lex Maria*. Ern.

14. *Hac parte constitutionis, Græci in judiciis, nos in jure civili.* Judicia h. l. sunt causarum publicarum, sicut et mox dicuntur : « in judiciis tamen nonnihil ea utimur » : nam sequitur judicium peculatus. *Jus* vicissim *civile* dicitur de causis privatis, et judiciis causarum privatarum, quale judicium est furti, quod post commemoratur, et distinguitur a peculatu, quod est furtum publicum. Ern.

15. *Scientia juvabit.* Sic edidi e MSS melioribus et edd. pr. 1474, 1475, Med. Junt. Ald. Vict. etc. pro « maxime adjuvabit ». Ern.

16. *Nonnihil ea utimur, hoc modo.* Abest *ea* ed. Med. 1498 et ed. 1476. — Pall. quart. et Bruil. ostendunt « utimur ut hoc modo ». Quis non videt « hoc modo » delendum esse, retento *ut?* Grut.

17. *Accusetur* edidi pro *accusatur* e MS Lips. quia id latinitas desiderat, et sine libro omni sic corrigi dudum debebat, ut omnes sentient admoniti. Ernest.

18. *Quod in privata actione.* Delevi *et* post *quod*, auctoribus codd. Lips. Cort. et edd. pr. 1474, Med. Junt. Ald. etc. et re jubente ipsa. Ern.

exceptiones sunt [19], et causa cadit is, qui non, quemadmodum oportet, egerit; et in publicis quæstionibus cavetur legibus, ut ante, si reo commodum sit, judicium de accusatore fiat, utrum illi liceat accusare, necne.

XIII. (XIII.) Ex ratiocinatione controversia constat, quum res sine propria lege venit in judicium, quæ tamen ab aliis legibus similitudinem quamdam aucupatur. Ea est hujusmodi: « Lex est, Si furiosus escit [1], agnatorum gentiliumque [2] in eo pecuniaque ejus potestas esto [3]. » Et lex, « Qui parentem necasse judicatus erit, ut is obvolutus [4] et obligatus corio, devehatur in profluen-

19. *Prætoriæ exceptiones sunt.* MSS quidam et edd. vett. *fiunt.* Sed id leve. Mox pro *oportet*, ed. 1474 *oporteret.* Si esset *oportebat*, placeret. Sed illa sunt verba juris : « qui non egerit ut oportet ». Ernest. — *Exceptiones prætoriæ* ex edictis prætorum institutæ. De Inv. II, 19. Wetzel. — J. V. *Leclerc : des fins de non recevoir.*

XIII. 1. *Lex est, Si furiosus escit. Exsistet* Ernesti ex libris vett. Vide etiam Inv. II, 50. Gruterus « s. f. exsistit ».

2. *Agnatorum gentiliumque.* Non dubitavi dare quod plerique MSS et edd. vett. omnes habent, hic et paullo post, nihil moratus rationem quam, in præferenda lectione paucorum librorum, *agnatum*, sequuti sunt quidam viri docti : qui existimarent, hoc esse ex ipsis duodecim tabulis sumptum. Mihi hæc ratio non satis apta videtur. Profecto non necessarium est, auctorem horum librorum in præceptis scribendis, quum exempla poneret, leges afferre voluisse secundum latinitatem priscam. Nam ita etiam dedisset cetera aliter : non *exsistit*, sed *escit*, non *legaverit*, sed *legassit*, et similia. Ern. — *Agnatum* Gruterus et infra. Sic, inquit, Pall. quart. sext. Fabr.

3. *Potestas esto.* Schütz. delet *et lex*, « *Qui parentem . . . profluentem* ». Quid ista lex, inquit, ad rem, de qua quæritur, an parricida damnatus in carcere testamentum facere possit? Manus interpolatorum hic grassatas esse, magis etiam prodit cod. Aug. in quo legitur : « obvolutus corio lupino, imposito gallo, simia, serpente, devehatur, etc. » Totam denique legem hic ab alia manu adjectam esse confirmat Cic. de Inv. II, 50, ubi tres tantum leges in eadem causa afferuntur. Schützio assentitur clarissimus vir J. V. L.

4. *Ut is obvolutus.* Gronovius in MSS duobus reperit hoc loco *ut is*, idque, ut legum formulis simile, probabat. Sic et MS Lips. et edd. Med. Junt. Itaque *ut* addidi vulgatæ. MS aliquis habuit *os obvol.* id e sequentibus correctum est. *Os obvolvitur* iis, quibus caput occultatur, ne agnoscantur, ut post in eo, qui in carcerem ducitur, nec ad supplicium parricidarum pertinet, qui toti culeo insuun-

tem. » Et lex, « Paterfamilias uti super familia pecuniave sua legaverit, ita jus esto». Et lex, «Si paterfamilias intestatus moritur, familia pecuniaque ejus agnatorum gentiliumque esto. Malleolus[5] judicatus est matrem necasse; ei damnato statim folliculo lupino os obvolutum est, et soleæ ligneæ pedibus inductæ sunt[6], et in carcerem ductus est. Qui defendebant eum[7], tabulas in carcerem afferunt; testamentum ipso præsente conscribunt[8]; testes rite[9] affuerunt : de illo supplicium paullo post sumitur[10]; ii, qui heredes erant testamento, hereditatem adeunt. Frater minor Malleoli, qui eum oppugnaverat in ejus periculo[11], suam vocat hereditatem lege agnationis. Hic certa lex in rem nulla affertur, et tamen multæ afferuntur, e quibus ratiocinatio nascitur, quare potuerit, aut non potuerit jure testamentum facere». Constitutio legitima est ex ratiocinatione. Cujusmodi partes essent legitimæ constitutionis ostendimus: nunc de juridiciali constitutione dicamus.

XIV. (XIV.) Juridicialis[1] constitutio est, quum factum

tur. Pro *corio* quidam edidere *culeo*, sed sine libris : nec necesse est. Ern.

5. *Malleolus.* Ille fuit primus Romæ parricida, anno U. C. 653, quum Cic. sex annos natus esset. Vid. Tit. Liv. Epit. l. 68; Paul. Oros. v. 16. Wetz.

6. *Inductæ sunt.* MS Lips. *indutæ.* Ern. conj. *inditæ* et sic Voss. I improbante Oud. *Indutæ* est etiam Cic. de Inv. II, 50, ubi alii legunt *inditæ.* Sch. — Bruil. « ferreæ in pedibus », quod *in* restat etiam in Pall. pr. quart. sext. Gruter.

7. *Qui defendebant.* Schütz. *defenderant.* Sic necessario scribendum, inquit, « qui defendebant eum » non cadit in hominem jam damnatum.

8. *Testamentum ipso præsente conscribunt.* Lips. *conscribitur.* Ern. — Schütz. « heredes, quos jubet, scribunt ». Editio Mediol. inquit, habet : « testamentum ipso præsente conscribunt, heredes, quos jubet, scribunt »; ex quo intelligitur priorem phrasin ex interpretatione posterioris natam esse. Et ap. Cic. de Inv. II, 50, in eadem narratione dicitur : « heredes, quos ipse jubet, scribunt ».

9. *Testes rite affuerunt. Recte* habent MSS plures, edd. 1474, 1475, ed. Med. quod prope prætulerim. Ernest.

10. *Supplicium paullo post sumitur. Paullo post* abest a vett. quibusd. edd.

11. *In ejus periculo.* Tria hæc verba resipiunt glossam interpretis. Grut.

XIV. 1. *Juridicialis.* De qua fusius

convenit; sed jure, an injuria factum sit, quæritur. Ejus constitutionis partes sunt duæ, quarum una absoluta[2], altera assumptiva[3] nominatur. Absoluta est, quum id ipsum, quod factum est, ut aliud nihil foris assumatur, recte factum esse dicemus. Ea est hujusmodi: « Mimus quidam nominatim Accium[4] poetam compellavit in scena[5]: cum eo Accius[6] injurarium agit: hic nihil aliud defendit, nisi licere nominari eum[7], cujus nomine scripta dentur agenda ». Assumptiva pars est, quum per se defensio infirma est, sed assumpta extraria[8] re comprobatur. Assumptivæ partes sunt quatuor: concessio[9], remotio criminis[10], translatio criminis, comparatio. Concessio est, quum reus postulat sibi ignosci:

agit infra, II, 13. Cf. de Inv. II, 23, nomen ipsum molestum dicit esse Top. 24. Analogice tamen ex græco δικανικὸν translatum. Wetzel.

2. *Absoluta*. Quasi in se perfecta, non alia qua re perficienda. Cf. infra II, 13, quam Quintilianus VII, 4, 5, vocat defensionem absolutam. Wetz.

3. *Assumptiva*. Assumere foris, extrinsecus, aliquid solens. Gr. προσληπτική. Quint. VII, 4, 7: qua factum per se improbabile assumptis extrinsecus auxiliis tuemur. Wetz.

4. *Accium*. Ea causa vere judicata est a P. Mucio Scævola, condemnatusque is qui poetam in scena nominarat.

5. *In scena*. Sic MS Duisb. ed. Med. Asc. Aldi, etc. Ergo non est e conjectura Bechichemi, ut Gruterus ait, qui saltem ed. Med. posterior fuit. *Cœnaculo*, pro quo est in Junt. *scœnaculo*, ortum e « scena cum eo », nam in MS *cœnaculo* est, sine *cum eo*. Et *cœnaculum* plane alienum: quod significat partem summam ædium, ubi habitabant tenues homines, mimi, libertini, etc. ibi nominari contumeliæ causa nemo poterat. Et firmat lectionem *in scena* locus similis II, 13. Ernesti. — Quæ probat Schütz.

6. *Cum eo Accius*. Ed. 1474 habet *in eo*. Ern.

7. *Nominari eum*. MSS plures et edd. vett. ut Omnib. Med. *nominare*. Ernesti.

8. *Extraria re*. Hæc lectio quam Oud. probat, confirmatur Cic. de Inv. II, 50: multi cum Ald. *extranea*. Sch. — *Extraria* fere omnes libri nostri, nisi quod quidam *ex contraria*, et ita infra de hac ipsa constitutione: « sine ulla assumptione extrariæ defensionis »; ubi Lambinus non debuit inculcare *extraneæ*, neque aliter editio Stephani. Gruter. — *Ex extranea re* ed. Med. 1498. *Ex contraria re* ed. 1476.

9. *Concessio*. De qua fusius agit infra. Præterea II, 16, de Inv. II, 31.

10. *Remotio criminis*, *translatio criminis*. Schütz. « translatio criminis, remotio criminis ». Transponendas duximus, inquit, has partes, quia postea auctor, ubi eas pertractat, illum ordinem sequitur. Vide c. 15.

ea dividitur in purgationem, et deprecationem. Purgatio est, quum consulto se negat reus fecisse. Ea dividitur in fortunam, imprudentiam, necessitatem[11]. Fortunam, « ut Cæpio ad tribunos pl.[12] de amissione exercitus : » imprudentiam, « ut ille, qui de eo servo[13], qui dominum occiderat, supplicium sumpsit[14], cui frater esset, antequam tabulas testamenti aperuit[15], quum is servus manumissus testamento esset : » necessitudinem, « ut ille, qui ad diem commeatus non venit, quod eum aquæ interclusissent. » Deprecatio est, quum et peccasse se, et consulto fecisse[16] reus confitetur, et tamen postulat, ut sui misereantur[17]. Hoc in judicio fere non potest usu venire, nisi quando[18] pro eo dicimus, cujus multa recte facta constant.

11. *Necessitatem.* Schütz. *necessitudinem.* Sic, inquit, cum Lambino et aliis, quia postea in explicatione divisionis eadem forma verbi recurrit, scribere malui, quam, ut vulgo, *necessitatem.*

12. *Ad tribunos plebis. Tribunum* edd. vett. aliquot, ut 1474. Omnib. Med. 1474. Med. altera, Junt. item MSS aliquot : qua sensum nil refert. Ern. — Restituit *tribunum* Wetzel. quia unus Norbanus accusaverat. Cæpionem defendit L. Crassus orator. De quo vid. Brut. et lib. de Orat.

13. *Ut ille, qui de eo servo.* Sensus loci et causa est : servus occidit dominum. Ejus frater supplicium sumit statim de servo, qui morte fratris suus factus erat, ni testamento alius heres esset, antequam testamentum aperuisset. Id quum postea factum esset, repertum est, illum servum testamento liberum factum; fueratque adeo liber statim morte domini. Itaque serviliter tractari non debuerat. Hoc nomine lis intenditur ei a quo occisus erat pro servo. Ern.

14. *Supplicium sumpsit, cui frater esset.* Hæc verba « cui frater esset », post *sumpsit* collocata, Ernesti monente Schütz. retraxit ante *supplicium.*

15. *Testamenti aperuit.* Schütz. *aperuisset.* Hoc tempus, inquit, hic requiritur : non *aperuerit*, ut olim, aut *aperuit*, ut postea editum est. — Satius est legere *aperuit*, euphonia suadente; quum nec sensus, nec latinitas repugnet.

16. *Et peccasse se, et consulto fecisse reus.* Abest *se* post *peccasse* ed. Med. 1498 et ed. 1476. « Et consulto reus fecisse » eædem edd. — Pall. primus habet alio positu : « Et consulto fecisse et se peccasse reus confitetur ». Gruter. — De deprecatione vide de Inv. I, 11; II, 34.

17. *Ut sui misereantur.* Schütz. *misereatur.* Sic ed. 1476.

18. *Nisi quando.* Hic locus vitiosa interpunctione obscurus erat, « nisi quando . . . injiciemus. Hoc modo, etc. » Quidam MSS et edd. interpungunt etiam sic : « hoc modo. In l. c. » male. Ernesti.

Hoc modo in loco communi per amplificationem injiciemus: « Quod si hoc fecisset, tamen ei pro pristinis beneficiis ignosci conveniret : verum nihil postulat ignosci ». Ergo in judicium non venit; at in senatum [19], aut ante imperatorem et in consilium [20] talis causa potest venire.

XV. (xv.) Ex translatione criminis [1] causa constat, quum fecisse nos non negamus, sed aliorum peccatis coactos fecisse dicimus: ut « Orestes quum se defendit, in matrem confert crimen ». Ex remotione criminis causa constat, quum a nobis non crimen, sed culpam ipsam amovemus [2], et vel in hominem transferimus, vel in rem quampiam conferimus. In hominem transfertur: ut « si accusetur is, qui P. Sulpicium [3] se fateatur occidisse, et id jussu consulum defendat [4], et eos dicat non modo imperasse, sed rationem quoque ostendisse, quare id facere liceret ». In rem confertur, ut, si quis, ex testamento quod facere jussus sit, ex plebiscito vetetur. Ex comparatione [5] causa constat,

19. *At in senatum*. Ed. Med. 1498 et 1476, « sed aut in senatum ».

20. *Aut ante imperatorem et in consilium*. Recte Ernesti indicavit, hæc non duo membra esse, sed eamdem rem, nempe imperatoris consilium significari, ut in eadem re Cic. de Inv. II, 37, mentio tantum fit « senatus et consilii ». Sch. — Consilium militare imperatorum, ex legatis, tribunis primique loci ducibus constitutum. Wetz.

XV. 1. *Translatione criminis*. Cf. II, 15. Paullo alio sensu fuit supra *translatio* legitimæ pars quinta, c. 11. Quam autem hic « translationem criminis » nominat, hanc in primo de Inv. c. 11, *relationem* criminis dicit. Item in secundo, c. 26, 28.

2. *Sed culpam ipsam amovemus*. Pronomen *ipsam* insititium esse puto; si esset « non crimen ipsum, sed culpam »; probarem. Ern. — Quam lectionem Schütz. prætulit.

3. *P. Sulpicium*. Vide de Or. III, 3. Ern. — Occisus est Sulpicius anno U. C. 665, jussu Sullæ, quum Marius Minturnis lateret.

4. *Et id jussu consulum defendat*. Sic Pall. et olim impressi, nisi quod Pall. pr. non habeat voculam *id*, tert. vero ejus loco *se*. Posterius editi, « et id jussu consulum se fecisse defendat », ex supervacuo. Gruter. — Quæ sequuntur quo spectent non video. Nam removetur crimen et si rationem imperii coss. non ostenderint.

5. *Ex comparatione*. Recte cum Grævio Ernesti delevit *criminis* vulg.

quum dicimus necesse fuisse alterutrum facere, et id quod fecerimus, satius fuisse facere. Ea causa hujusmodi est: « C. Popillius[6], quum a Gallis obsideretur, neque effugere ullo modo posset, venit cum hostium ducibus in collocutionem; ita discessit, ut, si impedimenta[7] relinqueret, exercitum educeret. Satius esse duxit, amittere impedimenta, quam exercitum: exercitum eduxit, impedimenta reliquit; arcessitur majestatis ».

XVI. (XVI.) Quæ constitutiones, et quæ constitutionum partes sint, videor ostendisse[1]. Nunc quo modo eas, et qua via tractari conveniat, demonstrandum est; si prius aperuerimus, quid oporteat ab ambobus in causa destinari, quo ratio[2] omnis totius orationis conferatur. Constitutione igitur reperta[3], statim quærenda est ratio: ratio est[4], quæ causam facit, et continet defensionem, hoc modo (ut docendi causa in hoc

additum: abest autem a multis codd. ut Oud. omnibus, item ab ed. Mediolana, edit. 1474. Juntina et aliis. Sch. — Gruterus qui eam vocem admisit, dubito, inquit, de voce *criminis*, an sit legitima. Neque enim agnoscunt aut vetuste editi, aut Pall. quatuor priores, Fabr. codex. Invenit primum Victorius.

6. *C. Popillius.* Lænas, legatus L. Cassii Longini consulis. Cf. IV, 24; Cæs. bell. Gall. I, 12; Liv. epit. 65. Accusatum autem a Cœlio trib. pl. fuisse cognoscis ex Cic. Legg. III, et quidem majestatis, quum milites rom. sub jugum ab hoste essent missi, obsidibus ante datis. Wetz.

7. *Ut, si impedimenta.* Sic voluit edi J. Gronovius e MS Med. Sed operæ non paruerunt. Sic et MS Leidensis apud Oudendorpium. Ita ultima « exercitum eduxit, impedimenta reliquit » non sapiunt glossam, ut Grutero videbatur. Ante pro *collocutionem* in MS Cort. fuit *colloquium*. Ernesti. — Schützius Gronovium et Ernestium sequutus est.

XVI. 1. *Videor ostendisse.* Delevi *satis*, quod elegantius abest. Non habent MSS Gron. nostri et alii apud Oudendorpium, nec editio Mediol. 1474, et Junt. Delevit et Grævius. Ern. — Quem Schütz. probat et sequitur.

2. *Ratio omnis totius orationis.* Gallice: *tout le système du discours*. Quid sit ratio in variis locis, vide II, 17, 18; de Inv. I, 13; II, 5.

3. *Constitutione igitur reperta.* Sic Pall. sic Bruil. sic antiquitus cusi. Neoterici voce adjecta: « C. i. causæ reperta ». Gruter.

4. *Ratio est.* Abest a codd. nonnullis, non male. Ernesti.

potissimum consistamus[5]) : « Orestes, quum confiteatur se occidisse matrem, nisi attulerit facti rationem, perverterit[6] defensionem : ergo affert eam; quæ nisi intercederet, ne causa quidem esset : illa enim, inquit, patrem meum occiderat ». Ergo (ut ostendi) ratio ea est, quæ continet defensionem, sine qua ne parva quidem dubitatio potest remorari damnationem. Inventa ratione, firmamentum[7] quærendum est; id est, quod continet accusationem, quod affertur contra rationem defensionis, de qua ante dictum est. Id constituetur hoc modo : « Quum usus fuerit Orestes ratione, hoc pacto, Jure occidi, illa enim patrem meum occiderat »; utetur accusator firmamento; hoc pacto[8] : « Sed non abs te occidi[9], neque indemnatam pœnas pendere oportuit ». Ex ratione defensionis, et ex firmamento accusationis, judicii quæstio nascatur oportet; quam nos judicationem, Græci κρινόμενον appellant. Ea

5. *Ut docendi causa in hoc potissimum consistamus.* Ernesti dat « in hac potissimum causa c. » Addidimus *causa*, inquit, quod habent nostri omnes et Oud. item ed. Med. 1474, nec potest hic verbum intelligi e præcedente, ubi aliter verbum dicitur. — At Schütz. de lectione Ernestii : Non placet, inquit, *causam* ter sic deinceps poni, diverso præsertim significatu. *In hoc* pertinet ad modum s. exemplum, quo utitur, illustrandi causa.

6. *Perverterit.* Pall. tres *pervertit*, ut et lectio vulg. Bruil. et Pall. tertius, quart. sext. *perverterit*, quod Gulielmio non displicuisse videtur ideoque admisimus. Gruter.

7. *Firmamentum quærendum est; id est, quod continet accusationem.* Melius Pall. pr. et Bruil. item Liliensis collegii liber : « firmam. quær. est id quod cont. » Gruter. — Lectionem nostram habent omnes ab Ernestio edd. quid sit autem *firmamentum* haud liceat absolute indicare. Hic videbis esse aliquam confirmationem accusationis, gall. *une réplique de l'accusateur,* qua defensionis ratio labefactetur. In primo de Inv. dicetur, « firmissima defensoris argumentatio ».

8. *Hoc pacto.* Sic cum Grævio e MSS et edd. vett. Ern. — *Hoc modo* ed. 1476, ed. Med. 1498 et Gruter.

9. *Sed non abs te occidi.* Gruterus, « sed non abs te tamen occidi ». Prima vocula, inquit, videtur addita a mala manu. Sane non exstat in Pall. pr. quart. sext. Ejusque loco habet tert. quint. « at non abs te » sine dictione *tamen*, quæ quoque non est in antiquioribus edd. aut Pall. quarto aut sexto. — Delevi *tamen*, inquit Ernesti, quod abest a MSS nostris, et aliis ap. Oud. et edd. 1474, 1475.

constituetur[10] ex conjunctione firmamenti et rationis defensione[11], hoc modo: «Quum dicat Orestes, se patris ulciscendi causa matrem occidisse, rectumne fuerit, a filio, sine judicio, Clytæmnestram occidi». Ergo hac ratione judicationem reperire convenit. (XVII.) Reperta judicatione, omnem rationem totius orationis eo conferri oportebit.

XVII. In omnibus constitutionibus et partibus constitutionum hac via judicationes reperientur, præterquam in conjecturali constitutione. Nam in ea nec ratio, quare fecerit, quæritur[1]; fecisse enim negatur: nec firmamentum exquiritur; quoniam non subest ratio. Quare ex intentione et infitiatione judicatio constituitur, hoc modo: intentio[2]: *Occidisti Ajacem.* Infitiatio: *Non occidi.* Judicatio: *Occideritne?* Ratio omnis utriusque orationis, ut ante dictum est, ad hanc judicationem conferenda est. Si plures erunt constitutiones, aut partes constitutionum; judicationes quoque plures erunt in una causa, sed omnes[3] simili ratione reperientur.

Med. Junt. Nonnulli libri etiam habent *at* pro *sed*, quod efficacius est.

10. *Ea constituetur.* Sic edidi pro *constituetur*, quia præcipiendi formæ et consuetudini auctoris magis convenit. Sic mox « judicationes reperientur ». Et sic est in MSS plerisque et edd. primis 1474, Med. Junt. etc. Ern. — Probante Schütz.

11. *Ex conjunctione firmamenti et rationis defensione*: Delevimus *defensione*, quod præter rem additur. Sch. — Et est, ni fallor, omnino delendum, nullum enim hoc servato sensum video.

XVII. 1. *Nam in ea nec ratio, quare fecerit, quæritur.* Sic MSS plerique et edd. pr. nisi quod v. c. Ald. « in ea enim » habet. Etiam Grævius dedit *in ea*, sed sine *nam* aut *enim*, quod et posset abesse, nisi librorum consensus juberet addere. In Gruteriana, et eam sequutis, male etiam *in* omittitur. Ern. — Schütz. « Nam in ea nec ratio quæritur quare fecerit », ex Aldina; verborum quasi collocatio sit concinnior.

2. *Intentio : occidisti.* Delevi copulam *est*, quæ ab meis codd. et pluribus apud Oud. et omn. edd. meis antiquis abest. Ern. — *Intentio.* Intenditur crimen in Ulyssem Ajacis interfecti, quod Ulysses infitiatur.

3. *Sed omnes simili.* MSS quidam addunt *et*, ante *omnes*, idque omnes edd. vett. usque ad Aldum habent, qui delevit. MS Lips. habet *ea* pro *sed*, quod non spreverim. Ern.

Sedulo dedimus operam, ut breviter et dilucide, quibus de rebus adhuc dicendum fuit, diceremus. Nunc quoniam satis hujus voluminis magnitudo crevit, commodius est in altero libro de ceteris rebus deinceps exponere; ne qua, propter multitudinem literarum[4], possit animum tuum defatigatio retardare. Sed si quo tardius hæc, quam studes[5], absolventur, quum rerum magnitudini, tum nostris quoque occupationibus assignare[6] debebis. Verumtamen maturabimus, et quod negotio deminutum[7] fuerit, exæquabimus industria: ut pro tuo in nos officio et nostro in te studio munus hoc accumulatissime[8] tuæ largiamur voluntati.

4. *Ne qua, propter multitudinem literarum.* Schütz. delet hæc verba: « pr. mult. lit. » jam Grutero de glossa suspecta. Nam, inquit, quod in his verbis inest, jam significatum erat istis: « quoniam satis huj. vol. mag. crevit ». Interpolator fortasse ea sumpsit e Cic. de Inv. II.

5. *Sed si quo tardius hæc, quam studes.* Sic libri veteres scr. et edd. pro vulg. « hæc tardius ». Grævius etiam probabat « quæ studes », e cod. Erf. nec putabat latinum esse, « quam studes ». Sed hic non est sermo de artibus ipsis, quas discere cupiebat, sed de cupiditate legendi præcepta amici; et præcedens *tardius* requirit *quam*. *Studere* pro *cupere* dici bene latine, non video quomodo dubitari possit: at « studere literas, artes » an bene dicatur, incertum est. Hic provocat Grævius ad Or. post Red. c. 6. Sed ibi ipse e MSS prætulit *literis*, et Brut. 93, vera lectio est « studuisse literis », nec aliter ausus est edere J. Gronov. quamquam ei accusativus placebat. Ern. — Schütz. « sed si tardius hæc », deleto *quo*. Sic edidi, inquit, secundum ed. Med. pro vulgato, *s. s. q. t.* quod ingratam facit amphiboliam. Ald. « sed si quidem ». — Grut. « sed si quo hæc tardius »; est a plerisque, inquit, Pall. item Fabr. et Bru. aliæ edd.

6. *Assignare.* Tarditatem hanc meam.

7. *Et quod negotio deminutum. De negotio*, ed. 1476. *Diminutum*, Gruterus. Sic intellige: et quod, otii, spatii ad « exsequendam voluntatem tuam negotia » abstulerint, illi supplebimus industria nostra.

8. *Accumulatissime.* Non parce, sed larga manu, potentiorum instar civium qui munera populo dant, μέτρῳ ut Christus ap. Lucam, VI, 38, loquitur, σεσαλευμένῳ καὶ ὑπερχυνομένῳ. Wetzel.

M. T. CICERONIS
RHETORICORUM
AD C. HERENNIUM
LIBER SECUNDUS

ARGUMENTUM

E SCHUTZII EDITIONE DESUMPTUM.

In hoc libro auctor præmissa brevi quum dictorum superiori libro tum dicendorum summa, cap. 1; pergit exponere, quæ ad confirmationem et confutationem in genere judiciali pertinent; ita ut initium faciat docendi, quibus argumentationibus in unaquaque parte generis judicialis uti conveniat, cap. 2-17.

Itaque primum, cap. 2 seqq. de causa conjecturali agit; et quoniam hujus constitutionis sex partes sunt, agit 1° de probabili, per quod probatur expedisse reo peccare, et a simili turpitudine hominem numquam abfuisse, cap. 2, 3; 2° de collatione, quum accusator id, quod adversarium fecisse criminatur, alii nemini, nisi reo, bono fuisse demonstrat; 3° de signo, per quod ostenditur idonea perficiendi facultas esse quæsita, cujusmodi sunt locus, tempus, spatium, occasio, spes perficiendi, spes celandi, cap. 4; 4° de argumento, per quod reus coarguitur certioribus judiciis et magis firma suspicione, cap. 5; 5° de consequutione, quum quæritur, quæ signa nocentis et innocentis consequi soleant, cap. 6; 6° de approbatione, qua utuntur oratores ad extremum confirmata suspicione. Approbationis loci dividuntur in locos proprios, quibus nisi accusator, et nisi defensor nemo potest uti, et utriusque communes. Hujus generis sunt, qui dicuntur, a testibus, contra testes, a quæstionibus (h. e. ratione quærendi e servis per tormenta), contra quæstiones, ab argumentis, contra argumenta, a rumoribus, contra rumores, cap. 7.

Secundo loco agitur de partibus legitimæ constitutionis, cap. 8 seqq. et quidem 1° de causa, in qua voluntas scriptoris cum scripto dissidere videatur, cap. 8, 9; 2° de duabus legibus inter se discrepantibus, cap. 10; 3° de ambiguo, cap. 11; 4° de causa in qua definitione opus est, cap. 12; 5° de translationibus et 6° de causa rationali, cap. 12 extr.

Tertio loco de partibus juridicialis constitutionis agitur, cap. 13 seqq. ubi primum absoluta spectatur, in qua reus ipsam rem,

quam fecisse confitetur, jure factam dicit sine ulla assumptione extrariæ defensionis. In hac igitur juris partes adhibentur, quæ sunt natura, lex, consuetudo, judicatum, æquum et bonum, pactum, cap. 13. Deinde assumptiva pars juridicialis constitutionis consideratur, doceturque, quid ab accusatore et defensore fieri debeat, 1° in comparatione, ubi quæritur, utrum satius fuerit agere id quod reus dicat se fecisse, an id quod accusator dicat oportuisse fieri, cap. 14; 2° in translatione criminis, cap. 15, quum ab reo facti causa in aliorum peccatum transfertur; 3° in concessione, cap. 16, 17, per quam reus sibi ignosci postulat, sive se purgando, sive deprecando.

Expositis igitur argumentationibus in unaquaque judicialis generis parte adhibendis, docet auctor, quemadmodum ipsæ argumentationes ornate et absolute tractari possint, cap. 18 seqq. Itaque primum partes argumentationis enumerantur ac definiuntur, propositio, ratio, rationis confirmatio, exornatio, complexio, cap. 18, 19. Deinde secundum ordinem harum partium, quæ vitanda sint in singulis vitia, commonstratur, cap. 20-29.

Jam absoluta de ceteris partibus orationis in causa judiciali disputatione (dictum enim erat de exordio, narratione, divisione, confirmatione et confutatione), sequitur locus de conclusionibus, cap. 30 seqq. ubi 1° de enumeratione, 2° de amplificatione, 3° de commiseratione, cap. 31, agitur.

M. T. CICERONIS
RHETORICORUM
AD C. HERENNIUM
LIBER SECUNDUS.

I. (1.) In primo libro, Herenni, breviter exposuimus quas causas recipere oratorem oporteret, et in quibus officiis artis elaborare conveniret[1], et ea officia qua ratione facillime consequi[2] posset. Verum, quia neque de omnibus rebus[3] simul dici poterat, et de maximis primum scribendum fuit, quo cetera tibi faciliora cognitu viderentur; ita nobis placitum est[4], ut ea, quæ difficillima essent, potissimum conscriberemus[5].

Causarum[6] tria sunt genera, demonstrativum, deliberativum, judiciale[7]: multo difficillimum est judi-

I. 1. *Et in quibus officiis artis elaborare conveniret.* Schutz. delet *artis* cum Lambino. Oudend. conj. « in quibus partibus officia artis elaborare conveniret », præeuntibus aliquot MSS; et sic cod. Aug.

2. *Officia...consequi.* I. e. finem his officiis propositum consequi. Wetz.

3. *Verum, quia neque de omnibus rebus.* Sic Pall. et vett. edd. nisi quod in Pal. pr. non adsit *rebus*, quam vocem nec requiram. Vulgati hodie *verum quod neque.* Grut. — Schütz. delet *rebus*, auctoritate Pal. pr. et Puteau.

4. *Ita nobis placitum est.* MSS nostri duo, item Leid. ap. Oud. habent *itaque.* Videntur *ita* hoc sensu cepisse: quod non est. Nec enim esset bene latinum, sed germanizans. Eleganter dixit *ita pl. e.* i. e. placuit rem ita tractare, ut. Ernest. — Quem Sch. probat et sequitur. Vid. Inv. II, 11.

5. *Conscriberemus.* Quod Ernesti prætulit τῷ *scriberemus*, ut exquisitius.

6. *Causarum.* Cod. Aug. edd. *itaque c.* Sch.

7. *Judiciale : multo difficillimum est judiciale.* Schütz. « judiciale, quod multo difficillimum est » ex editione 1474, quæ lectio placebat Ernestio. Pro *multo* Junt. *modo.*

ciale; ergo id primum absolvemus. Hoc et priore libro[8] egimus, quum de quinque oratoris officiis tractaremus[9], quorum inventio et prima, et difficillima est. Ea quoque nobis erit[10] hoc in libro propemodum absoluta, et parvam partem[11] ejus in tertium volumen transferemus. De sex partibus orationis primum scribere incepimus[12]: in primo libro loquuti sumus de exordio, narratione, divisione, nec pluribus verbis quam necesse fuit, nec minus dilucide quam te velle existimabamus: deinde conjunctim de confirmatione et confutatione dicendum fuit: quare genera consti-

8. *Hoc et priore libro.* Sic Pall. et vett. edd. Nam recentes, præposita vocula: *De hoc*, etc. Gruterus « hoc et in priore l. »

9. *Quum de quinque oratoris officiis tractaremus.* Haud secus Pall. Gul. vett. edd. nam mediæ ætatis, « quum de orat. officiis tractabamus ». Grut. — « Quum de oratoris officiis quinque » ed. 1476.

10. *Ea quoque nobis erit.* Agit enim a c. 2 ad cap. usque 29 de constitutionibus tribus earumque oratori tractandarum ratione. Wetzel.—Schütz. *eaque* Lambino auctore.

11. *Et parvam partem.* Hoc enim libro II, quum quomodo genus causarum judiciale accommodari possit inventioni, demonstravit, libro III idem demonstrat in genere deliberativo et demonstrativo, breviter tamen, nec nisi cap. 2. —MSS plures et edd. vett. usque ad Ald. *sed parvam p.* ut etiam Lambinus edidit, quod prope magis placet. Ernest. — Schütz. restituit *sed parvam p.* ut ad nexum orationis melius quam vulg.

12. *De sex partibus orationis primum scribere incepimus.* Enumeratio hæc tam prolixa, valde ineptit: nam certe paucula admodum de his supra dixit: et, næ, miserabili erant memoria quibus tam cito illa exciderant. Gruter. — Schütz. *instituimus.* Mira, inquit, hic est varietas lectionis. Edd. Grut. (tamen in nostra Grut. adest *incepimus*) et al. « De sex part. orat. pr. scribere incipiemus ». Lambini ed. et cod. Putean. « De sex part. orat. pr. scribere instituimus ». Cod. Duisb. « De sex part. orat. scribere incepimus ». Cod. Grævii: « De sex part. orat. primum scribere incepimus ». Cod. Erf. totam hanc περιοχὴν sic repræsentat: « Ea quoque nobis erit hoc libro propemodum absoluta. Parvæ partes ejus duæ in volumen transferentur, ubi de sex partibus orationis primum scribere incipiemus »; qua in lectione omissum esse numerum III post *volumen*, quum recte vidisset Grævius, ceterum hanc lectionem injuria probat. Nam de sex partibus auctor jam primo libro dicere inceperat. Nos lectionem ita, ut sensus et concinnitas postulabat, constituimus, addicente cod. Duisb. in quo abest *primum*. — Ed. Med. 1498, ed. 1476: « Quum de sex part. orat. scribere incipiemus ».

tutionum et earum partes aperuimus; ex quo simul ostendebatur, quomodo constitutionem et partes constitutionis, causa posita, reperiri oporteret: deinde docuimus, judicationem quemadmodum quæri conveniret: qua inventa, curandum, ut omnis ratio totius orationis ad eam conferatur[13]: postea admonuimus esse causas complures, quibus plures constitutiones aut partes constitutionum accommodarentur.

II. Reliquum videbatur esse, ut ostenderemus, quæ ratio posset inventiones ad unamquamque constitutionem aut partem constitutionis accommodare: et item quas argumentationes, quas Græci ἐπιχειρήματα appellant, sequi, et quas vitari[1] oporteret: quorum utrumque pertinet ad confirmationem et confutationem. Deinde ad extremum docebimus, cujusmodi conclusionibus orationum uti oporteat: qui locus erat extremus[2] de sex partibus orationis.

13. *Curandum, ut omnis ratio tot. orat. ad eam conferatur.* Ed. 1474: « curandum est, ut omnes rationes... conferantur ». Ernest. — Ed. 1476: *ad eamdem.* — Ed. Med. 1198: « ad eamdem conferretur ». Post *conferatur* in omnibus edd. adjiciuntur ista: « Postea admonuimus esse causas complures, quibus plures constitutiones aut partes constitutionum accommodarentur ». Sed hoc est ineptissimum scioli cujusdam emblema: nam quod auctor primo loco se exposuisse ostendit, id continetur lib. I, c. 11-16. Deinde de *judicatione quærenda* egerat, c. 16-17. Ergo nihil amplius aut ibi tractatum erat, aut hoc loco repetendum. Præterea in his verbis nihil est, quod non jam melius dictum sit priore loco: « quare genera... oporteret ». Schutz.

II. 1. *Quas argumentationes, quas Græci ἐπιχειρήματα appellant, sequi, et quas vitari.* Sic plerique MSS et edd. vett. omnes usque ad Aldum, quem ceteræ sequutæ sunt, ut in plerisque aliis; nisi quod v. c. ed. 1474 habet primum *quasnam*; alia secundo loco *quasque*. Correctioni in *quales* locum fecit medium *quas* ante ἐπιχ. ubi fortasse, e latinitate meliori, *quæ* legendum, quam in hac forma sæpe librarii corrupere. Ernest. —Schütz. *quæ Græci;* sic, inquit, Ernesti scribendum esse conjecit; nec abnuerim, si auctorem nostrum spectemus ex more Ciceroniano in hujusmodi græcorum verborum explicationibus. — Idem Schütz. *vitare.* Activum, inquit, consecutio postulat, quum præcedat *sequi.* Ἐπιχειρήματα syllogismi quorum utraque præmissa probatione addita confirmatur.

2. *Extremus.* Schütz. *postr.* e cod.

(II.) Primum ergo quæremus quemadmodum quamque causam tractari conveniat : et nimirum conjecturalem, quæ prima et difficillima est[3], potissimum consideremus. In causa conjecturali, narratio accusatoris suspiciones interjectas et dispersas habere debet[4], ut nihil actum, nihil dictum, nusquam ventum, aut abitum, nihil denique factum sine causa putetur. Defensoris narratio simplicem et dilucidam expositionem debet habere, cum attenuatione suspicionis. Hujus constitutionis ratio in sex partes est distributa[5] : probabile, collationem, signum, argumentum, consecutionem, approbationem. Horum unumquidque[6] quid valeat, aperiemus.

(III.) Probabile[7] est, per quod probatur, expedisse reo peccare, et a simili turpitudine hominem numquam abfuisse. Id dividitur in causam et in vitam. Causa est ea, quæ induxit[8] ad maleficium, commodorum[9] spe, aut incommodorum vitatione : ut quum quæritur, num

Pith. variandæ orationis causa adscivit.

3. *Et nimirum conjecturalem, quæ prima et difficillima est.* Pall. prim. « conjecturalem earum quæ est difficillima ». Omissis ceteris : nam sec. « conject. ea quæ difficillima est ». Bruilerenses : « nimirum quæque difficillima est » ; quod et in quarto, præterea quod *et quæ* non *quæque*, omisso prorsus illo *conjecturalem*. Vett. edd. « conject. quæ prima quæque difficillima est ». Grut. — *Prima* ordine; nam quærere utrum res vera sit an falsa prius est quam judicare bene an male facta sit.

4. *Habere debet.* *Debet habere* Aug. Schutz.

5. *In sex partes est distributa.* Cicero tres facit hujus argumentationis partes paullo aliter, Inv. II, 5-16, quum veris. c. *signum* faciat partem probabilis, nec non comparabilis partes constituat exemplum et collationem, Inv. I, 30. Wetzel.

6. *Unumquidque.* *Unumquodque* Ald. ed. 1476.

7. *Probabile.* Cf. Tullii definitionem de Inv, I, 29. Wetzel.

8. *Quæ induxit.* Cod. Pithœanus addit *reum*. *Inducit* ed. 1476, et aliæ.

9. *Commodorum spe.* MSS nostri duo habent *comm. appetitione* : item ed. 1474 (quæ et post *evitatione*). Accuratior quidem disjunctio foret ; et mox opponuntur *appetere* et *vitare*. Sed tam paucis auctoribus h. l. confidere non sum ausus : et post etiam est eadem forma. Ernest.

quod commodum maleficio appetierit[10], num honorem, num pecuniam, num dominationem; num aliquam cupiditatem amoris, aut hujusmodi libidinis voluerit explere: aut num quod incommodum vitarit, inimicitias, infamiam, dolorem, supplicium.

III. Hic accusator in spe commodi[1] cupiditatem ostendet adversarii[2], in vitatione incommodi formidinem augebit: defensor autem negabit fuisse causam, si poterit, aut eam vehementer extenuabit; deinde iniquum esse dicet, omnes, ad quos aliquid emolumenti ex aliqua re pervenerit, in suspicionem maleficii devocari. Deinde vita hominis ex ante factis spectabitur. In quo primo[3] considerabit accusator, num quando simile quid fecerit. Si id non reperiet, quæret, num quando venerit in similem suspicionem; et in eo debebit esse occupatus, ut ad eam causam peccati, quam paullo ante exposuerit, vita hominis possit accommodari[4], hoc modo: « Si dicet pecuniæ causa fecisse, ostendet eum semper avarum fuisse; si honoris, ambitiosum: ita poterit animi vitium cum causa peccati conglutinare ». Si non poterit par animi vitium[5] cum

10. *Appetierit.* Haud aliter manuscripti et nostri et Gulielm. item edd. ant. poster. *acquisierit*, longe deterius. Grut.—Hanc tamen Aldi lectionem non ineptam putat Wetzel.

III. 1. *In spe commodi*, i. e. in ostendendo quid commodi maleficio appetierit adversarius, ut et infra *in vitatione commodi* significat: in ostendendo quid incommodi vitare voluerit.

2. *Cupiditatem ostendet adversarii.* Schütz. delet *ostendet*. Jam Gruterus, inquit, deleri volebat *ostendet;* cui obsequutus sum, quia hic non tam agitur de demonstranda re, quam de augenda et amplificanda, ut verbum *augebit* concinnius ad utrumque membrorum referatur.

3. *In quo primo.* Schütz. *primum*. MSS plures, inquit, ap. Grut. et Græv. *primum*, omissis *in quo*. Hoc ad sonum h. l. gratius prætulimus, servato tamen *in quo*. — « In quo primum » est in ed. 1476.

4. *Ad eam causam peccati q. a. p. e. vita h. possit accommodari*. Id est, appareat ceteram hominis vitam cum hoc maleficio convenire. Quod paullo inferius dicit: « animi vitium cum causa peccati conglutinare ».

5. *Par animi vitium*. Schutz. delet *animi*. *Animi*, inquit, temere ex an-

causa reperire, reperiat dispar. Si non poterit avarum demonstrare, demonstret[6] corruptorem[7] vel perfidiosum, si quo modo poterit[8]; denique aliquo aut quam plurimis vitiis contaminabit personam : deinde qui illud fecerit tam nequiter, eumdem hoc[9] tam perperam fecisse non esse mirandum. Si vehementer castus et integer existimabitur adversarius, dicet facta, non famam spectari oportere; illum ante[10] occultasse sua flagitia; se planum facturum, ab eo maleficium non abesse. Defensor primum demonstrabit vitam integram[11], si poterit : id si non poterit[12], confugiet ad imprudentiam, stultitiam, adolescentiam, vim, persuasionem : quibus de rebus vituperatio eorum, quæ extra id crimen erunt, non debeat assignari[13]. Sin vehe-

tecedentibus repetitum recte omittunt Aug. Ald. Sic Cic. de Inv. II, c. 10 : « atque ex dispari quoque genere culparum, si ex pari sumendi facultas non erit ».

6. *Si non poterit avarum demonstrare, demonstret.* Lambinus edidit, « demonstrare, quem pecuniæ causa dicat maleficium fecisse, demonstret », ex codice, inquit, manuscripto; sed tale nihil invenit Gulielmius in suis, nec ego in Pall, aut vetustissimis edd. et vero, si quo reperiuntur in libro, fuere adjecta a glossatore. GRUT.

7. *Corruptorem.* Qui aliis pecunia corruptis, et suis facultatibus perditis, certe deminutis, jam avarus esse possit. WETZEL.

8. *Vel perfidiosum, si quo modo poterit.* Edd. vett. « v. perfidum, si quoquo m. p. » — *Perfidiosi*, qui per fidem decipiunt eos quicum contraxerunt, ut in re privata qui socios fallunt, in publica qui depeculantur ærarium. Plaut. Cist. I, 1, 74 : « Perfidiosus 'st amor : ergo in me peculatum facit ». Divinatione : « si ille apud te postea cœnavit, utrum te perfidiosum an prævaricatorem existimari mavis? » Videt necesse esse alterutrum, eadem significatione, qua hic; ea re non audit membranas suas Gulielmius, in quibus invenit *perfidum*, quod et jam in Pall. reperi; sed primus tamen expressit alterum. GRUTER.

9. *Eumdem hoc tam perp. f.* Pro *hunc* dedi *hoc* e MSS nostris et edd. vett. quarum tamen prima 1474 habet *nunc*, et mox addit *hoc* : quod si quis malit, patiar. *Hoc* quidem necessarium facit disjunctio perspicua : qui *illud* fecerit, eumdem, etc. ERNEST. quem Sch. probat et sequitur.

10. *Illum ante occult. Illum autem* cod. Aug. male. SCH.

11. *Vitam integram. Famam integram* Pal. primus. GRUTER.

12. *Id si non poterit.* Schutz. *sin autem.* Sic, inquit, Voss. 1, quod certe non est a librario aut glossatore. Est enim exquisitius.

13. *Quibus de rebus vit. eor. q*

menter hominis turpitudine impedietur[14] et infamia, prius dabit operam, ut falsos rumores dissipatos esse dicat de innocente; et utetur loco communi, rumoribus credi non oportere. Sin nihil horum fieri poterit, utatur extrema defensione, et dicat, non se de moribus ejus apud censores, sed de criminibus adversariorum apud judices dicere.

IV. (IV.) Collatio[1] est, quum accusator id, quod adversarium fecisse criminatur, alii nemini, nisi reo, bono fuisse[2] demonstrat : aut alium neminem potuisse perficere, nisi adversarium : aut eum ipsum aliis rationibus aut non potuisse, aut non æque commode potuisse, aut eum fugisse alias rationes[3] com-

extra id crimen erunt, non debeat assignari. Schützius : « quibus rebus vituperatio eorum, quæ extra id crimen erunt, debeat assignari ». Primum, inquit, præpositionem delendam censui, ut *quibus rebus* cum verbo *assignari* copuletur; deinde negandi particulam, ut sententia constet. Sensus enim hic est : quibus rebus, nempe imprudentiæ, stultitiæ, si qua fuerint rei extra id crimen, quo de agatur, peccata, assignari et attribui debeant. Sic Cic. de Inv. II, c. 11, ubi idem argumentum persequitur : « sin autem in acta vita aliquæ turpitudines erunt . . . . . . imprudentiæ, necessitudini aut persuasioni adolescentiæ, aut alicui non malitiosæ animi affectioni attribuentur ». — Hæc Sch. servanda tamen quæ delevit censuerim, quum sensus sic interpretari possit, ut Wetzelius ostendit : « et has ob causas non alia crimina in hunc qui semel in illo quod fatemur peccarit, devolvi posse ». Addit ille ex Quintil. IX, 4, 29 : « assignatur et infigitur auditori ».

14. *Sin vehementer hominis turpitudine impedietur.* Schütz. « s. v. vitæ hominis t. i. » Lambinus, inquit, quum in uno cod. invenisset *vita hominis*, inde fecit *vitæ hominis.* Gulielmius tamen *vita hominis* tenendum putabat, ut « vita hominis impediatur » exquisitius dictum sit pro *polluetur*, quod Nonius quoque *impedire* aliquando pro *sordidare* et *probrum inducere* dici confirmet. Verumtamen exquisitior locutio Plautina hujus loci simplicitati haud convenire videtur; et Lambini lectionem confirmat similis locus Cic. de Inv. II, c. 11 : « ac si nullo modo vitæ turpitudo aut infamia leniri poterit oratione ».

IV. 1. *Collatio.* De collatione vide Tullium de Inv. I, 29.

2. *Bono fuisse.* Sic recte Lambinus e MSS, ut paullo post. SCHÜTZ. — Vett. edd. *bonum f.* et item infra.

3. *Fugisse alias rationes.* Sic pro *effugisse*, quod utique latinitati non satis in hoc sensu convenit, dedimus, auctoribus MSS pluribus etiam nostris, et edd. vet. ut Med. Junt. ERNEST. —

modiores propter cupiditatem. Hoc loco defensor demonstret oportet, aut aliis quoque bono fuisse, aut alios quoque id, quod ipse insimuletur[4], facere potuisse. Signum est[5], per quod ostenditur idonea perficiendi facultas esse quæsita. Id dividitur in partes sex : locum, tempus, spatium, occasionem, spem perficiendi, spem celandi. Locus quæritur, celebris, an desertus; semper desertus[6], an tum, quum id factum sit, fuerit in eo loco solitudo; sacer, an profanus; publicus, an privatus fuerit: cujusmodi loci attingant; num, qui est passus[7], perspectus aut exauditus esse possit. Horum quid reo, quid accusatori conveniat, perscribere non gravaremur, nisi facile quivis, causa posita, posset judicare: initia enim inventionis ab arte debent proficisci; cetera facile comparabit exercitatio. Tempus ita quæritur: qua parte anni; qua hora[8] : noctu, an interdiu : qua diei, qua

Quem Sch. probat. Hic est ordo verborum : « alias rationes fugisse illum; non intellectas illi fuisse ».

4. *Insimuletur. Simuletur* Grut. nescio qua auctoritate; sed multo melius retinuerunt post eum omnes : « quod insimuletur (fecisse) ».

5. *Signum est.* Cf. de Invent. I, 30, et Quint. V, 9. Wetz.

6. *Semper desertus, an tum.* Vitiose Ald. « semper tantum an tum ». Sch. — Inserui verbum *desertus* suadentibus cunctis ad unum manuscriptis et edd. vett. Primum removit puto Victorius. Gaut.

7. *Num, qui est passus.* Edit. 1774, « numquid qui est passus », quod non spreverim. Sic et Mediol. in qua tamen abest *qui*, ut in codicibus Grævianis, qui *numquid* habebant. Ernest. — Schützius dat « num qui quid est passus ». Sic rescripsi, inquit, e vestigiis cod. Leid. 3, in quo legitur : « numquid qui est passus ». Vulgatum : « num qui est passus », sic absolute positum haud sine causa suspectum erat Grævio. Sed quum dicitur : « num, qui quid est passus », potest intelligi *necem, verbera, stuprum.* Hic enim infinite dicitur, quod de re certa IV, 41, his verbis exprimitur : « paullo post in ipso (loco) vox illius, qui occidebatur, audita ». Ceterum Oudendorpii conjectura, *numquid patrasse*, inutilis est.

8. *Qua hora.* Hæc verba spuria puto. Omnino est confusio hoc loco tanta in libris, ut eum refingere cum fiducia non sim ausus; servavique quod erat in ed. Gronovii. Ernest. — Hanc esse glossam puto, scribente aliquo ὥρα græce ut interpretaretur verba : *parte anni.*

noctis hora[9] factum esse dicatur, et cur[10] ejusmodi temporibus. Spatium ita consideratur : satisne longum fuerit ad eam rem transigendam, et potueritne scire[11], satis ad id perficiendum[12] spatii futurum. Nam parvi refert satis spatii fuisse ad id perficiendum, si id ante sciri et ratione provideri non potuit[13]. Occasio quæritur, idoneane fuerit[14] ad rem adoriendam, an alia melior, quæ aut præterita sit, aut non exspectata. Spes perficiendi quæ fuerit[15], spectabitur hoc modo : si, quæ supra dicta sunt signa, concurrerint[16]; si præterea ex altera parte vires, pecunia, consilium, scientia, apparatio videbitur fuisse[17]; ex altera parte imbecillitas, inopia, stultitia, imprudentia, inapparatio de-

9. *Qua diei, qua noctis hora. Qua die* ed. 1476; *quota noctis hora* ed. 1498 Med, « qua die, quota hora » Aub. — Pal. tertius aggerit nobis : « qua hora, nocte an die, an inter noctem et diem, et qua die, et quota parte noctis, et quota hora ». GRUT.

10. *Et cur ejusmodi.* « Et cujusmodi » Ald. male. SCHUTZ. — « Et cur ejusmodi temporibus ». Elegans emendatio quam eruit e Fabriciano Gulielmius : sed ego nunc etiam firmo auctoritate Pal. pr. et tert. neque abludit sec. quart. sext. nisi quod ii, *et cum ejusmodi.* Vulgo est *et cujusmodi temporibus*, nulla bona sententia : non tantum indicandum tempus facinoris, sed et addenda ratio quare eo potissimum tempore scelus admissum sit. GRUT.

11. *Et potueritne scire, satis. Scieritne satis* ed. Med. 1498, ed. 1476. Schütz. *n. n. sciri.* Passivum, inquit, et hic aptius est, et post occurrit.

12. *Ad id perficiendum.* Hoc Sch. delet manifestum ut glossema, et sane paullo post fastidiose recurrit.

13. *Si id ante sciri et r. p. non potuit.* « Si id aut sciri aut » Aug, perperam. SCHUTZ. — *Non potuerit* ed. Med. 1498, ed. 1476.

14. *Idoneane fuerit.* Libri recentioris editionis voce auctiores, « idoneane satis fuerit; » quæ nuspiam comparet in olim vulgatis, aut adeo MSS nostris. GRUT.

15. *Spes perficiendi quæ fuerit.* « S. p. hæc quæ f. » ed. Med. 1498, ed. 1476.

16. *Concurrerint. Concurrent* Aug. SCHUTZ.

17. *Apparatio videbitur fuisse.* Adjeci duas voces « videbitur fuisse; » non testimonio duorum librorum manuscript. verum integra cohorte. Eas enim agnoscunt sex membranæ quas consuluit Gulielmius, sex Pall. et edd. pr. neque otiosas esse videbit, qui vim hujus suspicionis attente perspiciet. Immo supervacuum potius fuerit illud alterum quod sequitur, « demonstrabitur fuisse », quam istud nostrum. GRUT. — Schütz. delet « videbitur fuisse » cum Ald. quod haud secus ac « demonstrabitur fuisse » ortum putat a glossatore.

monstrabitur [18] fuisse: quare scire potuerit [19], utrum diffidendum, an confidendum fuerit. Spes celandi quæ fuerit, quæritur ex consciis, arbitris, adjutoribus, liberis, aut servis, aut utrisque.

V. (v.) Argumentum est, per quod res coarguitur certioribus argumentis [1], et magis firma suspicione. Id dividitur in tempora tria, præteritum, instans, consequens. In præterito tempore oportet considerare, ubi fuerit, ubi visus sit, quocum visus sit; num quid apparari, num quem convenerit, num quid dixerit, num quem habuerit [2] de consciis, de adjutoribus, de adjumentis [3]; num quo in loco [4] præter consuetu-

18. *Inapparatio demonstrabitur.* Schütz. *videbitur.* H. l. inquit, *videbitur* aptius, quia antecedit *spectabitur.*

19. *Quare scire potuerit, utrum.* Et hæc quoque sunt a triplici librorum nostrorum fide : pro quibus mediæ ætatis edd. « per quas res scire potuerimus, utrum » : Lambinus vero, « propter quas res scire potuerimus utrum ». Quæ licentia? Gaut.

V. 1. *Res coarguitur certioribus argumentis.* Offenduntur veri docti merito in *argumentis*, quia est in definitione *argumenti* quod est vitiosum. Sed nulla varietas est in libris. Gronovius conjiciebat *inventis*, e definitione Ciceroniana (part. II). Suspicatus etiam sum pro *res* legendum esse *reus* : nam sequentia pertinent fere ad *reum*. Ernest. — Schütz. auctoritate fretus Ernestii *reus* edidit : idem *indiciis* pro *argumentis*, quæ quidem correctio probanda et recipienda videtur. Altera etsi ab Ernestio proposita minus necessaria, ut jam ante judicav. Wetz.

2. *Num quem habuerit.* Hoc non intelligo, præsertim quum et sequatur *adjumentis.* Ernest. — Vide notam sq. Wetzelius autem : « quem de consciis » aliquem consciorum. At hic dici posse « aliquem consciorum, sive de consciis », pro « aliquem conscium », haud facile admittam.

3. *De adjumentis.* Schütz. « numquid de adjumentis ». Vulgo, inquit, « de adjumentis », quod quoniam coire non videbatur cum antecedente *num quem*, Lambinus emendabat *administris.* Sed verum est *adjumentis*, quod habet etiam Cicero in simili loco de Inv. II, 7. *Numquid* vero facile potuit omitti, quum statim sequeretur *num quo*, cujus loco nonnulli MSS habent *numquid.*

4. *Num quo in loco.* Ernest. « numquid in loco ». Dedi sic, inquit, quod sensum commodum habere non potest vulg. e MSS et edd. pr. usque ad Aldum. — Schütz. nostram lectionem præbet. Sic, inquit, Voss. 1, Leid. aliique codd. Miror Ernestium in hoc sensum commodum non invenisse. Immo est apertissimus. Quærendum dicit auctor, num reus aliquo in loco præter consuetudinem fuerit, aut alieno tempore; quod utique suspiciosum est. Contra, si hic legimus : « num quid in loco », id valde obscurum

dinem fuerit[5], aut alieno tempore. In instanti tempore[6] quæritur, num visus sit, quum faciebat, num qui strepitus[7], clamor, crepitus exauditus sit[8], aut denique[9], num quid aliquo sensu perceptum sit, aspectu, auditu, tactu, odoratu[10], gustatu : nam quivis horum sensus potest conflare suspicionem. In consequenti tempore spectabitur : num quid re transacta relictum sit, quod indicet aut factum esse maleficium, aut a quo sit factum. Factum esse, hoc modo : si tumore et livore[11] decoloratum est corpus mortui, significat eum veneno necatum. A quo factum sit, hoc modo : si telum, si vestimentum, si quid ejusmodi relictum[12], aut vestigium repertum fuerit[13], si[14] cruor

est. Nam quid est, quæso, illud *quid?*

5. *Præter cons. fuerit.* « Numquid in loco præter consuetudinem fecerit » ed. Med. 1498, ed. 1576. — « Aliquid fecerit » Aug. Schutz.

6. *In instanti tempore.* Pall. duo « Instanti tempore ». Et vero unus ex iis, primus scilicet, supra quoque habebat « *astans*, non *instans*, ut forte aliquid adhuc subsit mendosi. Grut.

7. *Num qui strepitus.* « Num quid strepitus » ed. Med. 1498, ed. 1476.

8. *Exauditus sit.* Schütz. delet *sit*, quod abest a MSS Oudend.

9. *Aut denique, num q. al. s. p. s.* « Aut denique aliquid sensu » cod. Pal. sec. teste Grutero : « aliquid aliquo sensu », cod. Leid. 3. Schutz. — *Aliquo*, alio quo. Wetz.

10. *Aspectu, auditu, tactu, odoratu.* Schütz. delet « aspectu auditu ». « Aspectus et auditus », inquit, exempla jam erant commemorata his verbis : « num visus...exauditus sit; » neque vero tam perverso ordine sensus numerari solent, « aspectus, auditus, tactus, odoratus, gustatus ». Non intellexit sciolus, qui ista duo hic infersit, *aliquo* esse idem quod *alioquo.* — *Odore* pro *odoratu*, ed. Med. 1498, ed. 1476.

11. *Et livore.* « Aut livore ». Ed. Med. 1498, ed. 1476.

12. *Si quid ejusmodi relictdm.* Delevi *sit*, quod abest a quibusdam MSS et edd. pr. Ernest.

13. *Aut vestigium repertum fuerit.* Schütz. addit *rei* post *vestigium*. « *Rei*, inquit, jam e prioribus edd. revocandum censuerunt Gronovius et Grævius. Nempe est genitivus a *reus*. Neque vero ad sensum presse enuntiandum abesse potest ».—Mihi contra videatur; nam non quæritur « an reus sit » qui fecerit; sed generaliter *a quo* factum sit. Sequitur ut non « rei vestigium » scribendum sit, sed absolute *vestigium* Et in iis quæ sequuntur ante *comprehensus* nescio an melius subaudies *si quis* quam *si reus.*

14. *Si cruor in vestimentis.* Et ista est antiquissimæ edit. scriptura, firmata pluribus MSS. Sequentes præposuerunt *aut*, quod quidem retinuit Lambinus, sed rejecit *si*. Pal. pr. loco

in vestimentis, si in eo loco comprehensus, aut visus transacto[15] negotio, quo in loco res gesta dicitur.

(VI.) Consecutio est, quum quæritur, quæ signa nocentis et innocentis consequi soleant[16]. Accusator dicet, si poterit, adversarium, quum ad eum ventum sit, erubuisse, expalluisse[17], titubasse, inconstanter loquutum esse[18], concidisse[19], pollicitum esse aliquid: quæ signa conscientiæ sunt. Si reus horum nihil fecerit, accusator dicet, eum usque adeo præmeditatum fuisse, quid sibi esset usu venturum[20], ut confidentissime resistens responderet[21]: quæ signa confidentiæ, non innocentiæ sunt. Defensor, si pertimuerit, magnitudine periculi, non conscientia peccati se commotum esse dicet; si non pertimuerit, fretum innocentia negabit esse commotum.

VI. (VII.) Approbatio est[1], qua utimur ad extremum,

vocis *cruor*, habet *nota*, quod non arbitror de nihilo. Grut.

15. *Comprehensus, aut visus transacto n.* « Visus aut comprehensus fuerit transacto n. » ed. Med. 1498, ed. 1476. — « Aut visus sit » Ald. et ita Schütz.

16. *Consequi soleant.* Rem gestam, i. e. nuntiato scelere, quæ appareant signa innocentis, quæ nocentis.

17. *Erubuisse, expalluisse.* Sic omnino omnes nostri, ut frustra sit Lambinus, qui hic adhuc paratus videtur admittere *expavisse;* nam sane indicium pavoris pallor. Grut.

18. *Inconstanter loquutum esse.* In sermone sibi non constitisse. Wetz.

19. *Concidisse. Qu'il est tombé à genoux.* J. V. Leclerc. — Nonne potius: « animo et viribus defecisse ».

20. *Usu venturum.* Vett. edd. « usui futurum ».

21. *Ut confidentissime resistens responderet.* Locus in libris scriptis est valde conturbatus et varius. Oudendorpius corrigit « resisteret et resp. » quod est frigidum. *Resistens* recte se habet: est, qui manet, nec refugit sermonem ac defensionem. Ern. — Schütz. « ut constantissime consistens resp. » In MS Lambin. inquit, est *consistens*. Pro *confidentissime*, quod ferri nequit, quia sequitur mox « quæ signa confidentiæ sunt », emendavi *constantissime*. Nam in ejusmodi causa constantia rei sæpius memoratur. Sic Catil. III, 5, est « constanter respondere ». Et h. l. paullo ante in re contraria « inconstanter loquutum esse ».

VI. 1. *App. est.* Approbatio esse videtur qua facimus ut sive causa ipsa, sive argum. aliquod aut indicium, sive vir aliquis seu testis, seu accusator, seu patronus, approbetur audientibus, aut non approbetur. — *Preuves confirmatives*, J. V. Leclerc. Vide de Inv. I, 34.

confirmata suspicione : ea habet locos proprios atque communes. Proprii sunt, quibus, nisi accusator[2], et, quibus, nisi defensor, nemo potest uti. Communes sunt, qui alia in causa ab reo, alia ab accusatore tractantur. In causa conjecturali proprius locus accusatoris est, quum dicit malorum misereri non oportere, et quum auget peccati atrocitatem[3]. Defensoris proprius locus est, quum misericordiam captat, et quum accusatorem calumniari criminatur. Communes loci sunt quum accusatoris, tum defensoris, a testibus, contra testes; a quæstionibus, contra quæstiones; ab argumentis, contra argumenta; a rumoribus, contra rumores. A testibus dicemus secundum auctoritatem et vitam testium, et constantiam testimoniorum. Contra testes, secundum vitæ turpitudinem[4], testimoniorum inconstantiam : si aut fieri non potuisse dicemus, aut non factum esse quod dicant, aut scire illos non potuisse, aut cupide dicere[5], et argumentari. Hæc et

2. *Proprii sunt, quibus, nisi accusator, et quibus, nisi defensor, nemo potest uti.* Sic plures MSS et edit. Mediolan. 1474. Sic et Junt. quam sequutus sum. Ernest. — Sic recte censuit legendum Oudendorpius. Nam in codd. magna est varietas. Ald. legit : « Proprii sunt ii, quibus, nisi accusator, nemo potest uti, et ii, quibus nisi defensor ». Oudend. codd. 61 et edit. Med. « quibus nisi accusator nemo potest uti, et hi quibus nisi defensor non potest uti », nisi quod a Voss. sec. desit in fine « non potest uti », et contra in ed. Med. auctius legatur, « defensor aliquis ». Leid. sec. « quorum aliquo nemo nisi accusator uti potest, item quibus nisi defensor non potest uti ». Schutz.

3. *Peccati atrocitatem.* MS Cort. *facti atr.* quod non displicet. Ern. — Et ita Schütz. edidit. Cf. Cic. de Inv. II, 15.

4. *Secundum vitæ turpitudinem.* Ernestius delet *secundum* non admonito lectore : sic et Gruterus. Schütz. præpositionem addidit, quæ ut est in primo membro, sic nec in altero abesse potest.

5. *Aut cupide dicere.* Janus Wouverius annotavit, malle se « putide dicere »; a quo dissentio; qui enim cupide contra aliquem fert testimonium, eo ipso sibi infringit auctoritatem. Inde illa cautio Quintiliani libro quarto Inst. Orat. cap. VII : « si habet testem cupidum lædendi, cavere debet hoc ipsum, ne cupiditas ejus appareat ». Grut.

ad improbationem et approbationem testium[6] pertinebunt.

VII. A quæstionibus dicemus, quum demonstrabimus, majores veri[1] inveniendi causa tormentis et cruciatibus voluisse quæri, et summo dolore homines cogi, ut quidquid sciant, dicant. Et præterea confirmatior hæc erit disputatio, si, quæ dicta erunt, argumentando iisdem viis, quibus omnis[2] conjectura tractatur, trahemus ad verisimilem suspicionem; idemque hoc in testimoniis facere oportebit. Contra quæstiones hoc modo dicemus: primum majores voluisse certis in rebus interponi quæstiones, quum, quæ vere dicerentur, sciri[3]; quæ falso in quæstione pronuntiarentur, refelli possent, hoc modo: « Quo in loco quid positum sit[4], et si quid esset simile, quod videri, aut aliquo simili signo[5] percipi posset[6] »: deinde, dolori credi non oportere, quod alius alio recentior[7] sit

6. *Testium*. Ed. 1474 addit: « et ad ipsorum argumentationem ». Ern.

VII. 1. *Majores veri inv.* Vulgati addunt *nostros*, quod; quia abest a MSS pluribus ap. Oud. et Cortiano, edd. 1474, Junt. delevi, quod et Oudend. placebat, similiterque mox. Nempe non semper pronomen additur, ubi non est opus distinctione tali. Ern. Quem Schütz. sequitur.

2. *Quibus omnis conjectura*. « Quibus omnibus conj. » Grut.

3. *Quæ vere dicerentur, sciri*. Sic et edd. pr. a quibus tamen recedunt membranæ vett. in iis enim partim *servari*, quod Victorio placitum et Manutio, partim *probari*, partim *seu*. Grut. — Ald. *servari* Schütz.

4. *Quo in loco q. p. sit*. Schutz. « positum esset ». « Positum sit », inquit, abhorret a consecutione verborum, ut Ernesti hic recte monuit. Nam utrumque deleri non placet. — Hæc tantum verba usque ad *sit*, quod servandum videtur, uncis includi censuerim; quæ sequuntur alio pertinere, ut totius loci sensus sit: « hoc modo ...et si quid esset simile quod videri aut aliquo signo percipi posset ». Hoc nisi placeat, legendum videtur *possit*. Et supra delendum *esset* ante *simile*.

5. *Aut aliquo sim. signo*. Schütz. delet *simili*, quod, inquit, temere est ex antecedente versu repetitum *aliquo* est c. q. « alio quodam ». « Aut aliquo signo simili » ed. 1476.

6. *Percipi posset. Possit* ed. 1476.

7. *Recentior sit*. Sic nostri scripti et antiquius impressi, probatque Gulielmius. Grut. — *Recentior*, eleganter, pro minus adsuetus dolori. Ern. — Lambinus affert lectionem duorum codd. *reticentior*. Sed vulgata vera, quam habent codd. Oudend. omnes,

in dolore, quod ingeniosior ad comminiscendum, quod denique sæpe scire, aut suspicari possit, quid quæsitor velit audire; quod quum dixerit, intelligat sibi finem doloris futurum. Hæc disputatio comprobabitur, si refellemus, quæ in quæstionibus erunt dicta, probabili argumentatione; idque partibus conjecturæ, quas ante exposuimus, facere oportebit.

Ab argumentis, et signis, et ceteris locis, quibus augetur suspicio, dicere hoc modo convenit: Quum multa concurrant argumenta et signa, quæ inter se consentiant, rem perspicuam, non suspiciosam videri oportere: item plus oportere signis et argumentis credi, quam testibus: hæc enim eo modo exponi, quo re vera sint gesta[8]; testes corrumpi posse vel pretio, vel gratia, vel metu, vel simultate. Contra argumenta et signa et ceteras suspiciones dicemus hoc modo: si demonstrabimus, nullam rem esse, quam non suspicionibus quivis possit criminari; deinde, unamquamque suspicionem extenuabimus, et dabimus operam, ut ostendamus, nihilo magis in nos eam, quam in alium quempiam convenire; indignum esse facinus, sine testibus conjecturam et suspicionem firmamenti satis habere.

VIII. A rumoribus dicemus, si negabimus temere famam nasci solere, quin subsit aliquid; et si dicemus causam non fuisse, quare quispiam confingeret et com-

ubi partim per *tenerior*, partim per *debilior* explicatur. Nempe significat hominem dolori ferendo non assuetum. Sch. — Proprie ut dolor dicitur recens, sic et homo dici potest recens in dolore, i. e. minus ei assuetus, ut ap. Tac. I, 41; III. 1. Wetz. — Horum exemplorum prius habet *recens dolore;* utrumque non ad constantiam animi spectat, sed ad recentiorem doloris causam. Præterea quæ sequuntur omnia de constanti homine sunt, ut mirer hoc unum de tenero dici. Itaque Lambini lectionem recipere non dubitaverim ex duobus codd.

8. *Quo re vera sint gesta.* Sic Pall. meliores sine repetitione vocis *modo*, quæ exstat in retro editis. Grut. — Schütz. « quomodo re v. s. g. » cum Ald.

minisceretur; et præterea, si ceteri falsi soleant esse, argumentabimur hunc esse verum. Contra rumores dicemus primum, si docebimus multos esse falsos rumores, et exemplis utemur, de quibus falsa fama fuerit; et aut inimicos nostros, aut homines natura malivolos et maledicos confinxisse dicemus: et aut aliquam fictam [1] fabulam in adversarios afferemus, quam dicamus omnibus in ore esse; aut verum rumorem proferemus, qui illis aliquid turpitudinis afferat, neque tamen ei rumori nos fidem habere dicemus; ideo quod quivis homo possit quemvis turpem de quolibet rumorem proferre, et confictam fabulam dissipare [2]. Verumtamen si rumor vehementer probabilis esse videbitur, argumentando famæ fidem poterimus abrogare.

Quod et difficillima tractatu est constitutio conjecturalis, et in veris causis sæpissime tractanda [3] est, eo diligentius omnes ejus partes perscrutati [4] sumus, ut ne parvula quidem titubatione aut offensione impediremur [5], si ad hanc rationem præceptionis assiduitatem exercitationis accommodassemus [6].

IX. (VIII.) Nunc ad legitimæ constitutionis partes transeamus [1]. Quum voluntas scriptoris cum scripto

VIII. 1. *Et aut aliq. fictam.* « Et aliquam aut fictam » vett. edd. perperam.

2. *Dissipare*, i. e. spargere in vulgus.

3. *Sæpissime tractanda est.* MS Cort. delet *est*, quod non displicet. Ern.

4. *Perscrutati sumus.* Schütz. *persequuti*. Sic, inquit, legendum esse recte divinavit Lambinus. Vulg. *perscrutati*, sensu minus apto.

5. *Impediremur. Impediretur* ed. 1476.

6. *Si ad hanc rat. præcept. ass. exerc. accommodassemus.* Gruterus *accommodaremus*; Ernesti *accommodassemus*. Sic, inquit, MSS plures et edd. pr. usque ad Aldum. Itaque recepimus pro vulgato *accommodaremus*. Nempe intelligimus de oratore, qui ad hanc rationem se exercuit assidue; non de exercitatione ipsa, tamquam esset, « accommodare vellemus ». Nam titubatio et offensio non est in exercitatione, sed in actu dicendi, quum causæ aguntur.

IX. 1. *Ad leg. constitutionis part.*

dissidere videbitur, si a scripto dicemus[2], his locis utemur, secundum narrationem[3]: primum scriptoris collaudatione: deinde scripti recitatione: deinde percunctatione, scirentne adversarii id scriptum fuisse in lege, aut in testamento, aut in stipulatione, aut in quolibet scripto, quod ad eam rem pertineat[4]. Deinde collatione, quid scriptum sit, quid adversarii se fecisse dicant, quid judicem sequi conveniat, utrum id, quod diligenter perscriptum sit, an id, quod acute sit excogitatum[5]. Deinde ea sententia, quæ ab adversariis sit excogitata, et scripto attributa[6], contemnetur[7] et infirmabitur. Deinde quæretur, quid ei obfuerit, si id voluisset adscribere, num non potuerit[8] perscribi.

trans. De legitima constitutione cf. quæ Cicero præcipit tum de controversiis, Inv. I, 13, tum in causæ constitutione definitiva, II, 17, et de his ipsis, de Inv. II, 40. Wetz.

2. *A scripto dicemus.* Errabat Grævius, quum hæc ita interpretanda putabat, ut suppleretur « voluntatem scriptoris dissidere ». Immo « a scripto dicere » est « scriptum defendere ». Sch. — Sic supra: ab argumentis dicere, a minoribus.

3. *His locis utemur, secundum narrationem.* Bruilerensis et Fabricianus non agnoscunt illud « secundum narrationem »: exstat tamen in Pall. et edd. primis. Gruterus. — Ejeci ineptum additamentum, « secundum narrationem », quod adhuc in omnibus edd. moleste servatum est. Schütz. — Equidem cur ejiciendum sit non video, et facillime interpreteris: « ut narrata res fuerit ». Cetera ordine sequuntur: « Primum... deinde... deinde, etc. »

4. *Quod ad eam rem pertineat.* Edidi cum Grævio, quem et Oudend. sequitur, *eam*, pro *eamdem*, quod est alienum. In ed. nostra Med. est « quod ad rem pertineat », quod et melius puto. Iidem maluerunt *pertinebit*, quod est etiam in duobus nostris et ed. Junt. Nihil interest ad sensum. Ernest.

5 *Acute sit excogitatum.* I. e. subtilem adversariorum interpretationem.

6. *Et scripto attributa.* Schütz. *et scriptori a.* Sic edidimus, inquit, pro vulg. Nam nisi *scriptori* legeris, verba « si id voluisset scribere » non habent quo referantur.

7. *Contemnetur.* Schütz. *contereturr* e cod. Aug. Haud dubio, inquit, præferendum. At Wetzelius: « contemnere sententiam », i. e. negare esse cur ad eam attendamus. Quod Schütz. ex uno cod. rec. *contereturr*, id minus h. l. aptum est, quum fortius sit quam sequens *infirmabitur*.

8. *Si id voluisset adscribere, num non potuerit prescribi.* Ita scripsit e MSS suis sex Gulielmius. Vulgo corrupti sunt omnes libri, et certe variant valde Pall. nam præfert pr. « s. i. v. a. numquid potuerit præscribere ». Sec. « s. i. v. a. aut num quid non potuerit perscribere ». Tert. « aut num non po-

Deinde a nobis sententia reperietur, et causa proferetur, quare id scriptor senserit, quod perscripsit: et demonstrabitur scriptum illud esse dilucide, breviter, commode, perfecte, certa cum ratione. Deinde exempla proferentur, quæ res, quum ab adversariis sententia et voluntas afferretur [9], a scripto potius judicatæ sunt [10]. Deinde ostendetur, quam periculosum sit a scripto recedere. Locus communis est contra eum, qui, quum fateatur, se contra id, quod legibus sancitum, aut testamento perscriptum sit, fecisse, tamen facti quærat defensionem.

X. (IX.) A sententia sic dicemus. Primum laudabimus scriptoris commoditatem [1] atque brevitatem, quod tantum scripserit [2], quod necesse fuerit; illud, quod sine scripto intelligi potuerit, non necessario scribendum putarit. Deinde dicemus calumniatoris esse officium [3], verba et literas sequi, negligere voluntatem.

tuerit præscribi ». Quint. « aut non potuerit perscribere »; quod et in sexto, nisi quod ultima ei vox *perscribi*. Edd. pr. « s. i. v. perscribere an non potuerit perscribi » (sic ed. 1476) sequentes: « si id voluisset scribere, ut non potuerit perscribere ». Lambinus: « si id voluisset scribere cur non potuerit perscribere ». GRUT. — Schütz. « si id voluisset scribere ». Sic, inquit, Ald. quod postea edito *adscribere*, utique præstat. Idem Schützius habet: « ut non potuerit perscribi »; additque: « ut non potuerit perscribere ». Ald. « unde non potuisset scribi ». Aug. « num non potuerit perscribi vulg. » Quod ex comparata harum lect. varietate verissimum videbatur, in textum adscivimus.

9. *Sententia et voluntas afferretur.* Delevi *redderetur* post *sententia*. Abest a MS Lips. et Guelf. Sed alia manu inter lineas scriptum. ERN. — *Redderetur et vol. aff.* ed. Med. 1491, ed. 1476, et Gruterus, et ita codex Aug. sed Schützius delevit.

10. *Judicatæ sunt.* — *Judicatæ sint* ed. Med. 1498, ed. 1476, Gruterus, Wetzelius.

X. 1. *Scriptoris commoditatem.* Quo sensu Cicero Rosc. Amer. 4, dicendi, sive orationis commoditatem laudat. WETZEL.

2. *Quod tantum scripserit, quod.* Schütz. « q. t. scripserit, id quod ». Pronomen *id*, inquit, ad vim appositionis haud ineptum, e cod. Aug. addidimus.

3. *Calumniatoris esse officium.* Sic omnes scripti et editi. Oudend. *officium* deleri vult, quod facile lectorem offendit, adsuetum significationi verbi ethicæ. Sed est opus, negotium; quomodo hoc verbum nostro et alibi

Deinde id, quod scriptum sit, aut non posse fieri, aut non lege, non more, non natura, non æquo et bono[4] posse fieri; quæ omnia scriptorem noluisse quam rectissime fieri, nemo dicet[5]: at ea, quæ a nobis facta sint, justissime facta. Deinde contrariam sententiam aut nullam esse, aut stultam, aut injustam, aut non posse fieri, aut non constare cum superioribus et inferioribus sententiis, aut cum jure communi, aut cum aliis legibus communibus, aut cum rebus judicatis dissentire. Deinde exemplorum a voluntate, et contra scriptum judicatorum enumeratione[6] utemur; deinde legum et stipulationum breviter excerptarum[7], in quibus intelligatur scriptorum voluntas et expositio[8]. Locus communis contra eum, qui scriptum recitet, et scriptoris voluntatem non interpretetur.

dicitur, ut supra monuimus; eaque est propria verbi vis. Ern.

4. *Non natura, non æquo et bono.* Ald. *bono et æquo.* Postremæ duæ voces non comparent in Palat. pr. et profecto sunt superfluæ. Grut.

5. *Quæ omnia scriptorem noluisse quam rectissime fieri, nemo dicet.* Edidimus, ut voluere J. Gronovius et Oudendorpius. MSS fere fluctuant inter *voluisse* et *noluisse. Dicet* habent omnes Oudendorpiani et duo de nostris, non *dubitet.* Totum plane sic habent edd. Med. 1574, et Junt. At ed. 1474 tantum *dicet.* Med. 1498 vulgatum, et hinc Ald. Ern.—Schütz. ex Aldina prætulit « quæ o. s. voluisse q. r. f. nemo dubitet ». Sic Gruterus. Sic ed. 1476, nisi quod *dubitaret.*

6. *Enumeratione utemur.* Abest *utemur* ed. Med. 1498, ed. 1476. Schütz. *enumeratio fiat.* Sic cod. Duisb. inquit, sequentibus ad constructionem aptius. — Fere MSS nostri aliarumque item edd. principes *enumeratio. Deinde* proferunt, excludentes nimirum vocem *utemur,* quæ in retro impressis, hac forma, *enumeratione utemur.* Membranæ tamen omnes non consentiunt in alteram vocem; nam quædam habent *enumerationem*, quædam *enumeratione*, quod et in edd. primis. Grut.

7. *Excerptarum.* MSS plures et edd. vett. *exceptarum*: Lambinus primus edidit *exscriptarum*, sed conjecit *excerptarum*.—Sic, inquit Gruterus, liquido fuit in Gemblacensi, Coloniensi, Fabriciano, sic etiam Pal. quart. et sext. alluduntque Pall. alii et olim editi, in quibus *exceptarum.* — Nostram lectionem habent Sch. et Leid. sex et ed. Mediol.

8. *Scriptorum voluntas et expositio. Scriptoris voluntas* ed. 1476, Schutz. « scriptoris voluntas, expositio », auctore Oudend. e cod. Voss. et Leid. — Sic habet Wetzel. et interpretatur: Deinde fiat expositio legum, in quibus voluntas, etc.

(x.) Quum duæ leges inter se discrepant, videndum est primum, num qua obrogatio aut derogatio[9] sit. Deinde, utrum leges ita dissentiant, ut altera jubeat, altera vetet : an ita, ut altera cogat, altera permittat. Infirma enim erit ejus defensio, qui negabit, se fecisse, quod cogeretur, quum altera[10] lex permitteret. Plus enim valet sanctio permissione. Item illa defensio tenuis est, quum ostenditur id factum esse, quod ea lex sanciat, cui legi obrogatum[11], vel derogatum sit: id, quod posteriori lege sancitum sit, esse neglectum. Quum hæc erunt considerata, statim nostræ legis expositione, recitatione, collaudatione, utemur. Deinde contrariæ legis enodabimus[12] voluntatem, et eam trahemus ad nostræ causæ commodum. Deinde de juridiciali absoluta[13] sumemus rationem juris, et quæremus partem juris, utrum cum ea faciat[14]; de qua parte posterius disseremus.

9. *Qua obrogatio aut derogatio sit.* *Abrogatio* editum est usque ad Lambinum ; qui de conjectura dedit *obrogatio*, sed Grævius manere voluit *abrogatio*, ut et Oudendorpius. Abrogatio plane aliena est. Nam leges, quæ in causis proferuntur, non possunt esse abrogatæ. Sed potest aliquid in lege mutatum esse obrogando aut derogando, lege universa salva. Hoc igitur videndum esse in tali causa, præcipit auctor. Ern. — Quem Sch. probat et sequitur.

10. *Quod cogeretur, quum altera.* Addit Fabricianus *ab altera* post *cogeretur*. Pal. quartus, « altera, cui altera », quod item in sexto. Grut. — Schütz. « quod cogeretur ab altera quum alt. » Oudend. inquit, hanc lect. invenit in Leid. 1, Voss. 1, idque ad sensum abesse vix potest.

11. *Cui legi obrogatum.*—*C. l. abrogatum* ed. 1476, quod plane confirmat conjecturam Lambini de voce *obrogatio* pro *abrogatio*, quum et hic *abrogatum* videamus, dativo postulante *obrogatum*.

12. *Enodabimus.* Explicabimus.

13. *Juridiciali absoluta.* Respice I, 14.

14. *Sumemus rationem juris, et quæremus partem juris, utrum cum ea faciat.* Schütz. « sumemus rationem, et quæremus partes juris utrum cum causa faciant ». In vulgata lect. (scilicet nostra) inquit, *ea* natum est ex *cā* scribendi compendio pro *causa*. In Leid. 4 absunt verba « et quæremus partes juris », quod fieri possit, si legatur « rationem juris utrum cum causa faciat ». Sed partes juris quum infra enumerentur, c. 13, lectio præferenda est, quæ plurimorum codd. auctoritate firmatur.

XI. (XI.) Si ambiguum est scriptum, ut puta[1] quod in duas aut plures sententias trahi possit, hoc modo tractandum est. Primum, sitne ambiguum, quærendum est. Deinde, quomodo scriptum esset, si id, quod adversarii interpretantur[2], scriptor fieri voluisset, ostendendum est. Deinde id, quod nos interpretemur, et fieri posse, et honeste, recte, lege, more[3], natura, bono et æquo fieri posse; quod adversarii interpretentur[4], e contrario : nec esse ambigue scriptum, quum intelligatur, utra sententia vera sit. Sunt, qui arbitrentur[5], ad hanc causam tractandam vehementer pertinere cognitionem amphiboliarum eam, quæ a dialecticis[6] profertur. Nos vero arbitramur, non modo nullo adjumento esse, sed potius maximo impedimento : omnes enim illi amphibolias aucupantur[7],

XI. 1. *Si ambiguum est scriptum, ut puta quod*. Reposuit istud Gulielmius ex Bruilerensi, Tosano, et Gemblacensi; nec abit editio Stephani; immo sic quoque vetustissima, nisi quod voce amplius : « si ambiguum esse scriptum putabitur, ut puta quod », quomodo Pal. tertius. Deinceps : « si ambiguum esse scriptum putabitur, quod », ut est in Pall. pr. sec. ac quinto : nam quart. et sextus favent emendationi nostræ. GAUT. — « Si ambiguum esse scriptum putabitur ed. 1476; *ut pote quod* ed. Med. 1498, quæ etiam « si amb. esse scriptum putabitur ». Bipontina editio, quam tacite sequitur Schützius, dedit : « si ambiguum esse scriptum putabitur quod ». WETZEL. — Qui et ipse habet *ut quod*, i. e. quippe quod, uncis autem *puta* inclusit.

2. *Quod adversarii interpretantur*. Ernesti *interpretentur*. Sic, inquit, contra libros dedimus, quia et structura orationis desiderat, et in seq. ter sic est in eadem re. — Sed et in seq. habent nonnullæ edd. *interpretantur*, credo equidem male. Sed hic correctione Ernestina nihil opus est.

3. *Lege, more. More, lege* ed. Med. 1498, ed. 1476.

4. *Interpretentur. Interpretantur* ed. Med. 1498 et 1476.

5. *Sunt, qui arbitrentur*. Sic ex legibus certis grammatices edidimus pro vulgato *arbitrantur*, in quo et MSS pæne omnes consentiunt. Aliquot tamen codices habent *arbitrentur*, quibus judicium nostrum firmatum est. ERNEST.

6. *A dialecticis*. Stoicis, qui post Chrysippum dialecticæ inprimis operam dederant. Stoici numquam Ciceroni placuere, quos in orat. pro Marc. lepide lusit. In quos scripsit etiam libros de Divin. et de Fato. Doctrinas eorum minime aptas eloquentiæ putabat; inde iræ viri vel in philosophia laudem spectantis.

7. *Aucupantur*. Stoicos significat

eas etiam, quæ ex altera parte sententiam nullam possunt interpretari[8]. Itaque et alieni sermonis molesti interpellatores[9], et scripti tum odiosi[10], tum obscuri interpretes sunt; et dum caute et expedite loqui volunt, infantissimi[11] reperiuntur. Ita dum metuunt in dicendo, ne quid ambiguum dicant, nomen suum pronuntiare non possunt. Verum horum pueriles opiniones rectissimis rationibus, quum voles, refellemus. In præsentia hoc interdicere[12] non alienum fuit, ut hujus infantiæ garrulam disciplinam contemneremus.

XII. (XII.) Quum definitione utemur, primum afferemus brevem vocabuli definitionem, hoc modo: « Majestatem is minuit, qui ea tollit[1], ex quibus rebus civitatis amplitudo constat[2] : quæ sunt ea? quæ

non *gaudere* amphiboliis, sed eas insectari.

8. *Sententiam nullam interpretari.* Legentibus vel audientibus præbere. Addidit Lambinus *in* ante *sententiam* contra omnes libros scriptos editosque, reclamante Grutero. At Schützius probat et sequitur.

9. *Alieni sermonis molesti interpellatores.* Juveniliter videtur auctor ad Stoicos omnes contulisse, quod in uno tantum aut altero deprehenderat. Quid enim humanitati magis contrarium quam sermonem perpetuis interpellationibus abrumpere?

10. *Odiosi.* Ut qui fastidium movent, et nonnihil etiam indignationis, dum satis apertam scriptoris sententiam vanis argutiis alio trahere conantur. Inde etiam *obscuri*, quod subtilius interpretantibus accidere solet.

11. *Infantissimi.* Omni facilitate et copia carentes in dicendo.

12. *In præsentia hoc interdicere.* Gruterus *in præsentiarum*. Sic, inquit, vett. edd. sic fere Pal. et Gulielmiani. *Interdicere* positum pro *interfari*, interloqui, invenit id etiam in uno suorum Lambinus. Stephaniana, « In præsentia hæc interim dicere ». Manutiana, « In præsentia hæc interserere », quomodo et Lamb. nisi quod ea, detracta litera, *in præsenti* ex MSS tamen, uti indicat: sed quo? cujus? — *In præsenti autem* Schütz. qui se sequi Lambinum dicit jam probatum a Grævio. — Ernest. *in præsentiarum*, ut ed. Med. 1498. — *Interdicere* genuinum Schützio videtur, etsi Lambinus conjicit *interjicere*. Voss. 1, 2, et Leid. 1, 2, 3, habent *intercedere*. Multæ edd. vett. *interserere*.

XII. 1. *Qui ea tollit, ex quibus rebus.* Vox *rebus* non conspicitur in Pal. primo aut sext. neque ea opus erat. Grut. — Ea librorum auctoritate vocem Sch. delevit.

2. *Amplitudo constat.* Ineptum emblema hic additum « quæ sunt ea,

capiunt suffragia populi, et magistratus[3] consilium. Nempe igitur tu et populum suffragio et magistratum consilio privasti, quum pontes disturbasti ». Item ex contrario : « Majestatem is minuit, qui amplitudinem civitatis detrimento afficit. Ego non affeci, sed prohibui detrimento; ærarium enim conservavi, libidini malorum restiti, majestatem omnem interire non passus sum ». Primum igitur vocabuli sententia breviter, et ad utilitatem causæ accommodate describetur : deinde factum nostrum cum verbi descriptione conjungetur[4] : deinde contrariæ descriptionis ratio refelletur, si aut falsa erit, aut inutilis, aut turpis, aut injuriosa : id quoque ex juris partibus sumetur de juridiciali absoluta[5], de qua jam loquemur. Quæritur in translationibus[6], primum, num aliquis ejus rei[7] actionem, petitionem aut persecutionem habeat[8], quem non

quæ capiunt » jam Grævio et Oudend. suspectum, et ab Ernestio uncis inclusum, ejecimus. Sch. — « Quæ sunt ea? quæ capiunt ». Interrogationis nota est a Lambino, hæretque in Pal. quarto. Primæ edd. « hæc sunt ea quæ c. » sicque Pal. pr. nec improbem. Grut.

3. *Magistratus consilium.* Sic dedi e MSS quibusdam et edd. pr. Mediol. Junt. Ceterum res hæc pertinet ad causam Cæpionis, de qua lib. I dictum. Ern. — MS *consilia.* Grut.

4. *Factum nostrum cum verbi descriptione conjungetur.* Referetur *factum* ad definitionem.

5. *Id quoque ex juris partibus sumetur de juridiciali absoluta.* Sumetur ex partibus juris, quæ pertinent ad juridicialem quæstionem.

6. *Quæritur in translationibus.* Schütz. « in translationibus quæretur ». Quum, inquit, ad novum genus transitur, semper vocabulum hujus generis verbo anteponitur ; præterea futurum tempus hic est in reliquis omnibus. De translat. respice 1-12.

7. *Num aliquis ejus rei.* Arbitror scribendum « num alius ejus rei ». Id desiderant seq. « num alia lege, etc. » Ex hac corruptela ortum est additamentum, « quem non oporteat », quod ab plerisque MSS, etiam edd. quibusdam antiquis, ut Junt. abest. Ern. — Ern. mavult *alius.* Sed *aliquis* h. l. est i. q. *alius quis*, ut sæpe. Sch.

8. *Actionem, petitionem aut persecutionem, habeat.* Delevi *per* ante *petitionem* quod nec in MSS plerisque, nec edd. pr. repetitur. MSS. et edd. vett. pleræque habent *executionem*, quod idem est quod *persecutionem.* Ern. — *Per petitionem* Grut. Sic, inquit, Pal. quartus et sextus. Vulg. « actionem aut executionem ». Stephaniana, « actionem aut persecutionem »,

oporteat; num alio modo, tempore, loco[9]; num alia lege, num alio quærente, aut agente[10]. Hæc legibus, moribus, æquo et bono reperientur; de quibus dicetur in juridiciali absoluta. In causa rationali[11] primum quæretur, ecquid in rebus majoribus, aut minoribus, aut similibus[12], similiter scriptum aut judicatum sit: deinde, utrum ea res similis sit ei rei, qua de agitur, an dissimilis : deinde, utrum consulto de ea re scriptum non sit, quod noluerit cavere, an quod satis cautum[13] putarit, propter ceterorum scriptorum si-

quod arripuit Lambinus, et præmisit: « aut possessionem », e conjectura Ranconeti. In nullo Pall. comparet vocum illud par. — *Executionem* cod. Aug. Sch.

9. *Num alio modo, tempore, loco.* Pall. aliquot « num alio modo, num alio tempore, num alio loco ». Neque aliter Fabrician. at enim quart. et sext. solum agnoscit, « num alio tempore », excluso *modo* et *loco*. Grut. — « Num alio modo, alio tempore, alio loco », ed. Med. 1498.

10. *Num alio quærente, aut agente.* Ed. 1474, *querente*, quod verum puto. *Aut agente* a nonnullis abest. Ern. — Lambinus iterum edidit ex auctoritate ejusdem Ranconeti, « quærente aut judicante »; contra omnes Gulielmii, Palatinosque manuscriptos editosque: immo in Pall. secundo non habetur quidem illud *aut agente*, nisi a manu aliena ac recenti; in quarto ac sexto, item Fabriciano, ne a tali quidem. Grut. — Schütz. « num alio quærente sit agendum ». Vulgo legitur, inquit, « n. al. quær. aut agente »: sed postremi verbi sententia jam occupata est in his : « num aliquis ejus rei actionem etc. » Poterat *aut agente* sine compensatione omitti auctoritate cod. Pal. 2, 4, 6, Leid. 1, 2, Erf. Cauch. Manca tamen videtur oratio, nisi legas, *sit agendum*. Cf. Cic. de Inv. II, 19.

11. *In causa rationali.* MSS Oud. Erf. edd. Med. 1474 et 1498, Junt. *ratiocinali*, quod Grævius et Oudend. præferunt, sicque edidit Aldus Manutius : sed quia id verbum nuspiam reperitur, et Quintil. III, 5, 4, habet « causa rationalis », id recipere in textum non sum ausus : et *rationalis* idem significare potest. Ern.

12. *Aut similibus.* In MSS quibusdam additur *aut dissimilibus;* quod Grævius et Oudendorpius probant : nempe, quia ante est « majoribus aut minoribus » : sed huic disjunctioni altera non satis similis est. Ern.

13. *An quod satis cautum.* Ernest. delet *an*. Delevi, inquit, quod est in vulgatis recentioribus; nam nec in MSS, nec in edd. vett. reperitur. MSS nostri *eo* addunt, vel *sed*. *An* additum est, propter præcedens *utrum ;* quod pro *num* sine sequente *an* ponitur interdum. Sed hoc membrum non opponitur primo, sed rationem reddit, quare noluerit diserte cavere legislator in lege. Ern. — Abest *an* ed. Med. 1498, ed. 1476. Schütz. addit *scriptor* ante *an quod.* Supplementum nostrum, inquit, perspicuitas et nexus

militudinem[14]. De partibus legitimæ constitutionis satis dictum est, nunc ad juridicialem revertamur.

XIII. (XIII.) Absoluta juridiciali constitutione utemur, quum ipsam rem, quam nos fecisse confitemur, jure factam dicemus, sine ulla assumptione extrariæ defensionis[1]. In ea quæri convenit, jurene factum sit[2] : de eo, causa posita, dicere poterimus, si, ex quibus partibus jus constet, cognoverimus. Constat igitur ex his partibus[3] : natura, lege, consuetudine, judicato, æquo et bono, pacto. Natura jus est, quod cognationis aut pietatis causa observatur; quo jure parentes a liberis, et a parentibus liberi, coluntur[4]. Lege jus est id, quod populi jussu sancitum est; quod genus, ut in jus eas, quum voceris. Consuetudine jus est id, quod sine lege, æque ac si legitimum sit, usitatum est ; quod genus, « id, quod argentario tuleris expensum[5], a socio ejus recte repetere possis ». Judicatum est id, de quo sententia lata est, aut decretum[6] interpositum.

sententiæ postulat. *An quod* jam in antiquis edd. legitur ; nec erat quod Oudend. illud *an* abjiceret, etsi abest in codd. multis.

14. *Scriptorum similitudinem.* Lambinus addebat *an inconsulto*, quo additamento nunc facile caremus. SCH.

XIII. 1. *Extrariæ defensionis. Extraneæ* Lambinus. *Externæ* ed. 1476 et Med. 1498. De causa juridiciali, resp. I, 14. De assumptiva autem, I, 14.

2. *Jurene factum sit.* Lambinus amplius, « jure an injuria factum sit », præter MSS omnes. GRUT.

3. *Constat igitur ex his partibus.* Quas sex h. l. facit auctor juris partes, eas commodius facere poteris tres : « naturæ, consuetudinis, legum », cum Cicerone de Inv. II, 22, qui judicatum, æquum et pactum consuetudinis partes recte facit. WETZ.

4. *Coluntur.* Θεραπεύονται, quo sensu et homo θεραπεύει τὸν θεὸν, et deus θεραπεύει τὸν ἄνθρωπον, homo dei, deus hominis curam gerit. Hinc et Cic. Invent. II, 53, pietatem explicat per quam sanguine conjunctis officium et diligens tribuitur cultus. WETZ.

5. *Tuleris expensum.* Sic Pal. sec. ac Bruil. Ald. et Gruter. *obtuleris.* Ed. 1476, *optuleris.*

6. *Sententia*, judicum; *decretum*, prætorum. Cf. Inv. II, 22, ubi consuetudini annumerat ea quæ prætores edicere consuerunt. De re cf. Inv. I, 30 ; II, 54. WETZ. — Non prætorum solum, sed consulum et tribunorum quorum paullo inferius mentio est, et magistratuum aliorum et senatus decreta sunt. — De re cf. Inv. I, 30 ; II, 54.

Ea sæpe diversa sunt, ut aliud alii judici, aut prætori, aut consuli, aut tribuno plebis placitum sit; et fit, ut de eadem re sæpe alius aliud decreverit, aut judicaverit; quod genus : « M. Drusus[7], prætor urbanus, quod cum herede mandati ageretur[8], judicium reddidit; S. Julius[9] non reddidit. Item, C. Cœlius judex absolvit injuriarum eum, qui Lucilium poetam in scena nominatim læserat; P. Mucius eum, qui L. Accium poetam nominaverat, condemnavit ». Ergo, quia possunt res simili de causa dissimiliter judicatæ proferri, quum id usu venerit, judicem cum judice, tempus cum tempore, numerum cum numero judiciorum proferemus[10]. Ex æquo et bono jus constat, quod ad veritatem et utilitatem communem videtur pertinere; quod genus, « ut major annis LX, et cui morbus causa est[11], cognitorem det[12] ». Ex eo vel novum[13] jus constitui convenit ex tempore et hominis dignitate. Ex pacto jus est, « si qui inter se[14] pepigerunt, si quid

7. *M. Drusus, prætor urbanus.* De quo a. U. 631 tribuno plebis, C. Gracchi collega, vide ad Brutum, 28. WETZ.

8. *Quod cum herede mandati ageretur.* Causa fuit hæc : Mortuus erat is, qui mandati nomine in judicium vocatus esset : quærebatur, an cum herede agi hoc nomine posset, in quo discrepabant prætorum sententiæ. ERNEST.

9. *S. Julius*, Cæsar, cons. a. 662. (Freinsh. suppl. Liv. 71, 1), ergo a. fere 659 prætor, non autem, ut Ern. in Clave vult, a. 630. WETZ.

10. *Proferemus.* Schütz. *conferemus*, e necessaria, inquit, Lambini conjectura, jam a Grutero et ab Ernestio probata. — Et recipiendum crediderim; habentque Bipontini et Wetzelius.

11. *Et cui morbus causa est.* Retinuit XII tabularum formulam « cui morbus ævitasve causa escit » : quare frustra inclinat Lambinus in « morbi causa est » contra omnes edd. et maximam partem MSS. GRUT.

12. *Cognitorem det.* Nostri dicunt, ut vertit gallicus intp. *comparaître par procureur.* Verba e tabulis legum, docente nos Fabio, I, 6, et Gellio, XVII, 2.

13. *Vel novum.* Particula *vel* nunc primum e tenebris venit in lucem; eam deprehendi in Pall. tribus et Fabriciano, multumque in ipsa energiæ. GRUT.

14. *Si qui inter se.* « Si quid inter se », ed. Med. 1498, ed. 1476. « Si qui quid inter se » Schütz. Ex Voss. 3, quam lect. Oudend. veram judicat.

inter quos convenit ». Pacta sunt [15], quæ legibus observanda sunt, hoc modo, « rem ubi pagunt [16], orato ; ni pagunt, in comitio, aut in foro ante meridiem causam conicito [17] ». Sunt item pacta, quæ sine legibus observantur ex conventu, quæ jure præstari [18] dicuntur. His igitur partibus injuriam demonstrari, jus confirmari convenit, idque in absoluta juridiciali faciendum videtur.

XIV. (XIV.) Quum ex comparatione [1] quæretur, utrum satius fuerit agere id, quod reus dicat se fecisse, an id, quod accusator dicat oportuisse fieri : primum quæri convenit [2], utrum fuerit utilius ex contentione [3], hoc est, utrum venustius [4], facilius, condu-

15. *Pacta sunt*. Schütz. *sunt pacta*. Ita scribendum fuit, inquit, quod vulgata lectio *pacta sunt* definitionem promittere videtur. Est autem distributio : « sunt pacta, sunt item pacta ».

16. *Rem ubi pagunt, orato; ni pagunt, in comitio*. Sic Lambinus ex certissima conjectura Bosii : itaque hic locum suum dedi : tanto quidem magis, quod nihil idonei esset sensus in prius editis : « orationem pagunt in comitio ». Pall. quart. et sext. « rem ubi paciscuntur in comitio, etc. » quomodo et sextus. Fabricianus *orationi*. GRUT.

17. *Conicito*. Sic Ern. Schütz. *conjicito*. Mich. Brutus, inquit, emendandum putabat *condicito*. Sed post alios Grævius ad h. l. et Gronovius ad Gell. XVII, 3, docuere, « causam conjicere » esse i. q. eam breviter et summatius exponere. *Conjicito* ed. Med. 1498 ; *concita* ed. 1476.

18. *Jure præstari*. Sic pro *juri* edidi, ut Græv. et Oudend. voluere e MSS etiam nostris et edd. Mediol. Junt. Nonnulli sc. et editi, ut ed. 1474, habent de *jure*. Aldus primus edidit *juri*. ERN. — Quem Schütz. probat et sequitur. Cf. Cicero de Inv. II, c. 22. *Juri præstare* Grut. Gulielmius, inquit, indicat, Fabricianum habere *quæ ex jure ;* at Pall. pr. ac sec. *de jure ;* tert. *jure*, quomodo et edd. primæ; quartus, *qui jura ;* quintus et sextus, *quæ jure*.

XIV. 1. *Quum ex comparatione*. Ante has voces Schütz. addit *In assumptiva*, quod inseruimus, inquit, quia generis necessario mentio fieri debet, antequam ejus partes enumerentur. Cf. lib. I, c. 14; respice etiam I, 14.

2. *Quæri convenit*. *Q. conveniet* ed. 1476.

3. *Ex contentione*. Comparatione, quo sensu dicitur quis contendere hoc cum illo. Rosc. Amer. 53 ; Horat. Ep. I, 10, 26.

4. *Utrum venustius*. Schütz. *utrum honestius*. Fere omnes, inquit, edd. præter Lambinianas, itemque omnes MSS adhuc collatos insidet lectio *venustius ;* Pith. tamen habet « facilius, convenientius, conducibilius », omisso *venustius*, qua in lectione *convenien-*

cibilius. Deinde oportebit quæri, ipsumne[5] oportuerit judicare, utrum fuerit utilius, an aliorum fuerit statuendi potestas. Deinde interponetur ab accusatore suspicio ex constitutione conjecturali, quare putetur non ea ratione factum esse, quo melius deteriori anteponeretur, sed dolo malo negotium gestum. Deinde quæretur, potueritne vitari, ne in eum locum veniretur. Ab defensore contra refelletur argumentatio conjecturalis, aliqua probabili causa, de qua ante dictum est. His ita tractatis[6], accusator utetur loco communi in eum, qui inutile utili præposuerit, quum statuendi non haberet[7] potestatem. Defensor contra eos, qui æquum censeant, rem perniciosam utili præponi, utetur loco communi per conquestionem[8], et simul quæret ab accusatoribus, et ab judicibus ipsis, quid facturi essent, si in eo loco fuissent; et tem-

tius interpretamentum videtur esse τοῦ *conducibilius*. Lambinus dedit *honestius* e conjectura Ranconeti, Memmii Aurati. Et hoc unice verum videtur. Nam venustati in causa comparativa nullus est locus. Cic. de Inv. II, 25, tres facit comparationis locos: « si illud, quod comparabitur, aut non honestum, aut non utile, aut non necessarium fuisse, aut non tantopere utile, aut non tantopere honestum, aut non tantopere necessarium fuisse demonstrabitur ». Quod cum nostro auctore, si *honestius* legatur, egregie convenit. Nam quod Cic. *utile* dicit, id hic appellat *conducibile*, et pro eo, quod ille quærendum dicit, utrum magis aut minus necessarium, hic ait quæri convenire, utrum facilius an difficilius. Quod etsi leviter spectanti diversum videtur, tamen revera est idem. Nam summa rei difficultas parit contrariæ necessitatem. Notandum vero est, auctorem ad Herennium vocabulo *utilitatis* sensum latiorem tribuere, ut sub eo honestum, facile et conducibile comprehendat. *Honestum* nimirum est id, quod *utile* est ad virtutem servandam; *facile* id, quod *utile* est, ut viribus parcatur; *conducibile*, est quod *utile* est ad plurima emolumenta nobis paranda. Schutz.

5. *Ipsumne*. Scilicet reum.

6. *His ita tractatis*. Delevi *locis*, quod primum in ed. Ald. reperi, abestque ab MSS. Nec *loci* sunt proprie, de quibus ante dictum. Ernest. — Quem probat Schütz. et sequitur.

7. *Non haberet potestatem*. Sic edidi pro *habuerit*. Nam latinitas sic postulat, idque reperi notatum e MS Leid. et in ed. 1474 Mediol. Ern. — Quem Schütz. probat et sequitur.

8. *Per conquestionem*. De qua III, 13. Wetz.

pus, locum, rem, deliberationem suam ponet ante oculos.

XV. (xv.) Translatio criminis[1] est, quum ab reo facti causa in aliorum peccatum transfertur. In qua primum quærendum est, jurene in alium[2] crimen transferatur: deinde spectandum est[3], an æque magnum sit illud peccatum, quod in alium transferatur[4], atque illud, quod reus suscepisse se[5] fateatur: deinde, oportueritne in ea re peccare, in qua alius ante peccarit: deinde, oportueritne judicium ante fieri: deinde, quum factum judicium non sit de illo crimine, quod in alium transferatur, oporteatne de ea re judicium fieri, quæ res in judicium nondum venerit[6]. Locus communis accusatoris, contra eum, qui plus censeat vim, quam judicia valere oportere: et ab adversariis percunctabitur accusator, quid futurum sit, si idem ceteri faciant, ut de indemnatis supplicia sumant, quod eos

XV. 1. *Translatio crim.* Resp. I, 15; cf. Inv. II, 26, ubi Cic. hanc vocat « relationem criminis ». Wetz.

2. *Jurene in alium.* MSS quidam et edd. pr. omnes ad Aldinam usque *verene*: nec tamen ausus sum *jurene* delere, quod res videtur requirere. Ern.

3. *Spectandum est, an.* Schütz. « spectandum est, si ». Exquisitior est, inquit, lectio cod. Voss. 3.

4. *Transferatur. Transfertur* edd. vett. et puto melius.

5. *Suscepisse se.* Non enim crimen, sed causam criminis, reus transtulit in aliorum peccatum. Peccavit ipse, quia alii ante in se peccaverant.

6. *Nondum venerit.* Sic edd. pr. usque ad Aldum; etiam MSS quidam. Ern. — *Non venerit* Gruterus cum vulg. Totius capitis sensum esse constat: fingitur reus in crimen incidisse, quia alterius præcedentem injuriam ulcisci voluerit. Exprobrat accusator quod non exspectaverit prætoris judicium, sed ipse privata auctoritate sibi satisfecerit. Defensor autem respondet in fine cap. « aut non potuisse, aut non fuisse utile rem in jud. venire ». Hujus autem in quo nunc sumus loci sensum esse credideram: quæretur ab accusatore oportueritne judicium ante fieri; deinde an oporteat nunc de eadem re quærere an digna pœna sit, quum non ante venerit in judicium; non enim de ea re agi, sed de hoc novo maleficio per quod reus privatam ultionem reposcere ausus est. Sed commovit cl. viri J. V. *Leclerc* auctoritas, qui ita intelligit: Oporteatne de ea re *a privato* judicium fieri, et pœnas infligi, quæ res in *publicum* judicium nondum venerit, et ita intellexisse videntur qui habent

idem fecisse dicant[7]. Quid si ipse accusator idem facere voluisset? Defensor eorum peccati atrocitatem proferet, in quos crimen transferetur; rem, locum, tempus ante oculos ponet, ut ii, qui audient, existiment aut non potuisse, aut non fuisse utile, rem in judicium venire.

XVI. (XVI.) Concessio[1] est, per quam nobis ignosci postulamus. Ea dividitur in purgationem et deprecationem. Purgatio est, quum consulto a nobis factum negamus. Ea dividitur in necessitudinem, fortunam, imprudentiam. De his primum partibus ostendendum est; deinde ad deprecationem revertendum[2] videtur. Primum considerandum est, num culpa[3] ventum sit in necessitudinem, num culpam veniendi necessitudo fecerit. Deinde quærendum est[4], ecquo modo vis illa

non. Quæ sequuntur, « locus communis... oportere », glossam sapiunt.

7. *Quod eos idem fecisse dicant.* Schütz. delet has voces. In vulgata lectione, inquit, sensus commodus vix inveniatur. Nec quidquam perficitur, si cum Cauch. et al. legatur *dicat.* Omissis autem his verbis, omnia plana. — Equidem non video quid obscuritatis habeat hic locus : dicit reus se pœnas ab indemnato sumpsisse, quia ipse vim alii indemnato attulerat. Rogat accusator; quid si ceteri faciant, etc.

XVI. 1. *Concessio.* Resp. I, 14; cf. Inv. II, 31. Wetz.

2. *De his primum part. ostend. est, deinde ad deprec. revertendum v.* Hæc Schützius ut ineptissimum emblema delevit. Gruterus, quamquam improbabat, tamen auctoris esse putabat.

3. *Num culpa.* Sic dedi pro vulgato « utrum per culpam », etsi hoc quoque rectum foret : nam *utrum* pro *num* dici, jam vidimus : nec tamen sine necessitate libris inferendum est. MSS meliores et edd. pr. usque ad Aldum, præter ed. 1474, quæ habet *utrum*, habent, ut edidi. Ern. — « Utrum per culpam », ed. 1476. Schütz. sic totum hunc locum commutavit : « In prima parte considerandum est, utrum præter culpam ventum sit in necessitudinem, an culpa venienti necessitudinem fecerit ». Vulgata lectio, inquit, continet absurdam sententiam. Quomodo enim necessitas potest culpam facere? Alterum igitur membrum emendavi e cod. Erf. in quo est : « num culpa veniendi necessitudinem fecerit », ubi tantum *veniendi* in *venienti*, h. e. « ei qui venerit in necessitudinem », mutavi. Pro « per culpam » in priore membro dedi « præter culpam ». Sic omnia optime cohærent. Denique nexus cum antecedentibus causa pro *primum* rescripsi : « in prima parte ».

4. *Deinde quærendum est.* Schütz. delet *est* auctoritate Voss. 3 et ed. Mediol. ut superfluum.

vitari potuerit, ac levari. Deinde is, qui in necessitudinem causam conferet, expertusne sit, quid contra[5] facere, aut excogitare posset. Deinde, num quæ suspiciones ex conjecturali constitutione trahi possint, quæ significent, id consulto factum esse, quod necessario accidisse[6] dicitur. Deinde, si maxime necessitudo quæpiam fuerit, conveniatne eam satis idoneam causam putari[7]. Si autem imprudentia reus se peccasse dicet, primum quæretur, utrum potuerit scire, an non potuerit. Deinde, utrum data sit opera, ut sciretur, an non. Deinde, utrum casu nescierit, an culpa: nam qui se propter vinum, aut amorem, aut iracundiam, fugisse rationem dicet, is animi vitio videbitur nescisse, non imprudentia: quare non imprudentia se defendet, sed culpa contaminabit[8]. Deinde conjecturali constitutione quæretur, utrum scierit, an ignoraverit, et considerabitur, satisne imprudentia præsidii debeat esse, quum factum esse[9] constet. Quum in fortunam causa conferetur, et ea re defensor ignosci reo dicet oportere, eadem omnia videntur consideranda, quæ de necessitudine præscripta sunt. Etenim omnes hæ tres partes purgationis inter se finitimæ sunt, ut in omnes eadem fere possint accommodari. Loci communes in his causis: accusatoris contra eum, qui, quum se peccasse confiteatur, tamen ora-

5. *Contra*. Supple necessitudinem.

6. *Accidisse dicitur*. Cod. Erf. *cecidisse*. Scn.

7. *Conveniatne eam sat. idoneam causam put.* Ita plerique MSS, neque secus edd. pr. Illud *causam* primum abjecerat Victorius, resumpseratque Lambinus. Grut.

8. *Contaminabit*. Addunt Pall. tres et Fabricianus *personam*, quomodo tamen nulli editi, in quibus ab ultima usque origine *contaminabitur*. Alterum illud substituit ex MSS suis Lambinus, restatque in Pal. quart. et quinto. Grut.

9. *Quum factum esse constet*. Gulielmius ex Fabriciano et post illum Gruterus addidere *imprudenter*, sane quam male, et contra scriptos plerosque et edd. itaque delevi. Oudend. etiam *esse* delebat, quod a codd. quibusdam abest. Non male. Ern.

tione judices demoretur[10]; defensoris, de humanitate, misericordia : voluntatem in omnibus rebus spectari convenire, et quæ consulto facta non sint, in iis fraudem esse non oportere[11].

XVII. (XVII.) Deprecatione[1] utemur, quum fatebimur nos peccasse, neque id imprudenter, aut fortuitu, aut necessario fecisse dicemus, et tamen ignosci nobis postulabimus. Hic ignoscendi ratio quæritur ex iis locis, si plura aut majora officia, quam maleficia, videbuntur constare[2]; si qua virtus aut nobilitas erit in eo, qui supplicabit; si qua spes erit, usui futurum, si sine supplicio discesserit; si ipse ille supplex, mansuetus et misericors in potestatibus ostendetur fuisse; si ea, quæ peccavit, non odio, neque crudelitate, sed officio et recto studio commotus fecit; si tali de causa aliis quoque ignotum est[3]; si nihil ab eo[4] periculi nobis futurum videbitur, si eum missum fecerimus; si nulla aut a nostris civibus, aut ab aliqua[5] civitate vituperatio ex ea re suscipietur. Loci communes, de humanitate, fortuna, misericordia, rerum commutatione. His locis omnibus ex contrario utetur is, qui contra dicet, cum amplificatione, et enumeratione peccatorum[6]. Hæc causa judicialis fieri non potest,

10. *Demoretur. Moretur* Ald. *commoretur* ed. Med. 1498.

11. *In iis fraudem esse non oportere.* « Ea fraudi esse non oportere » Rob. Steph. Lamb. et alii. Quod cum Ernestio recepimus, firmatur edd. vett. MSS melioribus codd. Pall. Duisb. et al. Sch. — *Fraudem*, facinus, scelus; quo sensu apud Cic. fraudem suscipere, concipere, committere, admittere; et de Or. I, 46, « scelus fransque nocentis ». Wetz.

XVII. 1. *Deprecatione.* Resp. c. 16, et I, 14; cf. de Inv. II, 34. Wetz.

2. *Constare.* Nota esse. Wetz.

3. *Ignotum est.* « Ignotum sit » ed. 1476.

4. *Si nihil ab eo periculi. Ab eo* abest ed. 1476.

5. *Aut ab aliqua civitate.* Delevi *alia*, auctoribus MSS nostris et aliis, item edd. pr. omnibus : additum est *alia*, ut alibi ab iis, qui vim verbi *aliqua*, pro alia qua, non assequebantur. Sic infra c. 25 : « aut aliquo hujusmodi vitio » Ern. quem Schütz. probat.

6. *Enumeratione peccatorum.* Edd.

ut in primo libro ostendimus[7] : sed quod potest vel ad senatum vel ad consilium[8] venire, non visa est supersedenda.

Quum a nobis crimen removere[9] volemus, aut in rem, aut in hominem nostri peccati causam conferemus. Si causa in hominem conferetur, quærendum erit primum, potueritne tantum, quantum reus demonstrabit, is, in quem causa conferetur, et quonam modo aut honeste, aut sine periculo potuerit obsistere[10]: si maxime ita sit, num ea re concedi reo conveniat, quod alieno inductu fecerit: deinde in conjecturalem trahetur controversiam, et[11] edisseretur, num consulto factum sit. Si causa in rem quamdam conferetur, et hæc eadem fere, et omnia, quæ de necessitudine præcepimus, consideranda erunt.

XVIII. (XVIII.) Quoniam satis ostendisse[1] videmur, quibus argumentationibus in unoquoque genere causæ judicialis uti conveniret; consequi videtur, ut doceamus, quemadmodum ipsas argumentationes ornate et absolute tractare possimus. Nam fere non difficile est invenire, quid sit causæ adjumento: difficillimum vero

ante Grævium « enumeratione omnium peccatorum ». Sed *omnium* recte omissum in codd. Gronov. SCH.

7. *Ut in primo libro ostendimus.* Cap. 14.

8. *Consilium.* Imperatoris.

9. *Crimen removere.* De criminis remotione, resp. I, 14, 15; cf. Cic. de Inv. II, 29, 30.

10. *Et quonam modo...obsistere.* Sic edd. omnes ante Aldum, qui dedit « et q. m...obsisti » : post fecit aliquis *ecquonam*, nescio an de industria, quod primum in ed. Hervag. reperi. Non habere potest locum *obsisti :* nam deberet etiam esse *potuisset*. Correctio videtur orta ex eo quod subjectum *reus* remotius est, quod intelligi debet. Ceterum tamen inest aliquid duri ; et quod videtur vidisse, qui dedit *ecquonam :* si esset « ecquo modo », nihil offenderet, et fortasse *et quo* factum est ex *ecquo*. ERN.

11. *Et edisseretur.* Sic omnes libri scripti. *Edisserere*, argumentatione disquirere. *Disseretur* item exstat in edd. pr. nam sequentes « et quæretur ». GRUT.—De conjecturali contr. resp. 11; de necessitudine, I, 14.

XVIII. 1. *Ostendisse.* Sic pro vulgato *ostendere* edidimus ex libris sc. et edd. vett. quod et sequens *conveniret* et sensus requirunt. ERN. quem Sch. probat et sequitur.

est, inventum expolire [2], et expedite pronuntiare. Hæc enim res facit, ut neque diutius, quam satis sit, in eisdem locis commoremur, neque eodem identidem revolvamur, neque inchoatam argumentationem relinquamus, neque incommode ad aliam deinceps transeamus. Itaque hac ratione et ipsi meminisse poterimus, quid quoquo loco dixerimus, et auditor quum totius causæ, tum uniuscujusque argumentationis distributionem percipere et meminisse poterit. Ergo absolutissima et perfectissima argumentatio est ea, quæ in quinque partes est distributa [3] : propositionem, rationem, rationis confirmationem, exornationem, complexionem. Propositio [4] est, per quam ostendimus summatim, quid sit, quod probare volumus. Ratio [5] est causa, quæ demonstrat verum esse id, quod intendimus, brevi subjectione. Rationis confirmatio est ea, quæ pluribus argumentis corroborat breviter expositam rationem. Exornatio est, qua utimur rei honestandæ et collocupletandæ [6] causa, confirmata argumentatione. Complexio est, quæ concludit breviter, colligens partes argumentationis.

XIX. (XIX.) Hisce igitur quinque partibus ut absolutissime utamur, hoc modo tractabimus argumentationem. « Causam ostendemus [1] Ulyssi fuisse, quare inter-

2. *Inventum expol. et exped. pron.* Inventa commendare apto et expedito ordine proferendo.

3. *Quæ in q. partes est d.* Cf. de Inv. I, 37, quinque argumentationis partes, quæ sunt : « propositio, ejus approbatio, assumptio, ejus approbatio, complexio ». Wetz.

4. *Propositio.* Infra cap. 20 est expositio. Wetz.

5. *Ratio.* Vides ex definitione idem esse atque propositionis approbationem, apud Cic. de Inv. — *Brevi subjectione.* J. V. *Leclerc : par une analyse rapide de nos moyens.*

6. *Et collocupletandæ.* Edd. pr. usque ad Aldum « atque locupletandæ ». Sed codd. in vulgata consentiunt, præter unum Leid. ap. Oud. Verbum *collocupletare* iterum occurrit inf. c. 29, ubi tamen pariter edd. veteres habent *locupl.* etiam unus et alter scriptus. Ern. quem Sch. probat.

XIX. 1. *Causam ostendemus.* Singulis partibus hujus exempli cod. Erf. et Cauch. titulos partium argu-

fecerit Ajacem : inimicum enim acerrimum de medio tollere volebat; a quo sibi non injuria summum periculum metuebat. Videbat, illo incolumi, se incolumem non futurum; sperabat illius morte se salutem sibi comparare; consueverat, si jure non poterat, quavis injuria inimico exitium machinari; cui rei mors indigna Palamedis testimonium dat[2]. Ergo et metus periculi hortabatur eum interimere, a quo supplicium verebatur; et consuetudo peccandi, maleficii suscipiendi removebat dubitationem. Omnes enim quum minima peccata cum causa[3] suscipiunt, tum vero illa, quæ multo maxima sunt maleficia, aliquo certo emolumento ducti suscipere conantur. Si multos induxit in peccatum pecuniæ spes, si complures scelere se contaminaverunt imperii cupiditate; si multi leve compendium[4] fraude maxima commutarunt[5]; cui mirum videbitur, istum a maleficio propter acerrimam formidinem non temperasse[6]. Virum fortissimum, integerrimum, inimicitiarum persequentissimum, injuria lacessitum, ira exsuscitatum[7], homo timidus,

mentationis præfigunt : « propositio, ratio, etc. » Iidem in Voss. 1 in margine leguntur, ut a grammatico adjectos esse dubitari nequeat. Schutz. — Idem exemplum respice I, 11; cf. Cic. de Inv. I, 8. Gaudent autem græci rhetores Homericis exemplis.

2. *Testimonium dat.* Vox ultima non influit suaviter in aures : estque in Pal. primo « testimonium præbet » : forsan utraque est a librariis. Grut. — De Palamede vide Heyne, Exc. IV ad Virgilii Æneid. II.

3. *Quum minima peccata cum causa.* Habent vett. edd. inter quas 1476, « quum minima de causa peccata suscipiunt, tum, etc. » quod fortasse non spernendum, ut sensus sit : Omnes homines quos minima de causa suscepisse peccata constat, ubi certa utilitas aderit, parum dubii est quin maxima quoque admittere parati sint. Quod optime convenit cum sqq. « si multi leve compendium, etc. »

4. *Compendium.* Emolumentum.

5. *Commutarunt.* Nihil refert, utrum sic, an cum vulgatis *commutaverunt* legatur : sed tamen libros veteres scr. et edd. sequuti sumus. Ern.

6. *Non temperasse.* Schütz. « sibi non temperasse ». E conject. Lambini, inquit, « non temperasse ». Vulgo « non se temperasse ». MS Trac.

7. *Exsuscitatum.* Ita fere edd. vett. usque ad Aldum, qui dedit *excitatum*. Illud est in MSS Voss. 2, Leid. 2, 3. Sch.

nocens, conscius sui peccati, insidiosus, inimicum[8] incolumem esse noluit : cui tandem hoc mirum videbitur? Nam quum feras bestias videamus alacres et erectas vadere, ut alteri bestiæ noceant; non est incredibile putandum, istius quoque animum ferum, crudelem, atque inhumanum, cupide ad inimici perniciem profectum[9]; præsertim quum in bestiis nullam neque bonam neque malam rationem videamus[10]; in isto plurimas et pessimas rationes semper fuisse intelligamus. Si ergo pollicitus sum, me daturum causam[11], qua inductus Ulysses accesserit ad maleficium, et, si inimicitiarum[12] acerrimam rationem, et periculi metum intercessisse demonstravi; non est dubium, quin confiteatur causam maleficii fuisse ». Ergo absolutissima est argumentatio ea, quæ ex quinque partibus constat; sed ea non semper necesse est uti. Tum enim complexione supersedendum est[13], si res brevis est, ut facile memoria comprehendatur : tum exornatio prætermittenda est, si parum locuples ad amplificandum et exornandum res videtur esse. Sin et brevis erit argumentatio, et res tenuis, aut humilis; tum et exornatione et complexione supersedendum est. In omni argumentatione[14] de duabus partibus postremis, hæc, quam exposui, ratio est habenda. Ergo

8. *Inimicum*. Schütz. *inimicus*. Sic legendum censuit Gronovius, quod Ernestio quoque placuit. *Inimicum* Lambinus et Grævius e glossa fluxisse putabant.

9. *Profectum*. Hoc adversus Gruterum, qui malebat *provectum*, recte tuetur Gronov.

10. *Rationem videamus*. Delevimus *esse*, quod ab edd. pr. et MSS melioribus abest, idque melius. Ern. — *Esse vid.* ed. 1476.

11. *Me daturum causam*. Lambinus conj. *dicturum*; idque est in cod. Pith. sed nihil mutandum. Sch.

12. *Et, si inimicitiarum*. Copulam omittit Leid. 4, quod prob. Oud. Sch.

13. *Tum enim compl. supersedendum est*. Hic et post *præmittenda* delevimus *est*, quod h. l. nimis redundat. Sch.

14. *In omni argument. de duobus part. postrem. hæc, quam exposui, rat. est habenda*. Has voces Sch. ut ineptissimam glossatoris laciniam ejicit.

amplissima est argumentatio quinquepartita; brevissima est tripartita[15]; mediocris, sublata aut exornatione aut complexione, quadripartita.

XX. (XX.) Duo genera sunt vitiosarum argumentationum: unum, quod ab adversario reprehendi potest, idque pertinet ad causam: alterum, quod tametsi nugatorium est, tamen non indiget[1] reprehensionis. Quæ sint, quæ reprehensione confutari conveniat, quæ tacite contemni atque vitari[2] sine reprehensione, nisi exempla subjecero[3], intelligere dilucide non poteris. Hæc cognitio[4] vitiosarum argumentationum duplicem utilitatem afferet: nam et vitare in argumentatione vitium admonebit, et ab aliis non vitatum commode reprehendere docebit. Quoniam igitur ostendimus, perfectam et plenam argumentationem ex quinque partibus constare, in unaquaque parte argumentationis quæ vitia vitanda sint[5], consideremus: ut et ipsi ab his vitiis recedere, et adversariorum argumentationes hac præceptione in omnibus partibus tentare, et ab aliqua parte labefactare possimus.

15. *Brevissima est tripartita*. Sch. delet *est*.

XX. 1. *Non ind. reprehensionis*. Vulgo *reprehensione*. Illud J. Gron. reperit in MSS Medic. Oud. in aliis, nos in Cort. quod est, ut Gronovius monuit, consentiens consuetudini auctoris in struendo verbo *indigere*. Favet etiam contextus, quum mox sequatur *reprehensione*. Ern. quem Sch. sequutus est. De reprehensione vid. infr. 21; Cic. de Inv. I, 42.

2. *Vitari*. Omitti.

3. *Nisi exempla subjecero, intelligere dilucide non poteris*. Fecimus *nisi* e *si*, et addidimus *non* e MSS optimis et edd. pr. ut 1474, Med. 1474 et 1498, atque ita placebat Grævio et Oudend. Ern.

4. *Hæc cognitio vitiosarum ... reprehendere docebit*. Hæc, ut spuria, Schützius recidit. Eadem enim, inquit, statim ornatius dicuntur, ut bis deinceps idem dictum esse ab auctore non sit credibile.

5. *Quæ vitia vitanda sint*. Pro vulg. *sunt*, quod ratio primum docuit, post e MS Cort. et ap. Oud. e MSS Leid. notatum reperi. Itaque recepi. Ern. — Gruterus, *sunt*. Sic, inquit, libri omnes olim editi, nedum scripti, nisi quod Pal. pr. destituatur illo *vitia*; et abesse potest. Stephanus atque Manutius « vitia evitanda ».

(xxi.) Expositio[6] vitiosa est, quum ab aliqua aut a majore parte ad omnes id confertur[7], quod non necessario est omnibus attributum; ut si quis hoc modo exponat: « Omnes, qui in paupertate sunt, malunt maleficio parare divitias, quam officio paupertatem tueri ». Si quis hoc modo exposuerit argumentationem, ut non curet quærere, qualis ratio aut rationis confirmatio sit, ipsam facile reprehendemus expositionem, quum ostendemus, id quod in aliquo paupere improbo sit, in omnes pauperes falso et injuria conferri. Item vitiosa expositio est, quum id, quod raro fit, fieri omnino negatur, hoc modo: « Nemo potest uno aspectu, neque præteriens, in amorem incidere ». Nam quum non nemo devenerit in amorem uno aspectu, et quum ille neminem dixerit omnino, nihil differt[8] raro id fieri, dummodo aliquando fieri aut posse fieri intelligatur.

XXI. Item vitiosa expositio est, quum omnes res ostendimus nos collegisse, et aliquam rem idoneam præterimus, hoc modo: « Quoniam igitur hominem occisum constat esse, necesse est aut a prædonibus, aut ab inimicis occisum esse, aut abs te, quem ille heredem testamento ex parte fecerat[1]. Prædones illo loco numquam sunt visi[2]: inimicum nullum habebat: relinquitur, si neque a prædonibus, neque ab inimicis occisus est, quoniam alteri non erant, alteros non habebat, ut abs te sit interemptus ». Nam in hujusce-

6. *Expositio*. Resp. cap. 18.

7. *Id confertur*. « Confertur id » edd. vett. Gruterus, Ernest.

8. *Nihil differt raro*. Schütz. « nihil refert r. » Ita, inquit, Lambinus e MSS recte.

XXI. 1. *Ex parte fecerat*. Etiam sine libris sic corrigendum erat. Sed est sic in MSS quibusdam et edd. omnib. (1475), Med. 1498. Vulgo *faciebat*. Paullo post in MS Cort. est *habuit*, quod melius puto, quia perfectum præcedit. Ern. quem Schütz. probat et sequitur.

2. *Sunt visi*. Abest *sunt* Leid. 2, probante Oudend. Schütz.

modi expositione, reprehensione utemur, si quos præter eos, quos[3] ille dixerit, potuisse suscipere maleficium ostenderimus : velut in hoc exemplo, quum dixerit necesse esse aut a prædonibus, aut ab inimicis, aut a nobis occisum esse; dicemus potuisse vel a familia vel a coheredibus nostris. Quum hoc modo illorum collectionem[4] disturbaverimus, nobis latiorem locum defendendi relinquemus[5]. Ergo hoc quoque vitandum est in expositione, ne quando, quum omnia collegisse videamur, aliquam idoneam partem reliquerimus. (XXII.) Item vitiosa expositio est, quæ constat ex falsa enumeratione : ut si, quum plura sunt, pauciora dicamus, hoc modo : « Duæ res sunt, judices, quæ omnes ad maleficium[6] impellunt, luxuries et avaritia ». — « Quid amor? inquiet quispiam : quid ambitio? quid religio[7]? quid metus mortis? quid im-

3. *Si quos præter eos, quos.* Schütz. « si quos præterea, quam ». Sic jam Grævius, inquit, e vestigiis cod. Erf. legendum putabat. Sed idem est in Leid. 2 a manu prima; et probat Oudend.

4. *Collectionem*, enumerationem; *illorum*, adversariorum.

5. *Locum defendendi relinquemus.* E septem MSS notatum, nosque ipsi, in duobus reperimus *relinquerimus*, item ed. Med. 1474. Vicissim in seqq. pro *reliquerimus* reperimus etiam in edd. pr. *relinquemus.* Non audeo reficere *relinqueremus* in primo. Cæterum totum illud : « Ergo hoc quoque vitandum ...... reliquerimus » abest a MS Cort. Et potest commode hæc conclusio abesse, quum cetera genera nullam similem habeant. Ern. cujus auctoritate hæc Schütz. delevit.

6. *Quæ omnes ad malef.* Schütz. *homines.* Hoc ex auctoritate, inquit, Voss. 1 et ed. Omniboni recepi. Est enim aptius, quam vulgatum *omnes. Homines* ed. 1476.

7. *Quid religio?* Ernest. *irreligio* ex pluribus MSS in Oudend. omnibus, item in edd. pluribus primis, 1474, 1475, Juntina, Ald. et aliis.—Schütz. *religio.* Sic, inquit, in nonnullis MSS. In aliis, et in edd. *irreligio*, quod nollem Ernestius tenuisset : nam sine dubio hæc est lectio exquisitior et difficilior. *Irreligio* videtur monachis librariis deberi, qui alteram lectionem impiam esse putabant; ac dubium est, an omnino auctoris nostri ætate jam in usu fuerit vocabulum *irreligio.* Quod autem Ernest. putabat, *religionem*, i. e. superstitionem, ab. h. l. alienam esse, non recordabatur notissimum illud Lucretianum : « Tantum relligio potuit suadere malorum ». Optime quoque *religio*, h. e. δεισιδαι-

perii cupiditas? quid denique alia permulta? » Item falsa enumeratio est, quum pauciora sunt, et plura dicimus, hoc modo : « Tres res sunt, quæ omnes homines [8] sollicitant, metus, cupiditas, ægritudo [9] ». Satis enim fuerat dixisse metum et cupiditatem : quoniam ægritudinem cum utraque re conjunctam esse necesse est.

XXII. Item vitiosa expositio est, quæ nimium longe repetitur, hoc modo : « Omnium malorum stultitia est mater, quæ parit immensas cupiditates : immensæ porro cupiditates infinitæ et immoderatæ sunt [1] : hæ pariunt avaritiam : avaritia porro hominem ad quodvis maleficium impellit. Igitur avaritia inducti adversarii nostri, hoc in se facinus admiserunt ». Hic id, quod extremum dictum est, satis fuit exponere [2], ne Ennium, et ceteros poetas imitemur, quibus hoc modo loqui concessum est :

Utinam ne in nemore Pelio securibus
Cæsa cecidisset abiegna [3] ad terram trabes;
Neve inde navis inchoandæ exordium
Cœpisset, quæ nunc nominatur nomine
Argo [4], qua vecti Argivi delecti viri,

μονία, inanis deorum metus, cum metu mortis componitur. Schütz. — Perperam vulgo *irreligio*. J. V. L.

8. *Quæ omnes homines*. Schütz. delet *omnes* e Voss. 3.

9. *Ægritudo*. Quid sit apud Ciceronem, vide Tusc. III, 11.

XXII. 1. *Immensæ porro cupiditates infinitæ et immoderatæ sunt : hæ pariunt avaritiam*. Schütz. sic hunc locum edidit : « Immensæ cupiditates pariunt avaritiam ». Manifestum est, inquit, amplificationem istam, quæ in vulg. legitur a glossatore profectam.

2. *Extremum ... exponere*. Avaritiam nominare. Avaritiam enim cupiditatem esse quis est qui ignoret? cupiditates autem stultitiæ filias esse, nec in sapientem cadere, hujus loci non est demonstrare. Wetz. — Subjecti versus ex Ennii Medea sunt, ab Euripide mutuati in Medea, prologi initio. Cf. Phædri lib. IV, Fabulam 7.

3. *Cæsa cecidisset abiegna*. MSS nostri et alii pluralem numerum in his exhibent, *Cæsæ*, etc. et sic omnes edd. pr. Quia tamen alibi, Inv. I, 49, et Nat. Deor. III, 30, singularis est, recipere non sum ausus, vid. ibi. Ern. — Schütz. *accidisset*, ex emendatione Oudend.

4. *Argo*, *qua vecti Argivi delecti*

Petebant illam pellem inauratam arietis,
Colchis, imperio regis Peliæ per dolum!
Nam numquam [5] hera errans mea, domo efferret pedem
Medea, animo ægra, amore sævo saucia [6].

Nam hic satis erat dicere (si id modo, quod esset satis [7], curasset poeta):

Utinam ne hera errans mea, domo efferret pedem
Medea [8]!

Ergo hac quoque ab ultimo repetitione in expositionibus magnopere supersedendum est. Non enim reprehensione, sicut aliæ complures, sed sua sponte vitiosa est.

XXIII. (XXIII.) Vitiosa ratio est [1], quæ ad expositionem non est accommodata, vel propter infirmitatem, vel propter vanitatem: infirma ratio est [2], quæ non ne-

viri, Petebant illam pellem inauratam arietis. Habent edd. vett. « Argo, in qua Argivi delecti viri vecti Petebant pellem illam a. » Ed. Schütz. « Argo, qua Argivi mille delecti viri vecti Petebant pellem inauratam arietis ». Hos versiculos, inquit, constitui de Grævii sententia, et sic fere convenit lectio cum Cic. Tusc. I, 20, ex optima acutissimi Wolfii recensione. Lambinus a conj. Ranconeti edidit : « Petebant villo pellem inaurato arietis ».

5. *Numquam. Nusquam* conj. Gruterus.

6. *Hera errans mea, domo efferret pedem Medea, animo ægra, amore sævo saucia.* In ed. 1476 : « hera mea errans pedem efferret domo M. a. æ. et amore saucia »; ed. Med. 1498, « hera e. m. Medea pedem efferret domo ægra, amore saucia ».—*Animo ægra.* Hæc in MS Cort. et ed. 1474 reperiuntur in altero breviori carmine: in edd. pr. utroque loco. Sed vitiose. Grævius tamen *amore saucia* addit e MS Pithœi, quod Oud. sequitur, sed et Medeæ nomen tollit. Ern.

7. *Quod esset satis.* « Quod satis erat », edd. vet. Grut. arridet, inquit, animo meo scriptura Palatina, « si id modo quod satis esset curarent poetæ ». Ita pr. quart. sext. Pall.

8. *Utinam ne hera errans mea, domo efferret pedem Medea!* Multi codices addunt *amore saucia*. Id Grævius et Oudend. defendunt, et hic quidem ita, ut deleatur *Medea;* sed post hunc versiculum iterum enarrator aliquis ineptum adjecit corollarium. « Ergo hac quoque ab ultimo .... sed sua sponte vitiosa est ». Quæ sustuli. Schutz.

XXIII. 1. *Vitiosa ratio est.* « Ratio vitiosa est », Schütz. Sic scribendum est, inquit, quia novus hic locus incipit, in quo semper subjectum antecedit.

2. *Infirma ratio est*, etc. Huc

cessario ostendit ita esse, quemadmodum expositum est : velut apud Plautum [3] :

Amicum castigare ob meritam noxiam,
Immune est facinus [4] : verum in ætate [5] utile
Et conducibile.

Hæc expositio est : videamus, quæ ratio afferatur :

Nam ego amicum hodie meum
Concastigabo pro commerita noxia [6].

Ex eo, quod ipse facturus est, non ex eo, quod fieri convenit, utile quid sit, ratiocinatur. Vana ratio est, quæ ex falsa causa constat, hoc modo : « Amor fugiendus non est : nam ex eo verissima nascitur amicitia ». Aut hoc modo : « Philosophia vitanda [7] est : affert enim secordiam atque desidiam ». Nam hæ rationes nisi falsæ sint [8], expositiones quoque earum veras esse confiteremur. Item infirma ratio est, quæ non necessariam causam affert expositionis ; velut Pacuvius :

Fortunam insanam esse et cæcam et brutam perhibent philosophi,
Saxoque illam instare globoso prædicant volubilem [9] :

Schütz transtulit « vana ratio est . . . . . . confiteremur », postque reposuit *infirma ratio*. Ratio in promptu est, inquit. Nam species *infirmæ rationis* non debent *vanæ rationis* explicatione interrumpi.

3. *Plautum*. Trin. I, 1, 2. Wetz.

4. *Immune est facinus*. Ernest. *immane*. Frustra, inquit, hic viri docti corrigunt *immune*, idque recepit Grævius pro *improbum*, ut ante Lamb. decepti loco Festi ; quem vitiosum esse bene docet Dorpius V. C. in Observ. p. 148. — Mirum est, Ernestium in hoc loco Plautino vitiosam lectionem *immane est facinus* potuisse defendere. *Immune facinus* apud Plautum est *ingratum negotium*. Sch.

5. *In ætate*. In vita, interdum, aliquando.

6. *Amicum hodie meum Concastigabo pro commerita noxia*. MSS et editiones veteres fere habent *Non castigabo* ; sed id sensus non admittit. Ernest.

7. *Philosophia vitanda est*. Alii *fugienda est*.

8. *Nisi falsæ sint*. Vulgo ex edd. vett. quas Ernestius Schütziusque sequuntur, *essent*.

9. *Saxoque illam instare globoso prædicant volubilem*. Male et contra

Ideo, quo saxum impulerit fors, cadere eo fortunam autumant.
Cæcam ob eam rem esse iterant, quia nihil cernat, quo sese applicet.
Insanam autem aiunt, quia atrox, incerta, instabilisque sit.
Brutam, quia dignum atque indignum [10] nequeat internoscere.
Sunt autem alii philosophi, qui contra fortuna negent
Miseriam esse ullam [11], sed temeritate omnia regi: id magis
Verisimile aiunt; quod usus reapse experiundo edocet.
Velut Orestes modo fuit rex, modo mendicus factus est [12];
Naufragio res contigit. Nempe ergo haud fortuna obtigit [13].

Nam hic Pacuvius infirma ratione utitur, quum ait,

libros, qui rescribunt *volubili*: nam alterum illud epitheton fortunæ proprium. Interim mirandum est MSS omnes habere « Saxique instar globosi esse volubilem ». Ita sane melioris notæ, hoc est, originis germanæ. Libri quippe Italiæ quidam aut *prædicant* interjiciunt, aut *dicunt*. Grut. — Et apud Cebetem Fortuna fingitur ἑστηκυῖα ἐπὶ λίθου τινὸς στρογγύλου. — Schütz. *volubili*. Sic recte, inquit, Aldus; item cod. Erf. Cauch.

10. *Atque indignum*. « Aut indignum » vett. edd.

11. *Qui contra fortuna negent Miseriam esse ullam*. In h. l. ita variant libri scripti et editi, ut nihil certi esse possit. *Negent* dedimus e MSS et ed. Med. pro *negant*. Ernst. — Sch. « qui c. fortunam n. Esse ullam ». Vulgo, inquit, « f. n. Miseriam es. ul. », in quo *miseriam*, vel, ut alii legunt, « misericordiam aut humanitatem », vel, vitio librariorum, vel glossatoris commento debetur. Quod autem *fortuna* hic a *temeritate*, i. e. casu, distinguitur, id sic accipiendum est. Fortuna hic ut dea inducitur; quam qui negant esse ullam, omnia ad casus temeritatem referunt. Sic locus quem Ernest. ut desperatum reliquit, ita expeditus est, ut nihil supersit offensionis. Ed. 1476, et ed. Med. 1498, « Sunt item philosophi qui fortunam negant ullam esse ». Nisi quod ed. 1476, *negent*. — Quibus auctoribus Schützii lectionem receperim; sed malim cum Wetzelio et Cl. viro *Leclerc* interpretari temeritate *hominum* non *casu* hæc regi. Orestes mendicus e rege factus est, quia temere se mari credidit. Quo modo nisi interpretatus fueris, non infirma tantum Pacuvii ratio, sed perabsurda est. Nostro autem sensu intelligi potest: sed merito reprehenditur.

12. *Modo mendicus factus est*. « Factus est mendicus modo » Voss. 2, Leid. 2, 4, ed. Omniboni, et probat Oudend. Schütz. — Sic etiam omnes quas vidimus vett. edd. sed vulgata magis placet.

13. *Naufragio res contigit. Nempe ergo haud fortuna obtigit*. Pal. quartus, « Naufragos nempe res ista contigit. Ergo id non forte neque fortuna obtigit »; at quintus, « Naufragio nempe res ista contingit; ergo id fluctu non forte aut fortuna obtigit ». Gulielmius e varietate suorum istud eruebat, « Naufragio contigit, ergo id non forte aut fortuna obtigit », ut det *contingere* temeritati, fortunæ *obtingere*. Grut. — Quæ lectio vera sit neutiquam video; sed parum arridet hæc nostra ex optimis licet recentiorum editionibus sumpta, quæ habet continuo: « Nempe ergo haud ».

« verius esse temeritate, quam fortuna res[14] regi » : nam utraque opinione philosophorum fieri potuit, ut is, qui rex fuisset, mendicus fieret[15].

XXIV. (xxiv.) Item infirma ratio est, quæ videtur pro ratione afferri[1], sed idem dicit, quod in expositione dictum est, hoc modo : « Magno malo est hominibus[2] avaritia, idcirco quod homines magnis et multis incommodis conflictantur propter immensam pecuniæ cupiditatem ». Nam hic aliis verbis idem per rationem dicitur, quod dictum est per expositionem. Item infirma ratio est, quæ minus idoneam, quam res postulat, causam subjicit expositionis[3], hoc modo : « Utilis est sapientia, propterea quod qui sapientes sunt, pietatem colere consuerunt[4] ». Item, « Utile est amicos veros habere : habeas enim quibuscum jocari possis ». Nam hujusmodi in rationibus non universa[5], neque absoluta, sed extenuata ratione[6] expositio confirmatur. Item infirma ratio est, quæ vel alii expositioni potest accommodari, ut facit Pacuvius, qui eamdem affert rationem, quare cæca; eamdem, quare bruta Fortuna dicatur.

(xxv.) In confirmatione rationis, multa et vitanda

14. *Res regi. Res geri* ed. Med. 1498.

15. *Mendicus fieret.* « Mendicus factus esset » ed. 1476, ed. Med. 1498, Gruterus et Ald. Ernest. *fieret* e MSS duobus ap. Oud. et e lege, ut ait, latinitatis, quæ certe si talis est qualem putat, parum veniæ ac laxamenti habet.

XXIV. 1. *Quæ videtur pro ratione afferri, sed idem dicit, quod in.* Ed. Med. 1498, « quum videtur afferri quod in ».

2. *Hominibus. Omnibus* Ald. ed. Med. 1498, male.

3. *Subjicit expositionis. S. expositioni* ed. Med. 1476, ed. Med. 1498.

4. *Consuerunt. Consueverunt* ed. 1476, ed. Med. 1498, Grut.

5. *Universa. Universali* Ald. Sic aliæ edd. vett.

6. *Extenuata ratione.* I. e. quam nos vulgo opponimus generali, et appellamus specialem; quæ non modo generi conveniat, sed ad eam formam accommodata sit, de qua sermo est : ut in exemplis propositis, ratio utilitatis amicorum est generalis : cadit enim non modo in amicos, sed etiam in alios. Ern.

in nostra, et observanda in adversariorum ratione sunt vitia, propptereaque diligentius[7] consideranda, quod accurata confirmatio rationis totam vehementissime comprobat argumentationem. Utuntur igitur studiosi[8] in confirmanda ratione duplici[9] conclusione, modo :

Injuria abs te afficior indigna, pater.
Nam, si improbum Cresphontem existimaveras[10],
Cur me huic locabas[11] nuptiis? sin est probus,
Cur talem invitam invitum cogis linquere[12]?

Quæ hoc modo concludentur, aut ex contrario convertentur, aut ex simplici parte reprehendentur. Ex contrario hoc modo :

Nulla te indigna, nata, afficio injuria.
Si probus est, collocavi[13] : sin autem improbus,
Divortio te liberabo incommodis.

7. *Diligentius consideranda.* Delevi *sunt*, quod et a nostris MSS et a multis ap. Oud. et Græv. abest, temere huc e proximo tractum : item ab ed. Junt. Ern. — *Sunt* adest in edd. 1476, Med. 1498, et Gruter.

8. *Igitur studiosi.* Sic pro *studiose* dedimus, e MSS nostris et aliis ap. Oudend. edd. antiquis. Lambinus induxit *studiose* e duobus scr. ineptum judicans h. l. *studiosi :* quod miror in illa viri elegantia. *Studiosi* sunt eloquentiæ cultores. Ceterum non nego, et vulgatum bene dici, ut *utuntur* absolute dicatur. Sed plures et meliores libri sunt audiendi. Ern. — *Studiosi* non sunt, puto, « eloquentiæ cultores », sed « qui ea studiosius tractant ».

9. *Duplici conclusione.* I. e. dilemmate.

10. *Nam, si improbum Cresphontem existimaveras.* Schütz. « Nam, si Cresphontem existimabas improbum » ex edd. pr. et MSS aliquot et Leid. 2. « Namsi imp. Cresph. existimaveras » MSS Oudend. omnes.

11. *Cur me huic locabas?* Habent vett. edd. *hujus.*

12. *Injuria abs te afficior ... linquere?* Hi versus quatuor sunt Ennii ex Cresphonte, quam Euripidis fabulam ille erat imitatus.

13. *Collocavi.* MSS habent vel *col. locavi*, ut edd. vett. vel *te collocavi*, quod et ed. 1474 habet. Puto cum Oudend. optimum esse *te locavi*, sed libros plures sequutus sum. *Bene* est glossa quam primus induxit Aldus. Ern. — Schütz. *te locavi*, auctoritate Oudend. Gruterus *bene locavi.* Quomodo autem his versibus superior ratio infirmetur non satis perspicio.

Ex simplici parte reprehendentur, si ex duplici conclusione alterutra pars diluetur[14], hoc modo :

> Nam, si improbum Cresphontem existimaveras,
> Cur me huic locabas nuptiis? — Duxi probum.
> Erràvi : post cognovi, et fugio cognitum.

Ergo reprehensio hujus conclusionis duplex est; acutior illa superior, facilior hæc posterior ad excogitandum.

XXV. Item vitiosa est confirmatio rationis, quum ea re, quæ plura significat, abutimur pro certo unius rei signo, hoc modo : « Necesse est, quoniam pallet, ægrotasse : aut, Necesse est peperisse, quoniam sustinet puerum infantem ». Nam hæc sua sponte certa signa non habent, si non cetera quoque similia concurrant. Quod si concurrerint, nonnihil illiusmodi signa adaugent suspicionem. Item vitiosum est, quum vel in alium, vel in eum ipsum, qui dicit, id, quod in adversarium dicitur, potest convenire, hoc modo :

> Miseri sunt, qui uxores ducunt. — At tu duxisti alteram.

Item vitiosum est id, quod vulgarem[1] habet defensionem, hoc modo : « Iracundia inductus[2] peccavit, aut adolescentia, aut amore ». Hujuscemodi enim deprecationes si probabuntur, impune maxima[3] peccata

14. *Diluetur.* Sic correxi vulgatum *diluitur*, necessario, ut responderet superioribus, ubi sunt futura, et e cod. Voss. ap. Oudend. Ern. — *Diluitur* edd. 1476, Med. 1498, et Grut.

XXV. 1. *Vulgarem.* Wetzelius eam putat quam non ab oratore, sed a vulgo tantum exspectes. Intelligendum vero quæ in vulgus cadit, quæ promiscue dari potest, ita ut si admiseris impune maxima peccata dilabantur.

2. *Iracundia inductus.* Schütz. « ab iracundia deductus ». Sic, inquit, cod. Erf. et Cauch.

3. *Maxima peccata d.* Schütz. « in maxima p. d. » Sic, inquit, edd. priores. Post edi cœptum « maxima dilabentur ».—Quidam libri *diluentur*, quod non sinit vox *impune*. Ortum vitium e scriptura vitiosa, *dilubentur*, quæ est v. c. in ed. 1474, placebat tamen Oudend. Ern. — Quas vidi-

dilabentur. Item vitiosum est, quum id pro certo sumitur, quod inter omnes non constat, quia etiam nunc[4] in controversia est, hoc modo :

Eho tu, dii, quibus est potestas motus superum [5], atque inferum,
Pacem inter sese conciliant, et conferunt concordiam.

Nam ita pro suo jure hoc exemplo[6] usum Cresphontem Ennius induxit, quasi jam satis certis rationibus, ita esse, demonstrasset. Item vitiosum est, quod jam quasi sero, atque acto negotio, dici videtur, hoc modo : « In mentem mihi si venisset, Quirites, non commisissem, ut hunc in locum res veniret; nam aut hoc, aut hoc[7] fecissem ; sed me tum hæc ratio[8] fugit ». Item vitiosum est, quum id, quod in aperto delicto positum est, tamen aliqua levi tegitur defensione, hoc modo :

Quum te expetebant[9] omnes, florentissimo
Regno reliqui : nunc desertum ab omnibus,
Summo periculo sola ut restituam paro.

XXVI. (xxvi.) Item vitiosum est, quod in aliam partem, ac dictum sit, potest accipi. Id est hujusmodi,

mus editiones veteres habent omnes *diluentur.* Arridet tamen Schützii lectio.

4. *Quia etiam nunc.* Vett. edd. dant « quod etiam nunc ». Et prætulerim.

5. *Potestas motus superum.* Qui movent nutu suo cælum et terram, sunt domini cæli et terræ. Versus sequens est mancus uno pede. MSS quidam et edd. pr. habent *sese*, ut est de Inv. I, 49, sed ne sic quidem plenus est versus. Item edd. 1474, Med. Junt. *conferuntque ;* sed id metrum non admittit. Edidi quod est in MS Lips. *et conferunt*, præsertim quum copulam illæ edd. agnoscant. Ern.

6. *Hoc exemplo* abest edd. 1476, Med. 1498.

7. *Nam aut hoc, aut hoc.* Prius *aut* addidi e MS Cort. ed. 1474, quod et consuetudini auctoris similius est. Ern. — Abest ab ed. 1476, quæ sæpe cum ed. 1474 consentit.

8. *Hæc ratio fugit. Hæc* abest MS Cort. quod verum puto : nam simpliciter alias dicitur, « me ratio fugit ». Ernest.

9. *Quum te expetebant.* MSS plures et Cort. item ed. 1474, 1475, Med. Junt. *exspectabant :* idque placebat Gulielmio, sed metrum repugnat, cui consentit *expetebant.* Ern. — Cf. de Inv. I, 48.

ut, si quis potens ac factiosus in concione dixerit: « Satius est uti regibus[1], quam malis legibus ». Nam et hoc tametsi rei augendæ[2] causa potest sine malitia dici, tamen propter potentiam ejus, qui dicit, non dicitur sine atroci suspicione[3]. Item vitiosum est, falsis, aut vulgaribus definitionibus uti. Falsæ sunt hujusmodi, ut si quis dicat[4], « Injuriam esse nullam, nisi quæ ex pulsatione, aut convicio constet ». Vulgares[5] sunt, quæ nihilominus in aliam rem transferri possunt: ut si quis dicat, « Quadruplator[6], ut breviter describam, capitalis est: est enim improbus, et pestifer civis ». Nam nihilo magis quadruplatoris, quam furis, quam sicarii, aut proditoris, attulit[7] definitionem. Item vitiosum est pro argumento sumere, quod in disquisitione positum est: ut si quis quem furti arguat, et dicat[8], « eum esse hominem improbum, avarum, fraudulentum; ei rei testimonium esse, quod sibi furtum fecerit ». Item vitiosum est, controver-

XXVI. 1. *Uti regibus.* Lambinus minus apte « uti bonis regibus ». Sch.

2. *Rei augendæ.* Edidi *augendæ*, quod MSS omnes, et edd. pr. pleræque habent. Vetus *arguendæ* edidit etiam Lambinus; quod hic commodum sensum non habet. MSS Cort. habent *agendæ*, ut Gulielmius conjiciebat. Sed *augendæ* est aptius. Ern. quem Schütz. probat. — *Arguendæ* Gruter.

3. *Atroci suspicione.* Quæ omnium animos in ipsum excitet.

4. *Ut si quis dicat.* MSS quidam, etiam nostri, edd. 1475, Mediol. utraque, Junt. Ald. etc. addunt *ut*, quod recepi. Sic enim noster sæpe, etsi non est necessarium. Vid. infra c. 29. Ern. — *Ut* abest edd. 1476, Med. 1498, et Gruter.

5. *Vulgares* eodem sensu quo supra, cap. 25.

6. *Quadruplator.* Ita vocabantur scelerum publicorum delatores, quia quartam bonorum partem, vel mulctæ qua damnati plectebantur obtinebant. Vide Asconium in Cæcil. cap. 7; in Verr. IV, 7; Gronov. de Sestert. pag. 271. Seneca de Benef. VII, 25, « Beneficiorum suorum quadruplatoribus » per translationem dicit.

7. *Attulit definitionem.* Præcedens *dicat* et forma orationis requirit *attulerit*, atque sic legendum puto. Ern.

8. *Quem furti arguat, et dicat.* Addidi *et* e MSS quatuor et ed. 1474, Med. prima. Nam hoc necessarium est, nisi malis aut *eum dicat* scribere, aut *eum* post *dicat* delere, quod tamen in omnibus libris est. Ern.

siam controversia dissolvere, hoc modo : « Non convenit, censores, istum vobis satisfacere [9] ex eo, quod ait, se non potuisse adesse ita, ut juratus fuerat : quod si ad exercitum [10] non venisset, idne [11] tribuno militum diceret? » Hoc ideo vitiosum est, quia non expedita [12], aut judicata [13] res, sed impedita, et in simili controversia posita, exempli loco [14] profertur. (XXVII.) Item vitiosum est, quum id, de quo summa controversia est, parum expeditur, et quasi transactum sit, relinquitur, hoc modo :

Aperte fatur dictio [15], si intelligas.
Tali dari arma, qualis, qui gessit, fuit,
Jubet, potiri si studeamus Pergamo :
Quem ego profiteor esse me [16] : me æquum est frui
Fraternis armis [17], mihique adjudicarier,
Vel quod propinquus, vel quod virtute æmulus [18].

9. *Vobis satisfacere.* Videri excusationem satis aptam afferre.

10. *Quod si ad exercitum.* MSS duo *quid se . . . . .* quod non spreverim. Ern. — Schütz. « quid si ex. » cum cod. Erf. et Duisb.

11. *Idne tribuno.* Abest *ne* a nonnullis edd.

12. *Expedita.* Plana et aperta per se.

13. *Judicata.* Judicio aliquo rata, quod est *præjudicium* ap. Quint. V, 1.

14. *Exempli loco profertur.* Sic pro vulgato *perfertur* edidi e libris MSS et edd. pr. et sic etiam sine libris edidissem. Ern. quem Sch. probat.

15. *Aperte fatur dictio.* Schütz. *Apertæ.* Amplexus sum, inquit, cum Lambino hanc Erici Memmii emendationem. Nam vulgatum « Aperte fatur dictio » non satis convenit sequentibus verbis : « si intelligas ». « Apertæ dictio » est oraculum Apollinis, cujus inter cognomina, teste Festo, etiam Aperta erat. — Hi versus desumpti videntur e vetere poeta, qui contentionem Ulyssis et Ajacis de Achillis armis carminibus celebraverat. Cf. Ovid. Met. lib. XIII, 1.

16. *Quem ego profiteor esse me.* Hanc lectionem e MSS confecit Oudend. quam recepi. Vulgata, « quæ . . . mea », sensum non habet aptum rei. Nam non *profiteri* debebat arma esse sua : judicari hoc debebat : sed se esse eum, cui ex oraculo debeantur. Ern. quem Schütz. sequitur.

17. *Fraternis armis.* Aurati conjectura, « Paternis armis », inutilis est. Ille Neoptolemum loqui putat. At loquitur Ajax Telamonius Achillis frater patruelis. Schutz.

18. *Vel quod virtute æmulus.* Ern. *virtutis*, qui notat : Versus ultimus non convenit metro. Putavi alterum *quod* delendum. Oudend. putat legendum *virtute*, aut *virtutum*, quod magis placet : nisi vero ultima litera in

Item vitiosum est, ipsum sibi in sua oratione dissentire, et contra ea, quæ ante dixerit, dicere, hoc modo :

> Quare accusem hunc, nequeo exputando evolvere [19];
> Nam si veretur [20], quid eum accusem, qui est probus?
> Sin inverecundum animi ingenium possidet,
> Quid eum accusem, qui id parvi auditu [21] existimet?

XXVII. Non incommoda ratione videtur sibi ostendisse, quare non accusaret. Quid? postea quid ait [1] :

> Nunc ego te ab summo jam detexam exordio [2]?

Item vitiosum est, quod dicitur contra judicis voluntatem, aut eorum, qui audiunt, si aut partes, quibus illi student, aut homines, quos illi caros habent, lædantur, aut aliquo hujusmodi vitio lædatur [3] auditoris voluntas. Item vitiosum est, non omnes res [4] confirmare, quas pollicitus sis in expositione. Item verendum est, ne de alia re dicatur, quum alia de re controversia sit, inque hujusmodi vitio considerandum est, ne aut ad rem addatur quid, aut quippiam de re detrahatur; aut tota causa mutata in aliam [5] causam derivetur : uti apud Pacuvium Zethus [6] cum Amphio-

virtutis elidenda est. — *Virtute* Schütz. cum Ald. codd. Voss. 2, Leid. 2.

19. *Quare accusem hunc, nequeo exputando evolvere.* « Qua causa accusem hunc tum id disputando evolvere » edd. 1476, et quæ sequuntur. — Gronovius conj. *timeo*, quia libri scripti et editiones vett. fere habent *tum id*, et id sane facit sensum meliorem. Ern.

20. *Veretur*, verecundus est. Wetzel.

21. *Parvi auditu.* Schütz. « parvi auditum ». Hoc præbet, inquit, cod. Erf. et probat Græv. Recurrunt iidem versus de Inv. I, 45.

XXVII. 1. *Quid? postea quid ait.* Sic MSS plures, etiam nostri, et ed. Med. pr. eleganter. Ern. — Alii « Quid quod postea ait ».

2. *Ab summo...exordio?* Omnem vitam tuam relegens.

3. *Lædatur aud. vol. Lædatur* commode abfuerit. Ern.

4. *Non omnes res conf.* « Omnes partes » marg. Cratandri; quod probat Grævius. Schutz.

5. *In aliam causam.* Abest *causam* ed. 1498, Leid. 8, et ed. Omnibon. Sch. — Item edd. 1475, Med. 1498.

6. *Apud Pacuvium Zethus.* Vide ad Or. 37. Wetz.

ne, quorum controversia quum de musica inducta sit, disputatio in sapientiæ rationem, et virtutis utilitatem consumitur[7]. Item considerandum est, ne aliud accusatoris criminatio contineat, aliud defensoris ratio purget; quod sæpe consulto multi ab reo[8] faciunt, angustiis causæ coacti : uti, « Si quis[9], quum accusetur, ambitu magistratum petiisse, ab imperatoribus sæpenumero se apud exercitum donatum esse dicat ». Hoc[10] si diligenter in adversariorum oratione observaverimus, sæpe deprehendemus, et in hujusmodi deprehensione[11] ostendemus, eos, de [ea] re quid dicant, non habere. Item[12] vitiosum est, artem aut scientiam aut studium quodpiam vituperare, propter eorum vitia, qui in eo studio sunt : veluti, qui rhetoricam vituperant, propter alicujus oratoris vituperandam vitam. Item vitiosum est, ex eo, quod perperam factum esse constet[13], putare ostendi, a quo homine factum sit, hoc modo : « Mortuum deformatum, tumore præditum, decoloratum fuisse constat[14] : ergo veneno necatus est ». Deinde, si sit

7. *Utilitatem consumitur.* Schütz. *consummatur.* Ita recte Lambinus, inquit.

8. *Multi ab reo.* Multi eorum qui a rei parte stant ; ut jam ante c. 6, 7, 8.

9. *Uti, Si quis, quum accusetur.* « Si quis accusetur » Voss. 3, quod non erat quod placeret Oudend. Sch.

10. *Hoc si dil. Hæc* ed. 1476.

11. *Et in hujusmodi deprehensione ostendemus.* Hæc nemini placeant, et variant in libris : nam v. c. ed. 1474 habet *defensione.* Absunt autem a MSS pluribus Grævii et Oudend. Sunt sine dubio insititia, quod etiam Grævius judicabat. Itaque uncis inclusi. Post delendum est *ea* : « eos, de re quid dicant, non habere », quod facile quivis rectum sentiat. Ern. — Schütz delevit omnino has voces fretus codd. Erf. Cauch. qui eas non agnoscunt.

12. *Item*, etc. Cf. de Inv. I, 1.

13. *Factum esse constat ... factum sit.* Dudum vidi sic legendum pro *constat ... est*, nempe e lege latinitatis. Ecce primum e MSS sex notavit Oudend. alterum habet ed. Med. prima. Ern.

14. *Decoloratum fuisse constat : ergo veneno necatus est.* Sic edidi e MSS et edd. pr. nam hoc est de cadavere lividum colorem habente verbum proprium. Supra c. 5, « si tumore vel livore decoloratum est cor-

usque in eo occupatus[15], ut multi faciunt, venenum datum, vitio non mediocri conflictetur. Non enim factumne sit, quæritur, sed a quo factum sit.

XXVIII. (XXVIII.) Item vitiosum est, in comparandis rebus alteram rem efferre[1], de altera mentionem non facere, aut negligentius disputare; ut, « si comparetur[2], utrum satius sit populum frumentum accipere, an non? » quæ commoda sint in altera re, cures[3] enumerare : quæ in altera incommoda sint, velut depressa[4], prætereas; aut ea, quæ minima[5] sint, dicas. Item vitiosum est, in rebus comparandis necesse putare alteram rem vituperari, quum alteram laudes : quod genus, « si quæratur, utris major honor habendus sit, Albensibus, an Venusinis[6], quod reipublicæ

pus mortui ». Sed addunt etiam *corpore* ante *decol.* quod pariter aut servandum, aut pro eo *livore* legendum puto : ita oratio fit æqualior et concinnior : « tumore præditum, livore decoloratum ». Ern. — *Coloratum* Gruterus. Sic Bruil. sic Pal. quart. ac sext. — Decolor est qui colorem mutavit. Conf. apud Cic. Tusc. II, 20, « Herculis *decolorem* sanguinem ».

15. *Si sit usque in eo occupatus.* Ita libri nostri antiquiores, sine illo *adeo*, quod recte abjecit Lambinus. Grut. — *In eo occupatus . . . venenum datum.* Id est, ut venenum datum esse demonstret.

XXVIII. 1. *Efferre*, extollere, ut ex seqq. patet.

2. *Ut si, comparetur.* Schutz. « ut si quum comparetur ».

3. *Quæ commoda. . .cures . . . prætereas . . . dicas.* Sic legere ratio latinitatis et auctoris nostri jubet : nam nullum subjectum est unde pendeat *curet*, et quod in omnibus exemplis est ceteris, ubi tertia persona utitur, ut statim post : « et is, qui dicit alteris, alteros lædat » : contra paullo ante, ubi nullum est subjectum, secunda : « Vitiosum est ... putare ... quum alteram laudes » : item post in his : « fieri potest, etc. » Ern. — *Cures enumerare.* Hoc sine causa in dubium vocat Grævius. Schutz.

4. *Velut depressa.* Hoc Grævio suspectum fuit, qui e MS Erf. qui habet « quam velint d. » corrigit, « quæ velint depressa », id est, suppressa. Mihi spuria videntur : nec tale quid solet Noster in his addere. Ern. —Schütz. tamen ingeniosam dicit conjecturam Grævii, quamquam ei non obtemperat.— *Velut depressa*, id est, puto tamquam ea parvi momenti habeas.

5. *Minima sint.* Omnes libri *sunt*. Sed quum in ceteris membris sit conjunctivus, hic quoque ab auctore scriptus sit necesse est. Ern.

6. *An Venusinis.* Mira hic est varietas in libris. « Vegentinis, Vejen-

populi romani profuerint[7] », et is, qui dicat alteris, alteros lædat[8] : non enim necesse est, si alteros præponas, alteros vituperare. Fieri enim potest, ut, quum alteros magis laudaris, aliquam alteris laudis partem attribuas, ne cupidius pugnasse[9] contra veritatem puteris. Item vitiosum est, de nomine et vocabulo ejus rei controversiam struere, quam rem consuetudo potest optime judicare : « velut Sulpicius, qui intercesserat[10], ne exsules, quibus causam dicere non li-

tanis » (MS Cort.), quod recepit Lambinus ; « Vicentinis, Pennensibus », quod placebat J. Gron. nulla idonea causa. Nihil decerni potest, quia historia ignoratur, ad quam respicit auctor. *Venusini* quidem alieni maxime sunt, tam remoti ab *Albensibus*. Nam pertinet res sine dubio ad tempora reip. romanæ antiquiora. Ern.— Pal. primus, *Vesetinis*; sec. « Vecetinis an Penensibus »; quart. « Venusinis an Pennensibus », uti et videtur fuisse a manu prima in sexto. Quintus enim, « Vejentinis an Pennensibus », et vero *Pennenses* hos agnoscit Bruilerianum quoque exemplar, et videtur postliminio inferendum hisce nostris libris. Nam ponuntur iidem a Plinio sub regione IV Italiæ, sed ibidem scribitur *Pinnenses*. Grut. — Schütz. « an Vestinis Pinnensibus ». Ita cod. Erf. « an Vestinis an Penensibus » ; Cauch. « an Numentinis an Pennensibus » ; Pith. « an Vegentinis » Voss. 1, 2, Leid. 1, 2, 3, « an Vejentanis »; MS Cort. « an Venusinis ». Vulg. *Pennensibus* probabat Gronovius, et recte quidem. Nam res illa petita est ex historia belli Marsici; de *Pennensibus* vel *Pinnensibus* (Πιννήταις) narrat Diodorus in fr. libri XXXVII, eos atrocia ob fidem erga Romanos a Marsis passos esse. Albenses autem constat, quum item in fide pop. romani manerent, diu obsessos fortiter restitisse. Sch.

7. *Quod reipubl. pop. rom. prof.* Sic edidi, pro « reip. et pop. romano » cum Grævio e MSS ejus; nam sic dicunt semper Latini, numquam « resp. et pop. romanus ». Deinde dedi *profuerint*, e MSS ap. Oudend. et ed. Med. 1474 quod et latinitas desiderat. Ern.

8. *Et is, qui dicat alteris, alteros lædat.* Porro « is qui dicat » pro *dicit*, e MSS et edd. pr. quod pariter latinitas postulat. Denique « is qui dicat alteris, alteros lædat » vitiosum Grævio videtur, qui *alteris* delet; quod sane non habent MSS plures, etiam nostri, nec edd. veteres : primus dedit Aldus. Non tamen ausus sum delere, quia commode intelligi potest, si modo interpungas post *dicat*, ut fecimus : is, qui dicit, alteris, sc. habendum esse honorem majorem. Nam et in sequentibus semper bis est. « Honorem habere » h. l. est præmium decernere. Ern.

9. *Ne cupidius pugnasse.* Sic MSS plures et edd. pr. pro *cupide*, quod primus dedit Aldus, et nostri MSS habent. Ed. Juntina : « cupiditate ab alteris ». Ern.

10. *Sulpicius, qui intercesserat.* Intercedendi verbum non ordinaria

cuisset, reducerentur, idem posterius, immutata voluntate; quum eamdem legem ferret[11], aliam sese ferre dicebat, propter nominum commutationem: nam non exsules, sed vi ejectos se reducere aiebat; perinde quasi id fuisset in controversia, quo illi nomine appellarentur a populo romano, aut perinde quasi non omnes, quibus aqua et igni interdictum est, exsules appellentur». Verum illi fortasse ignoscimus, si cum causa fecit: nos tamen intelligamus, vitiosum esse intendere controversiam propter nominum mutationem.

XXIX. (XXIX.) Quoniam exornatio constat ex similibus, et exemplis[1], et amplificationibus, et[2] judicatis, et ceteris rebus, quæ pertinent ad exaggerandam et collocupletandam argumentationem, quæ sint iis rebus vitia, consideremus. Simile vitiosum est, quod ex aliqua parte dissimile est, nec habet parem rationem comparationis, aut ipsi obest[3], qui affert. Exem-

significatione dicitur, sed pro impedierat, sc. lege lata, ut docet Liv. epit. 77. De re vid. Pighium ad a. 662. Ern.

11. *Quum eamdem legem ferret.* Non de exsulibus non revocandis, sed de exsulibus, et quidem revocandis. Ern.

XXIX. 1. *Exemplis.* Notat J. V. L. in exemplis adhibendis maxime cavendum esse an mera sit personarum, temporum, et c. similit. affertque nostri Cornelii versus ex Cinna, II, 1: « Ces exemples récens suffiraient pour m'instruire, Si par l'exemple seul on pouvait se conduire... Mais souvent l'un se perd où l'autre s'est sauvé, Et par où l'un périt, un autre est conservé ».

2. *Et amplificat. et judicatis.* Alii *ex judicatis.* MSS plures « et judicatis », vel « et rebus judicatis », item edd. ut Junt. quod adeo reposui. Sed mihi et verba « et amplificationibus » spuria videntur. Nam in sequentibus, quum de singulorum generum vitio dicitur, nulla amplificationis mentio, sed tantum similium exemplorum et judicatorum vitia demonstrantur. Tum amplificatio est in exaggeranda et locupletanda argumentatione: ergo non genus exornationis: denique in MSS verbum non est eodem loco. Ern. — Schütz. delet *et amplif.* fretus auct. Ernest.

3. *Aut ipsi obest.* Vulgo « sibi ipsi ». Delevi *sibi*, ut Lambinus fecit, quamquam contra libros. Nam primum deberet esse *ipse* secundum veram latinitatem: deinde post *aut* esse novum subjectum. Nec enim hæc coeunt cum « simile vitiosum est, quod », quocum

plum vitiosum est, si aut falsum est, ut reprehendatur : aut si improbum, ut non sit imitandum : aut majus[4], aut minus, quam res postulabit[5]. Res judicata vitiose profertur, si aut dissimili de re proferatur; aut de ea re, qua de controversia[6] non est; aut si improba; aut ejusmodi, ut aut plures, aut magis idoneæ res judicatæ ab adversariis proferri possint. Item vitiosum est, id quod adversarii factum esse confiteantur, de eo argumentari, et planum facere factum esse : nam id tantum augeri oportet. Item vitiosum est, id augere, quod convenit doceri, hoc modo : « Ut si quis quem arguat, hominem occidisse, et antequam satis idoneas argumentationes attulerit, augeat peccatum, et dicat, nihil indignius esse, quam hominem occidere » : non enim, utrum indignum sit, an non, sed factumne sit, quæritur.

Complexio vitiosa est, quæ non, ut quodque primum dictum est, primum complectitur[7], et quæ non breviter concludit[8], et quæ non ex enumeratione certum et constans aliquid relinquit[9], ut intelligatur,

tamen debent cohærere, qua subjectum post *aut* nullum est. Ern.

4. *Aut majus.* Schütz. « aut si majus. » Particulam *si*, inquit, concinnitatis et perspicuitatis causa inserui.

5. *Quam res postulabit.* — *Postulat* vett. edd. cod. Erf. Duisb. Cauch. probante Græv. Sch.

6. *Qua de controversia.* Sic pro *de qua* MSS plures, etiam Cort. tum ed. 1474, et Med. pr. quod, ut elegantius, et usitatum Ciceroni et jurisconsultis antiquis in hac forma, prætuli. Ern.

7. *Quæ non, ut quodque pr. d. est pr. compl.* Sic MSS quidam et edd. primæ. Quod, quia sic pluribus aliis locis editum est, ubi pariter quidam libri *quidque* habent, recepi. Post omissum est *ita* ante *prim. compl.* Sed ejus omissionis et alia exempla reperiuntur. Edd. 1474, 1475, Mediol. 1498, Junt. etiam *primum* omittunt ante *complect.* quod etiam magis placet. Ern. — Schützius Grævium reprehendit, quod alterum *primum* abesse voluerit. Nec opus est, inquit, cum Oudendorpio corrigere : « quæ non quo ordine quidque primum dictum est complectitur ». Gruterus « ut quidque ».

8. *Concludit. Concluditur* Ald. et codd. Oudend. quid id melius esse putat. Non assentior. Sch. — *Concluditur* multi vett. libri.

9. *Constans aliq. relinq.* Exqui-

quid propositum [10] in argumentatione sit, quid deinde ratione, quid confirmatione, quid tota argumentatione demonstratum.

XXX. (xxx.) Conclusiones, quæ apud Græcos ἐπίλογοι nominantur, tripartitæ [1] sunt : nam constant ex enumeratione, amplificatione, et commiseratione. In quatuor [2] locis uti possumus conclusionibus; in principio, secundum narrationem, secundum firmissimam argumentationem, in conclusione [3]. Enumeratio [4] est, per quam colligimus et commonemus, quibus de rebus verba fecerimus, breviter; ut renovetur, non redintegretur oratio : et ordine, quidquid erit dictum, referamus [5], ut auditor, si memoriæ mandaverit, ad id, quod ipse meminerit, reducatur. Item curandum est, ne aut ab exordio, aut a narratione repetatur orationis enumeratio. Facta enim [6], et dedita opera comparata oratio videbitur esse, aut artificii significandi, aut ingenii venditandi, aut memo-

site, ut solet Noster interdum, pro, *efficit* concludendo. Ern.

10. *Propositum*. *Positum* conj. Lambinus. Sch.

XXX. 1. *Tripartitæ*. Quas auctor noster conclusionis partes facit « enumerationem, amplificationem, commiserationem », has Cicero de Inv. I, 52 facit : « enumerationem, indignationem, conquestionem ». Wetz.

2. *In quatuor...in conclusione.* Hoc totum abest a MSS duobus Oudend. Et est certe alieno loco. Numquam enim partitioni tale subjicitur, ante explicationem partium, de usu totius rei. Sic Cic. Inv. I, 52, statim definitioni et partitioni conclusionis in argumentatione subjicit explicationem partium. Ern. — Schütz. omnino expunxit.

3. *Conclusionibus...in conclusione.* Dupliciter idem verbum h. l. dicitur. Conclusiones sunt epilogi, clausulæ alicujus rei demonstratæ; at conclusio est ultima pars orationis. Sicut supra lib. I, *exordium* dupliciter dictum. Ern.

4. *Enumeratio*. Cf. de Inv. I, 52. Eadem supra adfuit pars distributionis sicuti est pars argumentationis in libro de Inv. I, 29, 45. Wetz.

5. *Referamus*. Schütz. *referimus*. Ita, inquit, cum Grævio ex optimis codd. legendum.

6. *Facta enim*. Græv. sequutus sum, qui sic e cod. Duisb. pro vulg. *ficta* edi voluit, quocum consentit MS Oudend. Est autem hoc proprium in hac re verbum, de oratione elaboratiori. Cicero Brut. 8 : « quodammodo oratio facta ». Gr. πεποιημένη λέξις. Ern. Quem Sch. probat et sequitur.

riæ ostentandæ causa. Quapropter initium enumerationis sumendum est a divisione : deinde ordine breviter exponendæ sunt res, quæ tractatæ erunt in confirmatione, et confutatione. Amplificatio est[7], quæ, per locum communem, instigationis auditorum causa sumitur. Loci communes[8] ex decem præceptis commodissime sumuntur adaugendi criminis causa. Primus locus sumitur ab auctoritate, quum commemoramus, quantæ curæ ea res fuerit diis immortalibus, aut majoribus nostris, regibus, civitatibus, nationibus[9], hominibus sapientissimis, senatui, item maxime, quo modo de his rebus legibus sancitum sit. Secundus locus est, quum consideramus, illæ res, de quibus criminamur, ad quos pertineant : utrum ad omnes, quod atrocissimum est; an ad superiores, quod genus ii sunt, a quibus auctoritatis locus[10] communis sumitur; an ad pares, hoc est, in eisdem partibus animi, corporis, fortunarum positos; an ad inferiores, qui omnibus his rebus antecelluntur. Tertius locus est, quo percunctamur, quid sit eventurum, si omnibus idem concedatur : et ea re neglecta, ostendimus, quid periculorum atque incommodorum[11] consequa-

7. *Amplificatio est.* In vulgg. additur *res*, quod auctoribus MSS pluribus, ed. Mediol. 1474, delevimus. Ern. — *Res* abest quoque MSS Voss. 1, 3, Leid. 1, 2, 3. Sch. — Amplificationem Cic. partit. 8 dicit : « vehementem quamdam argumentationem, etc. » c. 15, « graviorem quamdam affirmationem »; quæ motu animorum conciliet in dicendo fidem, q. h. l. est « instigare auditores ». Adde Quint. 8. Wetz.

8. *Loci communes.* Fusius Cicero de locis communibus in lib. de Inv. et præsertim in Topicis. De locis aptem rei amplificandæ et crimini augendo aptis Cic. de Orat. III, 27, qui in Brut. ex Aristot. refert a Protagora paratas rerum illustrium disputationes quæ nunc communes appellantur loci. Wetz.

9. *Regibus, civitatibus, nation.* Edd. 1476, *magistratibus* pro *civitat.* — *Nationibus* abest cod. Pith. Sch.

10. *Locus communis sumitur.* Abest *communis* a MS Lips. recte, ut arbitror. Ern.

11. *Ostendimus, quid per. atque inc.* — *Ostendimus* pro *ostendemus* corrigendum esse, res docet : præcedit

tur. Quartus locus est, quo demonstratur, si huic sit remissum, multos alacriores ad maleficia futuros, quos adhuc exspectatio judicii remoretur [12]. Quintus locus est, per quem ostendimus, si semel [13] aliter judicatum sit, nullam rem fore, quæ [14] incommodó mederi, aut erratum judicum [15] corrigere possit. Quo in loco non incommodum erit uti ceterarum rerum comparatione, ut ostendamus, alias res posse aut vetustate sedari, aut consilio corrigi : hujus rei aut leniendæ, aut corrigendæ nullam rem adjumento futuram [16]. Sextus locus est, quum ostendemus ex consulto factum [17], et dicemus voluntario facinori nullam

enim *percunctamur;* non *percunctabimur*. Sed illud in duobus MSS reperit Grævius; ergo recepimus: quamquam dudum sic edidit Lambinus : sed eum sequentes non sunt imitati. Deinde *atque* dedimus pro *aut* e MSS Cort. et pluribus aliis ap. Græv. et Oudend. Ern.

12. *Remoretur.* Ita pro *remoratur* edidimus necessario ex lege certa latinitatis, ex consecutionis legitimæ modorum in verbis. Ern.

13. *Si semel aliter judicatum sit.* Id est, ut recte Lambinus interpretatus est, *male* aut *secus* quam oporteret, judicare. Sch.

14. *Quæ incommodo.* Schütz. « q. huic incomm. » Pronomen, inquit, quod habet cod. Duisb. concinnitatis causa addidimus.

15. Alii, *erratum judicium*. Edd. vett. inter quas 1476, addunt ante hæc verba « aut perp. fact. »; unde crediderim hæc priora veram esse lectionem, posteriora autem glossam quæ sola postea in scriptis et editis permansit. Sed hæc levia.

16. *Hujus rei . . . . . adjumento futuram.* Nullam hic varietatem in libris reperi. Unus Lambinus correxit *huic rei*, quod saltem tolerabilius est, et non plane contra latinitatem, ut *hujus.* Sed vel sic non placet lectio loci. Nam omnino *adjumenti* verbum minus est, quam pro re. Credo *adjumento esse* spurium; et auctorem dedisse : « hujus rei aut len. aut corrigendæ nullam rem futuram » : quod exquisite latinum est, et propterea sæpe expertum glossatorum et correctorum manum male sedulam in libris veteribus. Vid. Drakenb. ad Liv. V, 3; inpr. Cortium ad Sallust. 13; Jug. c. 88, ubi exempla similis interpolationis adferuntur. Itaque verbum id saltem uncis inclusi, aliis post me exterminandum. Ern. cujus auctoritate fretus Sch. vocem *adjumento* expunxit.

17. *Ex consulto factum.* Blanditur correctio Grævii e cod. Pithœi « esse consulto f. » quod et Med. 1474 habet, sed tamen non est necessaria. Pro *ex* libri MSS et ed. vett. plures habent *et*. Ern.—Sch. « esse cons. f. » ex auctoritatibus ab Ernestio citatis. Lambinus « ex consilio ». Sic etiam Cic. de Inv. I, 53.

excusationem, imprudentiæ justam[18] deprecationem paratam. Septimus locus est, quo ostendemus tetrum facinus, crudele, nefarium, tyrannicum esse : quod genus, injuriæ mulierum[19], aut earum rerum aliquid, quarum rerum causa bella suscipiuntur, et cum hostibus de vita dimicatur. Octavus locus est, quo ostendimus[20], non vulgare, sed singulare esse maleficium, spurcum, nefarium, inusitatum, quo maturius et atrocius vindicandum sit. Nonus locus[21] constat ex peccatorum comparatione, quasi quum dicemus[22], majus esse maleficium stuprare ingenuam[23], quam sacrum legere[24] : quod propter egestatem alterum, alterum propter intemperantem[25] superbiam fiat. Decimus locus est, per quem omnia, quæ in negotio gerundo acta sunt, quæque rem consequi solent, exponemus

18. *Imprudentiæ justam.* Ald. legit : « sed imprudentiæ justam » ; in Voss. 1, Leid. 1, 2, 3, est « imprudentiæ et justam »; quod probat Oudend. sed sana sunt omnia, quod intelligitur e simili Cic. loco de Inv. I, 53 : « Sextus locus est, per quem consulto et de industria factum demonstratur, et illud adjungitur; voluntario maleficio veniam dari non oportere, imprudentiæ concedi nonnumquam convenire ». Quare minime probanda est lectio, quam Purgoldus e cod. Goth. eruit : « nullam excusationem imprudentiæ et justam d. p. » Sch. — Resp. I, 14; II, 16. Wetz.

19. *Quod genus, injuriæ mulier.* Ernesti *injuria.* Sic correxi, inquit, *injuriæ*, quia in plerisque MSS etiam nostris, et edd. vett. est vel *injuria* vel *injuriam*; sic et Oudend. volebat. Ern. — « Quod genus injuriarum », Erf. Cauch. Duisb. « quod genus injuria », Pith. et Cratand. ed. Sch.

20. *Octavus locus est, quo ostend.* Schütz. *ostendemus. Ostendimus*, inquit, probat Oudend. quod est in Voss. 1 et Leidd. Sed præferendum est futurum, sicut in reliquis membris omnibus.

21. *Nonus locus constat.* Schütz « Nonus locus est qui constat ». Ita, inquit, codd. plurimi. — Nonus reipsa non diversus a secundo. Wetz.

22. *Quasi quum dicemus.* Pro *quasi* Lamb. conj. *quale.* Ed. Med. 1498, « quasi q. dicimus ».

23. *Ingenuam. Ingenuum* Pal. quartus et nescio quis Gulielmianus. Grut.

24. *Quam sacrum legere.* Hoc Lambinus in bono codice MS et Grut. in Pal. 2 et Fabr. invenit, estque procul dubio verum. Vulg. *lædere.* Ern.

25. *Intemperantem.* Pro vulgato *imperantem* dedimus e MSS melioribus etiam nostris, et edd. antiquis ante Gruterum, in quibus etiam tamen est *intemperatam.* Vulgatum non habet sensum commodum hoc loco. Ern.

acriter, et criminose, et diligenter, ut agi res, et geri negotium videatur, rerum consequentium enumeratione.

XXXI. Misericordia[1] commovebitur auditoris animus[2], si variam fortunarum commutationem[3] dicemus; si ostendemus, in quibus commodis[4] fuerimus, quibusque incommodis simus, comparatione[5]. Si, quæ nobis futura sint, nisi causam obtinuerimus, enumerabimus, et ostendemus[6]. Si supplicabimus, et nos sub eorum, quorum misericordiam captabimus, potestatem subjiciemus. Si, quid nostris parentibus, liberis, ceteris necessariis casurum sit[7] propter nostras calamitates, aperiemus, et simul ostendemus, illorum nos solitudine[8] et miseria, non nostris incommodis dolere. Si de clementia, humanitate, misericordia nostra, qua in alios usi sumus, aperiemus. Si nos semper aut diu in malis fuisse ostendemus. Si nostrum fatum, aut fortunam conqueremur. Si animum no-

XXXI. 1. *Misericordia.* Tertia conclusionis pars commiseratio, c. 30, Ciceroni conquestio, Invent. I, 52 et 55. Wetz.

2. *Auditoris animus.* Secundum MSS et edd. lectiones varias videtur aut *auditor* deleto *animus* legendum, aut « auditoribus animus ». Nihil decrevi. Ern. — Sch. delet « auditoris animus ». Sic, inquit, Voss. 3, et sic arbitror auctorem scripsisse, ut quod alii addunt, « auditoris animus », glossatori debeatur. — *Auditoribus* sine *animus* edd. 1476, Med. 1498, alia glossa. Sch. igitur probandus.

3. *Variam fort. commutationem.* Cujus rei ex. egregium habes in Cicer. Ligariana 3. Wetz.

4. *In quibus commodis fuerimus.* *Fuerimus* pro vulgato *fuimus*; primum propter antecedentia, deinde quia in altero membro est *simus.* Sic habet MS Cort. cum pluribus edd. Habent MSS et edd. pr. quædam in altero membro *sumus*, quod ortum a conformatione cum *fuimus.* Sed in sequentibus membris pariter sunt conjunctivi. Ern. quem probat Sch.

5. *Comparatione.* Non placet illa vox, quæ in extremo fine phraseos exsulat. Quæ fortasse glossa est.

6. *Et ostendemus.* Sch. ut futilem glossam expunxit. Verum tamen crediderim, quia verbis iterare sententiam nostro auctori solemne.

7. *Si, quid...casurum sit.* Si quis eis casus immineat.

8. *Solitudine.* Sic pro *sollicitudine* Gruterus, volentibus Pal. pr. sec. quinto. Et sane solus est inter multos quem amici reliquerunt, et Ovid. hoc sensu : « solus eris ».

strum fortem, patientem incommodorum[9] ostendemus futurum. Commiserationem brevem esse oportet. Nihil enim lacryma citius arescit[10].

Fere locos obscurissimos totius artificii tractavimus in hoc libro : quapropter huic volumini modus hic sit. Reliquas præceptiones, quoad videbitur, in tertium librum transferemus. Hæc si, ut conquisite conscripsimus, ita tu diligenter fueris consequutus, et nos industriæ fructus ex tua scientia capiemus, et tute nostram diligentiam laudabis, tuaque perceptione lætabere : tu scientior eris præceptorum artificio, nos alacriores ad reliquum persolvendum. Verum hæc futura[11] satis scio : te enim non ignoro. Nos deinceps ad cetera præcepta transeamus, ut, quod libentissime facimus[12], tuæ voluntati rectissimæ morem geramus.

9. *Patientem incommodorum*. Sch. « et pat. incomm. » Copulam addidimus, inquit, e loco simili Cic. de Inv. I, 56 ; ibid. est : « et patientem incommodorum esse et futurum esse ». Nostro loco pro *futurum* legitur *fuisse* in cod. Pith. et Duisb. unde conjiciat aliquis auctorem scripsisse : « et patientem incommodorum ostendemus fuisse et futurum esse ».

10. *Nihil enim lacryma cit. arescit*. Dictum Apollonii rhetoris. De Inv. I, 56. Wetz.

11. *Hæc futura*. Sc. ut Herennius hæc diligenter consequatur, et scientior fiat præceptorum artificio : de quo se dubitare negat cognito Herennii ingenio.

12. *Quod libent. facimus*. *Faciemus* ed. 1476.

M. T. CICERONIS
RHETORICORUM
AD C. HERENNIUM
LIBER TERTIUS.

ARGUMENTUM

E SCHUTZII EDITIONE DESUMPTUM.

Hactenus auctor, quemadmodum ad omnem judicialem causam inventio rerum accommodanda esset, demonstraverat. Nunc pergit ad earum rationem rerum inveniendarum, quæ pertinent ad causas deliberativas et demonstrativas, cap. 1.

Primum igitur agit de deliberationibus, cap. 2, sqq. quæ partim sunt hujusmodi, ut quæratur, utrum potius faciendum sit, partim hujusmodi, ut quid potissimum faciendum sit, consideretur; alio autem respectu vel propter naturam rei, vel propter extraneam causam, vel propter utrumque instituuntur. Quum autem omnibus, quibus in deliberando sententia dicenda est, propositus sit finis utilitatis; eaque dividatur in rationem tutam, quæ vel vim, vel dolum vitandum esse ostendat, et in rationem honestam, quæ constet recto, h. e. prudentiæ, justitiæ, fortitudinis et modestiæ partibus, et laudabili, horum omnium, qui sint loci et unde reperiundi, docetur cap. 3, 4. Deinde quomodo genus deliberationum per singulas partes orationis tractandum sit ostenditur, cap. 5.

Sequitur de genere demonstrativo, quod est in laude et vituperatione. Hic primum, qui sint laudis et vituperii loci, demonstratur; deinde quomodo in hoc genere, partes orationis, exordium, narratio, divisio (nam de confirmatione hic iterum agi necesse non erat), et conclusio tractandæ sint, ostenditur, cap. 6-8.

Jam quoniam auctor quæ de inventione dicenda erant lib. I et II, et istis octo libri III capitibus absolverat, jam procedit ad secundum oratoris officium, quod dispositione continetur; cujus duo genera exponuntur, alterum ab institutione artis profectum, alterum ad casum temporis accommodatum.

Jam sequebatur locus de elocutione, quem auctor integrum libro quarto reservandum duxit. Itaque restabat, ut de memoria et pronuntiatione dissereret. Prius autem agit de pronuntiatione. Ea dividitur in vocis figuram et corporis motum. In voce spe-

ctatur magnitudo, firmitudo, mollitudo. Mollitudo vocis quomodo tenenda sit, præcipitur in sermone, in contentione, in amplificatione. Sermo est vel in dignitate, vel in demonstratione, vel in jocatione. Contentio dividitur in continuationem, h. e. orationis continuæ accelerationem clamosam, et in distributionem, quæ est concisione oratio frequens cum crebris et brevibus intervallis. Amplificatio dividitur in cohortationem et conquestionem. In his omnibus quomodo vocem flectere ac torquere oporteat docetur, cap. 13, 14.

Sequuntur præcepta de memoria, quæ est vel naturalis, vel artificialis, cap. 16. Artificialis quum locis et imaginibus contineatur, de locis agitur, cap. 17-19; de imaginibus, cap. 20, 21. Accedit brevis disputatio de diversa firmitate imaginum ejusque causis, cap. 22. Finit denique auctor in improbanda ratione Græcorum, qui multorum verborum imagines conscripserint, cap. 23, in commendanda artificiali verborum memoria, et in admonitione, parum in his rebus doctrinam valere, nisi assiduitas exercitationis accesserit, cap. 24.

M. T. CICERONIS
RHETORICORUM
AD C. HERENNIUM
LIBER TERTIUS.

I. (I.) Ad omnem judicialem causam quemadmodum conveniret inventionem rerum accommodari, satis abundanter, ut arbitror, superioribus libris demonstratum est. Nunc earum rationem rerum inveniendarum, quæ pertinerent [1] ad causas deliberativas et demonstrativas, in hunc librum transtulimus [2], ut omnis inveniendi præceptio tibi quamprimum persolveretur [3]. Reliquæ quatuor partes erant artificii. De tribus partibus in hoc libro dicemus, dispositione, pronuntiatione, memoria. De elocutione, quia plura dicenda videbantur, in quarto libro conscribere maluimus : quem, ut arbitror, tibi librum celeriter absolutum mittemus, ne quid tibi rhetoricæ artis deesse possit. Interea prima quæque et nobiscum, quum

I. 1. *Pertinerent.* Vulgo *pertinebant;* inde ab Aldo. Primæ *pertineant;* utrumque vitiose ex lege latinitatis. Verum est quod edidimus, idque habet edit. Juntina. Ern. — Habet ed. Med. 1498 *pertinebant*, ante Aldum. — Schützius Ernestium sequitur. Wetzelius, *pertinent.*

2. *Transtulimus.* Non ex secundo libro; quomodo enim omnis inventionis ratio citius exponeretur, translata in tertium; sed expositis iis quæ in judicialibus causis ad inventionem pertinebant, supererat ut de ceteris causarum judicialium partibus loqueretur; quæ distulit ad finem hujus libri, præpositis iis quæ de inventione dicenda supererant.

3. *Persolveretur.* Eleganter, pro *traderetur, redderetur,* scil. quam tibi ex promisso debemus. Similiter dixit IV, 1. Ern.

voles, et interdum sine nobis legendo consequere; ne quid impediare, quin ad hanc utilitatem[4] pariter nobiscum progredi possis. Nunc tu fac attentum te præbeas : nos proficisci[5] ad instituta pergemus.

II. (II.) Deliberationes partim sunt hujusmodi, ut quæratur, utrum potius[1] faciendum sit; partim hujusmodi, ut, quid potissimum faciendum sit, consideretur. Utrum potius, hoc modo : « Carthago tollenda[2], an relinquenda videatur». Quid potissimum, hoc pacto : « ut si Hannibal consultet, quum ex Italia Carthaginem arcessitur, in Italia[3] remaneat, an domum redeat, an in Ægyptum profectus occupet Alexandriam[4] ». Item deliberationes partim ipsæ propter se consultandæ sunt : « ut si deliberet senatus, captivos ab hostibus redimat, an non ». Partim propter aliquam extraneam causam veniunt in deliberationem et consultationem : « ut si deliberet senatus, bello Italico[5], solvatne legibus Scipionem, ut eum

4. *Ad hanc utilitatem.* Semper mihi visum est languere h. l. *utilitatis* verbum. Venit mihi in mentem corrigere *subtilitatem*, i. e. accuratam scientiam artis, qualem in magistro requirimus. « Ad hanc subtilitatem », i. e. accuratam scientiam hujus artis, quam tibi subtiliter trado. Ern. — *Ad hanc utilitatem*, fortasse quasi ad *hujus rei usum.*

5. *Nos proficisci.* Vox *proficisci* salva sententia auferri poterat. Sch.

II. 1. *Utrum potius.* Quum, duobus propositis, necesse est alterum eligas. — *Quid potissimum.* Quum multa sunt quæ fieri possunt, aut omnia negligi.

2. *Carthago tollenda.* Apage illud Lambini commentum *delenda :* quid enim venustius opponi potest quam hæc verba, *tollere*, *relinquere ?* Et dixit Cicero non semel *urbem tollere.* Gruter. quem Schützius probat.

3. *In Italia.* Vett. edd. *an in Italia ?* Non ita male puto, quum non ambigatur utrum e duobus eligendum; sed quid omnino faciendum sit quæratur.

4. *In Ægyptum profectus occupet Alexandriam.* Ægypto tum imperabat Ptolemæus Epiphanes, qui hoc ipso anno, quinque annorum puer successit fratri Philopatori, quocum per ann. 533-550 regnante, Romani fœdus, a Philadelpho, hujus avo, an. Urb. 481 initum, hoc ipso bello Punico altero renovaverant. Wetz.

5. *Bello Italico.* Wetzelius reponi vult *Punico.* Et certe rectius ita scriptum fuisset, nisi forte putes *Italicum* posse dici Punicum alterum, quo sexdecim annos Italia laboravit. Sed nusquam reperio.

liceat ante tempus consulem fieri». Partim et propter se sunt deliberandæ, et magis propter extraneam causam veniunt in consultationem : « ut si deliberet senatus, bello Italico, sociis civitatem det, an non». In quibus causis rei natura faciet deliberationem, omnis oratio[6] ad ipsam rem accommodabitur. In quibus extranea causa conficiet deliberationem, in his ea ipsa causa erit adaugenda, aut deprimenda. (III.) Omnem orationem[7] eorum, qui sententiam dicent, finem sibi conveniet utilitatis proponere, ut omnis eo totius orationis ratio conferatur. Utilitas in duas partes in civili consultatione dividitur, tutam[8], et honestam. Tuta est[9], quæ conficit instantis, aut consequentis periculi vitationem qualibet ratione. Hæc distribuitur in vim et dolum : quorum aut alterum separatim, aut utrumque sumemus conjunctim[10]. Vis decernitur[11] per exercitus, classes, arma, tormenta, evoca-

6. *Omnis oratio ad ipsam rem.* Sic MSS duo apud Oud. porro Cort. et alii apud Græv. habent, item mox *omnem orationem*, ut et ed. 1475, et id est sententiæ h. l. aptius quam *rationis* verbum, ut judicavit etiam Oudend. Ern.

7. *Omnem orationem eorum, qui sententiam dicent.* Quibus pro verbis Schütz. dedit « omnes qui sententiam dicent ». Sic, inquit, propter sequentia, « ut omnis eo totius orationis ratio conferatur », necessario fuit scribendum. Erf. « omnem memorationem eorum q. s. d. » MS Pith. et edit. Cratand. « omnes orationes eorum », ut facile depravationem agnoscas. — *Qui sententiam dicent.* Hoc est, qui in concilio, aut in concione, loquentur. Noli autem cum Wetzelio interpretari : « conveniet omnem orationem proponere sibi finem utilitatis eorum, qui sententiam dicent », hoc est, ut putat, concionis.

8. *Tutam.* Schütz. *rem tutam.* Sic emendavimus, inquit, vulg. *tutam* apposite ad hujus loci sensum et sequentis orationis contextum. Nam postea dicitur *honesta res* in altero divisionis membro. Et infra, cap. 5, occurrit « qui tutæ rei præponet honestam ».

9. *Tuta est.* Nisi Schützii lectionem receperis, intelligas oportet « tuta utilitas », vel « tuta pars utilitatis » quæ *utilitas* aut *p. ut.* postea distribuitur in *vim* et *dolum*. Ea certe parum apta.

10. *Conjunctim.* MSS plures et edd. vett. quædam *conjuncte.* Sic Ald. Erf. Cauch. Scn.

11. *Vis decernitur.* Sic Pall. et Breil. Maluit Lambinus *discernitur* : quam bene, ipse viderit. Vulgo erat

tiones hominum[12], et alias hujusmodi res. Dolus consumitur in pecunia, pollicitatione, dissimulatione, maturatione, mentione[13], et ceteris rebus, de quibus magis idoneo tempore loquemur, si quando de re militari, aut de administratione reipublicæ scribere volemus[14]. (IV.) Honesta res dividitur in rectum et laudabile. Rectum est, quod cum virtute et officio fit. Id dividitur in prudentiam, justitiam, fortitudinem, modestiam. Prudentia est calliditas, quæ ratione quadam potest delectum habere bonorum et malorum: dicitur item prudentia, scientia cujusdam artificii: item appellatur prudentia, multarum rerum memoria et usus complurium negotiorum. Justitia est æquitas, jus unicuique tribuens[15] pro dignitate cujusque. For-

secernitur. GRUT. — Lambinum Grævius defendit. *Discernitur* ed. 1476, Med. 1498.

12. *Evocationes hominum.* Edd. pr. et MSS Oud. *revocationes.* SCH.— Simplicissimum est intelligere de eo genere, cujus sæpe mentio apud Livium, Cæsarem, etc. Cetera omnia sunt argutiora. ERN.—Vid. Liv. XLV, 31; IV, 9; VIII, 3; XXIII, 43. WETZ.

13. *Mentione.* Alii, *mentitione.* SCH. — In hoc verbo mire se torsere, ut librarii, sic critici et interpretes. Simpliciter autem interpretor de genere et artificio fallendi, quod inest in eo, quum homines iis, quos decipere et illicere in fraudem volunt, e longinquo ostendunt spem, non pollicendo, sed tantum obiter in sermonibus jaciendo, commemorando, quod spem faciat, quod alliciat; ut faciunt ii, qui non pecuniam promittunt, sed sic pecuniæ mentionem faciunt, ut alter sperare possit. Argutias aliorum non commemorabo. Ceterum MSS et edd. variant in casibus: alii enim accusativos habent: nihil interest. ERN.

14. *Scribere volemus.* Sic pro *velimus* legendum esse latinitas dudum nos docuit. Ecce id ipsum est in ed. 1474. ERN.

15. *Jus unicuique tribuens. Jus* Ernest. uncis inclusit. Nullo modo, inquit, stare potest *jus*. Tribuere alicui jus suum non ignoro; sed juris istius notio est in verbis « pro dignitate cujusque »: itaque non locum habet verbum *juris*. Ed. Junt. etiam addit *suum*, nempe e vulgari definitione. ERN. — Ernestius vocabulum *jus* spurium putavit. Sed abesse non potest. Nam quod ille ait, *jus* h. l. exprimi verbis « pro dignitate cujusque », id secus est. Nam hæc verba definiunt potius id, quod alias in definitione justitiæ per pronomen *suum* significatur, quum justitia dicitur « virtus suum jus unicuique tribuens ». SCH.— Et sane voluit auctor intelligi non idem esse jus omnibus; sed ex cujusque dignitate varium. Justitia igitur

titudo est rerum magnarum appetitio, et rerum humilium contemptio, et laboris cum utilitatis ratione perpessio. Modestia est in animo continens moderatio cupiditatum[16].

III. Prudentiæ partibus utemur in dicendo, si commoda cum incommodis conferemus, quum alterum sequi, vitare alterum cohortabimur : aut si qua in re cohortabimur aliquid[1], cujus rei aliquam disciplinabilem scientiam[2] poterimus habere; et quo modo, aut qua quidque ratione fieri oporteat, ostendemus : aut si suadebimus quippiam, cujus rei gestæ aut præsentem, aut auditam memoriam[3] poterimus habere : qua in re facile id, quod velimus, exemplo allato

dicitur æquitas, non quod æquam cuique partem tribuat, sed quia suum cujusque dignitati jus æquat.

16. *In animo c. m. cupiditatum.* Ordo verborum est : Modestia est moderatio in animo (i. e. animi) continens cupiditatum. Gryphiani codd. duo habebant *cupiditatem*. Sed nostrum est elegantius. Ern. — Schütz. *cupiditatem*.

III. 1. *Si qua in re cohortabimur aliquid* e MSS et edd. pr. recepimus, pro vulg. « si quam ad rem ..... aliquem », ut placebat etiam Oudend. Nam et in ceteris ita loquitur, ut non faciat mentionem hominum cohortandorum, sed tantum rerum : et est elegantius. Ern.

2. *Disciplinabilem scientiam.* Edit. 1476, « disciplinabile ». Cod. Erf. « disciplinam aut scientiam ».—J. M. Brutum et Grævium sequitur Oud. qui e codd. aliquot protulerunt et probarunt « disciplinam et scientiam », quum et edd. quædam veteres habeant idem, sed sine copula. Nec ego omnino spernam; nec tamen ausus sum recipere; quod alii omnes libri in *disciplinabilem* consentiunt, et Noster etiam alia verba habet artis, quæ alibi non reperiuntur, facta consulto. Nempe intelligenda est scientia, quæ sit πρακτικὴ, h. e. doceat modum et rationem rei agendæ, cujus præcepta traduntur, quod et diserte post additur. Vidit Lambinus. — *Ostendemus*, quod in MSS et edd. quibusdam non est, deleri vult Oudend. male. Nec enim est, unde pendeant illa, « quomodo, etc. » Ern. quem Sch. probat, illius verba usurpando.

3. *Aut præsentem, aut auditam memoriam*. Cod. Pith. « aut præsentis, aut auditæ ». Grævius et Oudendorp. præferunt « præsentis, aut auditæ » e MSS duobus. Nec vulgatum intelligi posse, ait Grævius. Immo est elegantius et exquisitius, propterea que a librariis in vulgarem rationem correctum : sic « memoria vetus » pro rei veteris dicitur, item *nota* et *æqualis*. Ern. quem Sch. probat.—Est igitur « memoria præsens », memoria rei cui interfuimus.

persuadere possimus[4]. Justitiæ partibus utemur, si aut innocentum, aut supplicum dicemus[5] misereri oportere : si ostendemus bene merentibus gratiam referri convenire : si demonstrabimus ulcisci male meritos oportere : si fidem magnopere censebimus conservandam : si leges et mores civitatis egregie dicemus servari oportere : si societates atque amicitias studiose dicemus coli convenire : si, quod jus in parentes, deos, patriam natura comparavit, id religiose colendum demonstrabimus : si hospitia, clientelas, cognationes, affinitates caste colendas esse[6] dicemus : si nec pretio, nec gratia[7], nec periculo, nec simultate a via recta ostendemus deduci oportere : si dicemus, in omnibus jus æquabile statui convenire. His atque hujusmodi[8] partibus justitiæ si quam rem in concione, aut in consilio faciendam[9] censebimus, justam esse ostendemus; contrariis, injustam. Ita fiet, ut eisdem locis et ad suadendum, et ad dissuadendum simus comparati. Sin fortitudinis retinendæ causa faciendum quid esse dicemus, ostendemus, res magnas et celsas[10] sequi et appeti[11] oportere : et item res humiles et indignas viros[12] fortes

4. *Possimus.* MSS apud Oudend. et edd. 1474, 1475, Mediol. Junt. *poterimus*. Illud melius puto. Ern.

5. *Dicemus misereri.* Ald. « misereri dicemus ».

6. *Colendas esse.* « Colenda esse » Voss. 1, quod placet Oudend. Sch.

7. *Si nec pretio, nec gratia.* Vulgati addunt « nec prece », quod abest a MSS nostris, et Oudend. et edd. pr. Addidit primus Aldus. Ern. — Habent Burm. et Grut.

8. *Hujusmodi.* MS Cort. *hujuscemodi*, quod placet. Ern.

9. *Aut in consilio faciendam.* *Concilio* Gruterus. « Faciendam esse » edd. vett. — *Faciendam* puto esse glossam. Elegantius est « censere aliquid » simpliciter. Cic. ad Div. IX, 2, « tibi hoc censeo ». Ern.

10. *Et celsas.* *Et excelsas* edd. 1476 et seqq.

11. *Sequi et appeti.* Miror neminem, neque Ern. in his offendisse; ut enim non dicimus « sequimur et appetimur », sic nec dicendum est « sequi (nos) et appeti ». Wetz.

12. *Et indignas viros fortes.* Delevi post *indignas*, *viris fortibus*, *vel*, ex auctoritate MSS et edd. pr.

propterea contemnere oportere, nec idoneas dignitati suæ [13] judicare. Item a nulla re honesta, periculi aut laboris magnitudine deduci oportere : antiquiorem mortem turpitudine habere [14] : nullo dolore cogi, ut ab officio recedatur : nullius pro rei veritate metuere inimicitias : quodlibet pro patria, parentibus, hospitibus, amicis, et iis rebus, quas justitia colere cogit, adire periculum, et quemlibet suscipere laborem. Modestiæ partibus utemur, si nimias libidines [15] honoris, pecuniæ, similiumque rerum vituperabimus : si unamquamque rem certo naturæ termino definiemus : si, quoad cuique satis sit [16], ostendemus, et nimium progredi dissuadebimus, et modum unicuique rei statuemus. Hujusmodi partes sunt virtutis, ampli-

Et illud « viris fortibus » frigidum est, quum statim viri fortes commemorentur, et *vel* plane alienum est, nisi transpositum dicas, et ad *propterea* pertinere. Sed et *propterea* abest a MSS pluribus et edd. Ern. — Sch. delet etiam *propterea*, prorsus, inquit, otiosum. Gruter. « et indignos viris fortibus vel viros fortes ». Addidi, inquit, e Pal. quarto syllabam *vel* ; quod *propterea* illud invenissem in pluribus Palatinis, quod alioquin Gulielmio tollendum videbatur, utpote e libris aliquot exsul. Si cui forte *vel* indignum putatur textu, is poterit *propterea* mutare in *præterea*, fide Pal. pr. ac quinti.

13. *Nec idoneas dignitati suæ.* Vulgatur « dignitate sua ». Vix verum hoc puto, inquit Ern. Idoneus cum ablativo nusquam reperi. Ed. 1474, « nec idoneus pro sua dignitate jud. » unde puto auctorem scripsisse, « nec eas pro sua dignitate judicare » ; quod est elegans, et non profecto a librario ortum. — Schütz. « pro dignitate ». Edd. 1476, Med. 1498, et Gruterus « dignitate sua ».

14. *Turpitudine habere.* Sic edidi necessario pro *haberi* ; pendet enim cum sequentibus a « viros fortes » ; unde et mox « metuere, adire periculum ». Ern.

15. *Nimias libidines.* Monet Wetzelius satis fuisse dicere *libidines*, et equidem *nimias* additum crediderim, ut et infra *nimium* ante *progredi* ; tum certe melius, sed abest a vett. edd.

16. *Si, quoad cuique satis sit.* Vulgo, « si denique quid cuique satis, etc. » Sed nos vetustum loquendi genus reposuimus, repertum in Pal. tert. quinto, sexto, item Fabr. et Coloniensi. Plautus Menæchmis : « Verum est modus tamen, quoad pati uxorem oportet ». Grut. — Ernest. « si quod cuique s. s. » Sic, inquit, MSS apud Oudend. et edd. 1474, 1475, Med. Junt. etc. modus rei et quoad mox definitur. — *Quod* pro *quoad* edd. 1476, Med. 1498.

ficandæ, si suadebimus; attenuandæ, si ab his dehortabimur [ut hæc attenuentur[17]], quæ supra demonstravi. Nam nemo erit, qui censeat a virtute recedendum : verum aut res non hujusmodi dicatur[18] esse, ut virtutem possimus egregiam experiri, aut in contrariis potius rebus, quam in his, virtus constare ostendatur. Item si quo pacto poterimus, quam is, qui contra dicet, justitiam vocarit, nos demonstrabimus ignaviam esse, et inertiam[19], ac pravam liberalitatem[20] : quam prudentiam appellarit, ineptam, et garrulam, et odiosam scientiam esse dicemus : quam ille modestiam dicet esse, eam nos inertiam, et dissolutam negligentiam dicemus : quam ille fortitudinem nominarit, eam nos gladiatoriam, et inconsideratam appellabimus temeritatem.

IV. Laudabile est, quod conficit honestam[1], et

17. *Ut hæc attenuentur.* Hæc explicari non possunt, ut sint aliquid diversi ab eo, quod ante dictum est, *attenuandæ :* nec prodest *ita* aut *et*, quod in libris nonnullis additur. Non dubito insititia esse et e glossa orta. Itaque uncis inclusi. Ernest. cujus auctoritate inductus has voces omnino Schütz. delevit.

18. *Non hujusmodi dicatur esse.* Pal. tert. quart. quint. *dicantur*, quod ferri item queat. Lambinus scripsit *dicetur*, ut et mox *ostendetur*, sed contra omnes libros nostros. Grut. — « Ejusmodi dicantur », deleto *esse*, edd. 1476, Med. 1498. — *Dicatur*. Hic conjunctivus est leniter imperantis; vel potius pro *dici poterit* ponitur.

19. *Ignaviam esse, et inertiam.* Schütz. delevit *et inertiam*. Quomodo enim, inquit, justitia possit inertiæ nomine per detrectationem appellari? Itaque hoc vel glossema est vocabuli *ignaviæ*, vel librarii vitio e sequentibus hic anticipatum. — At si te retuleris ad eas quæ supra explicantur justitiæ partes, non intelligi poterit *ignaviæ* posse tribui, quod supplicum quis dixerit misereri oportere; *inertiæ*, quod leges et mores civitatis tenendas; *pravæ libertati*, quod omnibus jus æquabile statui convenire? Audi Catonem in Catilinæ socios, apud Sallustium, tribunorum consulumque orationes apud Livium. Fateor tamen aptius esse *liberalitatem*.

20. *Ac pravam liberalitatem.* Hoc recepimus ex Ald. it. cod. Erf. Cauch. Pith. Nam qui aliis justitiæ specie plus tribuit, quam tribuere debet, is prava utitur liberalitate. Vulgo *libertatem*. Sch. — *Libertatem* Gruterus; *parvam* pro *pravam* ed. 1476. J. V. *Leclerc :* alii *libertatem*, male.

IV. 1. *Quod conficit honestam.* — *Honestatem* ed. 1476.

præsentem, et consequentem[2] commemorationem. Hoc nos eo a recto separamus[3], non quod hæ quatuor partes, quæ subjiciuntur sub vocabulo recti, hanc honestatis commemorationem dare non soleant : sed quamquam ex recto laudabile nascitur[4], tamen in dicendo seorsum tractandum est hoc ab illo. Neque enim solum laudis causa rectum sequi convenit; sed si laus consequitur, duplicatur recti appetendi voluntas. Quum igitur erit demonstratum[5] rectum, laudabile esse demonstrabimus, aut ab idoneis hominibus, ut si qua res honestiori ordini placeat, quæ a deteriore ordine improbetur; aut ab aliquibus sociis, aut omnibus civibus, exteris nationibus, posterisque nostris.

(v.) Quum hujusmodi locorum divisio sit[6] in consultatione, breviter aperienda est totius tractatio causæ. Exordiri licebit, vel a principio, vel ab insinuatione, vel iisdem rationibus[7], quibus in judiciali causa. Si cujus rei narratio incidet, eadem ratione narrare

2. *Et consequentem.* Sic consensu MSS et edd. pr. Sic mox : « si laus consequitur ». Vulgo *sequentem*. Ern.

3. *Separamus.* MSS et edd. variant inter *separamus*, *separavimus*, et *separabimus*. Ultimum locum non habet, quia jam factum est : nec medium, quia præsens sequitur. Ern.

4. *Nascitur* scripsi pro *nascatur*, quod *quamquam* in oratione recta conjunctivo jungi non potest. Ern.

5. *Quum igitur erit demonstratum.* Grut. *demonstrandum*. Ita, inquit, Pal. quart. et sextus, præter Tosanum, Gembl. et Colon. vere; nam eo ipso quod laudabile demonstramus, rectum et honestum esse ostendimus. Prius cusi : « demonstratum ». — Ernest. nostram lect. exhibet. Restituimus, inquit, lect. antiquam a Grutero ejectam, quam MSS et edd. firmant, sensus denique postulat. Vult enim dicere, demonstrationi recti subjiciendum esse laudabile. Item restituimus mox *demonstrabitur* iisdem auctoribus. « Ab idoneis hominibus » pendet a *laudari*, quod latet in *laudabile*.

6. *Locorum divisio sit.* Edd. vett. « divisio sit loc. » Intell. quum exposuerim quæ sit in consultandi, sive deliberandi genere, divisio locorum.

7. *Vel iisdem rationibus.* Schütz. delet *vel*, quod, inquit, sensum pervertit : non enim hic novum est partitionis membrum; sed dicitur, iisdem rationibus, quibus in judiciali causa, vel a principio, vel ab insinuatione, oratorem exordiri posse.

oportebit[8]. Quoniam[9] in hujusmodi causis finis est utilitas, et ea dividitur in rationem tutam atque honestam : si utrumque poterimus ostendere[10], utrumque pollicebimur nos in dicendo demonstraturos esse; sin alterum demonstraturi erimus[11], simpliciter, quod dicturi sumus, ostendemus. At si nostram rationem tutam esse dicemus, divisione utemur in vim et consilium. Nam, quod in docendo, rei dilucidandæ causa, dolum appellavimus, id in dicendo honestius consilium appellabimus. Si rationis nostræ sententiam rectam esse dicemus, et omnes partes recti incident; quadripartita divisione utemur : si non incident, quot erunt, tot exponemus in dicendo. In confirmatione et confutatione utemur locis, quos ante ostendimus, nostris confirmandis, contrariis confutandis. Argumentationis artificiosæ tractandæ[12] ratio de secundo libro petetur.

V. Sed si acciderit, ut in consultatione alteri ab tuta ratione, alteri ab honesta, sententia sit, ut in deliberatione eorum, qui a Pœnis circumsessi deliberant, quid agant[1]; qui tutam rationem sequi[2] suade-

8. *Narrare oportebit. Narrari* edd. 1476, Med. 1498, Ald.

9. *Quoniam.* Schütz. addit ante *in divisione;* non solet enim, inquit, auctor noster transitiones obscurare.

10. *Poterimus ostendere.* Abest *ostendere* edd. 1476, Med. 1498.

11. *Sin alterum demonstraturi erimus.* Primum, quia præcessit « si utrumque », aut legendum est *alterutrum*, aut *alterum*. Sic intelligendum ut ap. Cic. Acad. II, 43. Deinde *dem. erimus* abest a MS Leid. quod placet Oud. itemque Græv. qui etiam sine libro hoc spurium conjecit. Sane eleganter et commode abesset : sed Noster non solet in talibus brevitatem sequi. Schutz.

12. *Argum. artificiosæ tractandæ ratio.* Ernest. cum Grut. *tractanda.* MSS, inquit, et edd. pr. *tractandæ;* quod si verum est, erit, ut opinor, scribendum *artificiose.* Sic « argumentationes ornate tractare » est II, 18. Ern. — Sic habet Wetzel.

V. 1. *Qui a Pœnis circumsessi deliberant, quid agant.* In Sicilia, a. U. 496, priore bello Punico, quum Calpurnius Flamma trib. militum exercitum obsidione liberavit.

2. *Qui tutam rationem sequi suadebit.* Schutz. « qui tutam rationem ad-

bit, his locis utetur : Nullam rem utiliorem esse incolumitate : virtutibus uti neminem posse, qui suas rationes in tuto non collocarit : ne deos quidem esse auxilio iis, qui se inconsulto in periculum [3] mittant : honestum nihil oportere existimari, quod non salutem pariat. Qui tutæ rei præponet rationem honestam, his locis utetur : Virtutem nullo tempore relinquendam : vel dolorem, si is [4] timeatur; vel mortem, si ea formidetur, dedecore et infamia leviorem esse : considerare [5], quæ sit turpitudo consequutura; at non immortalitatem, neque æternam incolumitatem consequi [6] : nec esse exploratum, illo vitato periculo, nullum in aliud periculum venturos [7] : virtute vel [8] ultro ad mortem proficisci, esse præclarum : fortitudini fortunam quoque esse adjumento solere : eum tute vivere, qui honeste vivat, non qui in præsentia incolumis sit : et eum, qui turpiter vivat, incolumem in perpetuum esse non posse. Conclusionibus [9] fere similibus in his, et judicialibus [10] causis uti solemus, nisi quod in his maxime conducit quamplurima rerum ante gestarum exempla proferre.

VI. (VI.) Nunc ad demonstrativum genus causæ transeamus. Quoniam hæc causa dividitur in laudem

hibebit ». Cod. Aug. inquit, « tutam rationem si quis adhibuerit ». Cod. Goth. « tutam rationem si quis adhibet ». Ex harum lectionum vestigiis vulgatam, quæ per leges grammaticas haud est ferenda, correximus.

3. *In periculum mittant.* Vett. edd. *mittunt.*

4. *Si is timeatur.* Abest *is* a multis edd.

5. *Considerare.* Schütz. *considerandum.* Ita rescripsi, inquit, jubente constructione et sensu.

6. *Non immortalitatem ... consequi.* Ad sensum e sequentibus hic repetendum est, « illo vitato periculo ». Schutz.

7. *Venturos.* Edd. vett. « esse nos venturos ».

8. *Vel ultro.* Abest *vel* a quibusdam edd.

9. *Conclusionibus.* Respice II, 30.

10. *Et judicialibus.* Addunt *in* ante *judicialibus* edd. 1476, Med. 1498. Abest contra *in* iisdem in edd. ante *his maxime.*

et vituperationem, quibus ex rebus [1] laudem constituerimus, ex contrariis rebus erit vituperatio comparanda. Laus igitur potest esse [2] rerum externarum, et corporis, et animi [3]. Rerum externarum sunt ea, quæ casu, aut fortuna [4] secunda, aut adversa, accidere possunt : ut genus, educatio, divitiæ, potestates, gloriæ, civitas, amicitiæ [5], et quæ hujusmodi sunt, et ea, quæ his sunt contraria. Corporis sunt ea, quæ natura corpori attribuit commoda aut [6] incommoda : ut velocitas, vires, dignitas [7], valetudo, et quæ contraria sunt. Animi sunt ea, quæ consilio, et cogitatione nostra constant : ut prudentia, justitia, fortitudo, modestia, et quæ contraria sunt. [Erit igitur hæc confirmatio et confutatio nobis [8].] In [9] hujusmodi

VI. 1. *Quibus èx rebus . . . ex contrariis*. Hæc non bene cohærent. Debebat enim esse « ex earum contr. » An scripsit : *si quibus*, i. e. *quibusdam ?* Ern. — Schütz. « earum ex contrariis ». Hoc præfiximus, inquit, ut « ex contrariis » cum antecedenti membro copuletur.

2. *Potest esse*. Edd. vett. « poterit esse ».

3. *Et corporis, et animi*. Sic vulgatæ olim editiones, quod nos servavimus, Ern. invito, qui conjunctionem delet, Schützio adstipulante. — Iisdem fere verbis Aristoteles, Rh. I, 5, bona enumerat, a quo rhetores postea traxisse videntur.

4. *Quæ casu, aut fortuna*. Ed. 1476 « quæ causa aut fort. »

5. *Gloriæ, civitas, amicitiæ*. Sic Pall. omnes, item Bruil. et Fabr. recte. Nemo enim duarum civitatum esse potest jure naturæ : et de datione civitatis romanæ loqui apparet. Vulgata *civitates*. Gaut.

6. *Commoda aut incommoda*. *Aut* abest MS Cort. Egó et *incommoda* delendum censeo. Nam incommoda sunt in sequentibus, « et quæ contraria sunt » ; et semper mala non diserte ponuntur, sed tantum bona, et illa hac formula, « et quæ contraria sunt ». Arbitror rem evidentem esse ; itaque uncis inclusi. Est autem huc tractum e. c. seq. ubi sunt « commoda aut incommoda corporis », sed aliter atque hoc loco. Ern. — Schütz. omnino delevit « aut incommoda ».

7. *Dignitas*, quam Cicero, Off. I, 36, dicit pulchritudinem virilem, *venustatem* esse mulierum. Wetz.

8. *Erit igitur hæc confirmatio et confutatio nobis*. Hæc quid sibi h. l. velint, non intelligo ; nec enim sermo est de confirmatione et confutatione. Puto esse spuria, et ejicienda. Ern. — Schütz. omnino hanc phrasin delevit. — *Confutatioque*, edd. 1476, Med. 1498.

9. *In hujusmodi igitur causa*. Abest *igitur* edd. 1474, 1475, 1498, Junt. etc.

igitur causa principium sumetur[10] aut a nostra, aut ab ejus, de quo loquemur, aut ab eorum, qui audient, persona, aut ab re. A nostra, si laudabimus, dicemus[11] aut officio facere, quod causa necessitudinis intercedat : aut studio, quod ejusmodi virtutis sit, ut omnes commemorare debeant velle[12] : aut quod rectum sit, ex aliorum laude ostendere[13], qualis noster animus sit. Si vituperabimus, aut merito facere, quod ita tractati simus : aut studio, quod utile putemus esse, ab omnibus unicam[14] malitiam atque nequitiam cognosci : aut quod placeat ostendi, quid nobis displiceat, ex aliorum vituperatione. Ab ejus persona, de quo loquemur, si laudabimus, vereri nos dicemus[15], ut illius facta verbis consequi[16] possimus : omnes homines illius virtutes prædicare[17] oportere : ipsa facta omnium laudatorum eloquentiam anteire.

10. *Sumetur.* Ed. 1476 *sumitur.*

11. *A nostra, si laudabimus, dicemus.* Illud *dicemus* non adest in Pall. plerisque Gulielmianis; poteratque abesse sine sententiæ incommodo. Grut. — *Dicemus* abest ab Oudend. MSS, non tamen, ut illi placebat, delendum. Schütz. — Abest *dicemus* edd. 1476, Med. 1498.

12. *Commemorare debeant velle. Velle* abest ab ed. 1474.

13. *Aut quod rectum sit, ex aliorum laude ostendere.* In Oudend. MSS, « quod rectum sit, aut ex aliorum l. ost. » sed vulgata mutari non debet. « Aut ex aliorum » ed. Med. 1498, ed. 1476.—Pall. omnes rejiciunt hanc positionem, habentque, « velle quod rectum sit, aut ex aliorum » Neque aliter Suffridi codd. item Br. ac Fabr. Grut.

14. *Unicam.* Intell. singularem, inauditam.

15. *Vereri nos dicemus.* Pal. tert. quart. sex Brnil. non agnoscunt illud *dicemus.* Grut.

16. *Ut illius facta verbis consequi possimus.* Quia edd. vett. et MSS multi habent « non possimus », etiam Med. 1474 *ne*, vix dubitari potest a manu auctoris esse, « ne illius facta ... non possimus »; quod etiam efficacius est. Ernest. — Cujus et Oudendorpii auctoritate inductus Schütz. edidit, « ne illius f. v. c. non possimus ». Edd. 1476, Med. 1498, « ut ... non possimus ». — Sic omnes Pall. præter secundum, quod latine dici posse hac significatione strenue negat Lambinus. Grut.

17. *Omnes homines illius virtutes prædicare oportere.* Ernest. « hominis illius » edidit, ut Græv. placebat, quod in codd. duobus repererat, ut Oudend. in aliis. Sic habent etiam edd. Med. 1498, Junt. — Cod. Erf. Cauch. « omnes homines illius virtutis prædicare oportere ». Sch.

Si vituperabimus, ea, quæ videbimus contraria, paucis verbis commutatis, dici posse, dicemus: ut paullo ante [18] exempli causa demonstratum est. Ab auditorum persona, si laudabimus, quoniam non apud [19] ignotos laudemus, nos monendi causa pauca esse dicturos: aut si erunt ignoti, ut talem virum velint cognoscere, petemus; quoniam in eodem virtutis studio [20] sint, apud quos laudemus, quo ille [21], qui laudetur, fuerit, aut sit [22], sperare nos facile iis, quibus velimus, hujus facta probaturos. Contraria vituperatio: quoniam norint, pauca de nequitia ejus nos esse [23] dicturos: quod si ignorent, petemus ut cognoscant, uti malitiam vitare possint; quoniam dissimiles sint, qui audiunt, atque ille, qui vituperatur, nos sperare illius vitam vehementer improbaturos [24]. Ab rebus ipsis, incertos esse [25], quid potissimum laudemus: vereri [26], ne,

18. *Ut paullo ante.* Edd. Ald. addunt *supra* e glossa. Schutz. — Pro *ante*, *supra* habet ed. 1476.

19. *Quoniam non apud ignotos.* I. e. *ignaros*, quod etiam quidam libri habent ex glossa. Ea vis verbis *ignotus*, hodie, ut opinor, etiam tironibus e Phædro nota est. Ernest. — Cujus verba Schütz. prope retulit; vide infra IV, 50; Phædr. I, 11, v. 2; Cic. ad Div. V, 12, 22; Cornel. Agesil. 8. Wetz. — Contra apud Tacitum: « non sibi *ignara* quæ de Silano vulgabantur », Ann. III, 69; « non sibi *ignarum* ». IV, 8, pro *ignota*, *ignotum*. — « Quoniam nihil novi non nihil apud ignotos », edd. 1476, Med. 1498.

20. *Virtutis studio sint.* Lambinus conj. *stadio*. Sed h. l. vocabulum proprium metaphorico præferendum. Sch.

21. *Quo ille.* Vett. edd. *atque ille*.

22. *Qui laudetur, fuerit, aut sit.* Pro volgato *laudatur* hoc dedimus e MSS pluribus apud Oud. et ed. Med. Ernest. — Quem Sch. probat. — Grut. *laudatur.* — Idem a Pall. inculcavit illud *aut sit* hactenus libris publicatis ignoratum.

23. *Nos esse dicturos.* Delent MSS Cort. et alii ap. Oud. cum ed. Mediol. *nos esse;* nec displicet. Ern. — Vera tamen esse arbitror, quoniam iis omissis, *dicturos* videatur cum *norint* construi debere. Schutz.

24. *Illius vitam vehementer improbaturos.* Schütz. addit *eos* ante *illius* e cod. Erf. alii addunt ante *improbaturos*, ut Cort. ed. 1474.

25. *Incertos esse.* Schütz. « incertos nos esse », auctore Gronovio e cod. Duisb. — « Incertum esse, quod potiss. » ed. Med. 1494.

26. *Vereri, ne*, deleto *nos* e MS Cort. et multis ap. Oud. ed. 1474, Med. Junt. Ern. — Quem Sch. probat.

quum multa dixerimus, plura prætereamus; et quæ similes sententias habebunt : quibus sententiis contraria sumuntur a vituperatione.

VII. (VII.) Principio tracto [1] ab aliqua harum, quas ante commemoravimus, rationum, narratio non erit ulla, quæ necessario consequatur : sed si qua inciderit, quum aliquod factum ejus, de quo loquemur, nobis narrandum sit cum laude, aut vituperatione, præceptio narrandi de primo libro repetetur. Divisione hac utemur. Primo exponemus [2], quas res laudaturi sumus, aut vituperaturi : deinde, ut quæque, quove tempore res erit gesta, ordine dicemus, ut, quid, quamque tute cauteque egerit, intelligatur. Sed exponere oportebit animi virtutes, aut vitia : deinde commoda aut incommoda corporis, aut rerum externarum, quomodo ab animo tractata sint [3], demonstrare. Ordinem hunc adhibere in demonstranda vita debemus. Ab externis rebus : genus, in laude [4] [quibus majoribus natus sit] : si bono genere, parem aut excelsiorem fuisse : si humili genere, ipsum in suis, non in majorum virtutibus habuisse præsidium. In

VII. 1. *Principio tracto ab al.* Quia supra est « principium sumetur...ab, etc. » nec est hæc latina forma « tractari ab ratione aliqua », statui dudum legendum *tracto*, pro vulg. *tractato*. Verum hæc et alibi confusa sunt in utramque partem. Ern. quem Sch. probat. Ipse Sch. addit *igitur* ante *tracto* mori auctoris, inquit, convenienter. Gruterus *tractato*. Ita Lambinus, inquit, neque aliter Brail. aut Pal. sec. ceteri spernunt adhuc illud *ab*; vulgo erat « Principio tractato tum ab re, tum ab aliqua harum ».

2. *Primo exponemus. Primo* delent MSS et edd. vett. Sed nescio, quomodo sensus meus repugnat, cui, sublato illo verbo, aliquid deesse videtur. Et solet Noster numerare partes. Ern. quem Sch. probat.

3. *Quomodo ... tractata sint.* Tractare commoda est uti iis. Wetz.

4. *Genus, in laude.* Nescio quare addatur « quib. maj. n. s. » Nam hoc est in verbo *genus*, et est alieno loco, deberetque esse post *genus*. Est porro commune laudi et vituperationi. Hic autem desideratur, quod laudi proprium sit; nec denique mox in vituperatione aliquid additur. Itaque spurium est sine dubio, e glossa natum, atque adeo ejiciendum. Uncis inclusi. Ern. — Schütz. omnino has voces *quibus m. n. s.* ejecit.

vituperatione, si bono genere, dedecori majoribus fuisse: si malo, tamen his ipsis detrimento fuisse. Educatio, in laude, bene[5] et honeste in bonis disciplinis per omnem pueritiam educatum esse : in vituperatione, e contrario. Deinde transire oportet ad corporis commoda[6]. A natura, in laude[7] : si sit dignitas atque forma, laudi fuisse eam[8]; non quemadmodum ceteris, detrimento atque dedecori : si vires atque velocitas egregia; honestis exercitationibus[9] et industriis dicemus[10] comparata : si valetudo perpetua; diligentia[11], et temperantia cupiditatum. In vi-

5. *Bene et honeste ... per omnem pueritiam educatum esse : in vituperatione, e contrario.* Ernest. « in vit. contra ». Valde hic, inquit, variant codices. Græv. fecit ex ista varietate, « quam bene et honeste in bonis disciplinis tempore totius pueritiæ fuerit », male. Nam constructio mutatur, quæ a præcedente non debet discrepare. Ego vulgatum servavi; sed pro « e contrario », e MSS et edd. pr. dedi *contra*, quod rectum et in tali forma usitatum est. ERNEST. quem Sch. probat et sequitur. — « Quam bene ... educatus tota pueritia fuerit », edd. 1476, Med. 1498, eædem *contra*.

6. *Deinde transire oportet ad corporis commoda.* Hic rursus mira varietas est in libris. Vulgatum verum est. Nempe ab genere et educatione, quæ sunt in externis, vult transiri ad interna et ab his rediri rursus ad externa. ERNEST. — Oudend. placuit lectio Voss. pr. Leid. 1 et ed. Omniboni : « inde se retraxisse aperte. A corporis commodis ». (Sic ed. 1476.) Sed illa priora corrupta sunt ex verbis « deinde transire oportet ». Et si maxime velimus breviorem formulam « A corporis commodis » tueri, tamen vulgata melius convenit iis, quæ postea sequuntur : « Deinde revertemur ad extraneas res ». Itaque auctore etiam Ernestio vulgatum servavimus. SCH.

7. *A natura, in laude. In laude* abest libris scriptis et ed. Med. 1474. Itaque Græv. et Oud. delent, male. Est eadem forma, quæ antea; et post opponitur, « in vituperatione ». Ergo necessario servatur. ERNEST. quem Sch. probat et sequitur.

8. *Laudi fuisse eam.* MSS plures et ed. Med. 1474 habent *ea* : quod placet Oud. Sic mox *comparata*, quum feminina præcesserint. ERNEST.

9. *Honestis exercitationibus.* Ibi verbo *honestis* in MSS et edd. aliquot additur *hæc*, quod placet Oud. Ego mallem supra *eam* deleri, videturque esse a glossatore, ut post *hæc*. ERN. — Schütz. quoque *hæc* glossam sapere dicit. *Hæc* adest in ed. 1476.

10. *Dicemus comparata.* Abest *dicemus* ab edd. vet.

11. *Si valetudo perpetua; diligentia.* Est a Pal. quarto et sexto, neque aliter Becichemio codd. quam quod ii præterea « si valetudo est perpetua ». Inepte huc usque impressi : « si valetudo ex perpetua dil. » nam « perpetua valetudo » eadem est cum *constante*, cui opponitur *varia*. GRUT. —

tuperatione, si erunt hæc corporis commoda, male his usum dicemus, quæ casu et natura, tamquam quilibet gladiator, habuerit; si non erunt præter [12] formam, omnia ipsius culpa et intemperantia non fuisse [13] dicemus. Deinde revertemur [14] ad extraneas res, et in his, animi virtutes, aut vitia quæ fuerint, considerabimus : divitiæ, an paupertas fuerit, et quæ potestates [quæ gloriæ [15]], quæ amicitiæ, quæ inimicitiæ, et quid fortiter in inimicitiis gerendis fecerit; cujus causa susceperit inimicitias [16], qua fide, benivolentia,

Ernest. veterem interpunctionem servat a Grutero, ut ait, temere mutatam, quam tamen pariter in libris quibusdam antiquis et ipse reperit; ut ed. Junt. Illa vetus est in MSS et edd. pr. Schütz. Ernestium sequutus est; nam efficacius est, inquit, vocabulum *perpetua* cum « diligentia et temperantia » conjungere, qua utique opus est ad valetudinem conservandam. Contra h. l. de valetudine perpetua ac diuturna, non de sæpius afflicta agi, per se intelligitur.

12. *Præter formam*. Hoc excipitur, quia formæ dignitas, si a natura fuerit, malis moribus depravari potest. Sed si natura eam non dederit, nemo potest, ut ait ille ap. Cic. de Orat. l. II, sibi formam ipse fingere.

13. *Et intemperantia non fuisse*. Pall. veriores ignorant negativam, secundus vero habet, « et intemp. accidisse », ut videatur rescribendum *afuisse*, h. e. *abfuisse*. Grut. — Abest *non* edd. 1476, Med. 1498. Schütz. *occidisse* pro *non fuisse*. Hanc lect. inquit, erui e vestigio cod. Pal. 2, in quo legitur *accidisse*. Lectionis *occidisse* glossema videtur vulgatum *non fuisse*, quod temporis consecutio non admittit. Nam si quis habuit vires, velocitatem, bonam valitudinem, adversarius non potest dicere, ea bona non fuisse propter intemperantiam, sed potius docebit, *fuisse* quidem, sed non amplius *esse* hominis, qui iis abusus sit, culpa. Gronovius defendit lectionem *fuisse*, h. e. periisse, interiisse; quod propter amphiboliam dictionis h. l. non placet. Schutz.

14. *Revertemur*. MSS quidam *vertemur*, quod et placet viris quibusdam doctis. Sed *revertemur* necessarium est, quia intelligendus reditus ad res externas. Ernest.

15. *Quæ potestates* [*quæ gloriæ*]. Vulgo additur *quæ gloriæ*; barbarum glossema, quo grammaticus aliquis explicare voluit *potestates*. Nec postea, ubi singula hæc membra repetuntur, gloriæ fit mentio. Schutz. — Resp. ad c. 6, ubi sic quoque « potestates, gloriæ », id est, puto, res gloriose gestæ. Vide Cic. de Amic. ubi laudat Scipionem Lælius, et a gemino consulatu, et a parta in utroque cons. gloria, ab amicitiis et inimicitiis, a morte et ab iis quæ mortem sequuta sunt. Habet ed. 1476 « quæ gloria ». De potestatibus, quas δυνάμεις vocat et de ceteris laudis partibus Aristotel. cap. 6, 2.

16. *Cujus causa susceperit inimicitias*. Hæc verba Schütz. retraxit post

officio gesserit amicitias. In divitiis qualis, aut in paupertate cujusmodi fuerit : quemadmodum habuerit in potestatibus gerendis animum. Si interierit, cujusmodi mors ejus fuerit, cujusmodi res mortem ejus sit consequuta.

VIII. Ad omnes autem res, in quibus[1] animus hominis maxime consideratur, illæ quatuor animi virtutes erunt accommodandæ : ut, si laudemus, aliud juste, aliud fortiter, aliud modeste, aliud prudenter factum esse dicamus : sin vituperemus[2], aliud injuste, aliud ignave, aliud immodeste, aliud stulte factum esse dicamus. Perspicuum est jam nimirum ex hac dispositione, quemadmodum sit tractanda tripartita divisio[3] laudis et vituperationis; si illud etiam assumpserimus, non necesse esse nos omnes has partes in laudem, aut vituperationem transferre, propterea quod[4] sæpe ne incidunt quidem : sæpe ita tenuiter incidunt, ut non sint necessariæ dictu. Quapropter

« quæ inimicitiæ ». Prius enim, inquit, erat de suscipiendis inimicitiis, quam de gerendis, dicendum.

VIII. 1. *Ad omnes autem res, in quibus animus hom. max. consideratur.* I. e. in omnibus rerum articulis, ubi maxime agnoscitur hominis indoles, considerandum est quid juste, fortiter, modeste, prudenter fecerit, quid contra.

2. *Sin vituperemus, aliud injuste.* Delevimus *e contrario*, quod non est in MSS plerisque, nec edd. pr. 1474, et aliis. Sed fortasse aliquis prætulerit lectionem Aldinam; quæ et in scriptis nonnullis est : « si vituperemus, e contrario », nihil amplius, omissisque ceteris. Quod sane dignum consideratu. Nam sic et supra, ubi tamen recepimus *contra*, pro *e contrario*. Ita in ceteris esset interpretatio τοῦ *contra* a glossatore orta. Sic placebat Lambino : nec ego valde repugnem. Ern. — Schütz. ex eorum auctoritate prætulit « sin vituperemus, e contrario », omissis ceteris. Brevior lectio, inquit, et præferenda et superflua hujus antitheseos prolixitas glossatorem prodit. — « Si vituperabimus » edd. Med. 1498, 1476, ut et supra « si laudabimus ».

3. *Tripartita divisio.* Resp. c. 6, ubi est rerum externarum, corporis et animi.

4. *Propterea quod . . . necessariæ dictu.* Habentur ista quidem omnia in Pall. quatuor numero. Sed quartus et sextus solum habent : « propterea quod sæpe se indicant, ut non sint necessariæ dictu », quomodo item fuit in Bruil. et vero malim præ vulgatis. Gaut.

eas partes, quæ firmissimæ videbuntur, legere oportebit. (VIII.) Conclusionibus brevibus utemur, enumeratione ad exitum causæ[5]: in ipsa causa crebras et breves amplificationes interponemus[6] per locos communes. Nec hoc genus causæ, eo quod raro accidit in vita, negligentius considerandum est[7]. Neque enim id, quod potest accidere, ut faciendum sit aliquando, non oportet velle quam commodissime[8] posse facere. Et, si separatim hæc causa minus sæpe tractatur; at in judicialibus, et in deliberativis causis sæpe magnæ partes versantur laudis, aut vituperationis. Quare in hoc quoque genere causæ nonnihil industriæ consumendum putemus[9].

Nunc, absoluta nobis difficillima parte rhetoricæ, hoc est, inventione perpolita, atque ad omne causæ genus accommodata, tempus est ad ceteras partes proficisci. Deinceps igitur de dispositione dicemus.

5. *Enumeratione ad exitum causæ.* Hæc J. Gron. et Græviue deleri volunt, auctoritate MSS Medic. et Erf. Male. Nam ita nihil esset, quo referretur, « in ipsa causa ». Sensus est: genere et parte conclusionis, quæ est enumeratione partium, ἀνακεφαλαιώσει tantum in fine orationis est utendum; quod est aptum huic causæ præceptum. Ernest. cui Schütz. assentitur.

6. *Interponemus. Interponere oportebit* edd. vet.

7. *Negligentius considerandum est.* Si de præceptis et cognitione sermo est, recte habet hæc lectio: sin de facultate, prætulerim cum Grævio et Oudend. *commentandum*, e lectione, *commendandum*, quæ in MSS pluribus etiam nostris, item edd. ut Med. Junt. reperitur; eoque tendit alia MSS lectio et ed. 1474, *commodandum*. Ernest.—Et habent alii codices « commendatum, commandandum, commemorandum »; ed. 1476, *commendandum*. — Schütz. edidit *commentandum*.

8. *Quam commodissime.* Sic dedimus ex edd. 1474, Mediol. Junt. pro *accommodatissime*, quæ ab Aldo fluxit. Ern.

9. *Consumendum putemus. Consumendum* e MSS Gulielmii, Oudendorpii duobus, et nostro Lips. edidimus quod volebant et Græv. et Oud. Veteres edd. *conferendum*, sed id requirebat « in hoc genus ». *Consummandum* male Gruterus dedit e suis MSS. Tum *putemus*, pro *putamus* ex iisdem et ed. Med. 1474: nam id melius respondet principio, « commentandum est ». Ernest. cui Sch. assentitur, quod ad *consumendum* pertinet; edidit vero *putamus*, hanc-

IX. (IX.) Quoniam dispositio[1] est, per quam illa, quæ invenimus, in ordinem redigimus, ut certo quidque loco pronuntietur; videndum est, cujusmodi rationem in disponendo habere conveniat. Genera dispositionum[2] sunt duo : unum ab institutione artis profectum; alterum ad casum temporis accommodatum. Ex institutione artis disponemus, quum sequemur eam[3] præceptionem, quam in primo libro exposuimus, hoc est, ut utamur principio, narratione, divisione, confirmatione, confutatione, conclusione : et hunc ordinem, quemadmodum præceptum est ante, in dicendo sequemur. Item ex institutione artis, non modo totas causas per orationem, sed per singulas quoque argumentationes[4] disponemus, quemadmodum in secundo libro docuimus[5] [id est, expositionem, rationem, confirmationem rationis, exornationem, complexionem]. Hæc igitur

quæ esse veriorem lect. contendit. — *Putavimus* Ald.

IX. 1. *Dispositio*. Inv. I, 7; Or. II, 76.

2. *Genera dispositionum*. Sic MSS Græv. Oud. Cort. et edd. veteres. Vulgo *dispositionis*, quod primus Aldus dedit : deseruit tamen Cratander, ut alia. ERNEST.

3. *Eam præc. quam in primo libro exposuimus*. A capite 4 ad 10.

4. *Non modo totas causas per orationem, sed per singulas quoque argumentationes disponemus*. *Argumentationes* substituimus, inquit Ernest. vulgato « argumentationis partes » auctoribus MSS et edd. vett. Res ipsa etiam sine libris jubet : nam et mox repetit auctor « per orationes et per argumentationes » : nec alterum intelligi potest. Sic visum et Grævio. Sed secundum hanc rationem, quæ sequuntur, « id est ... complexionem » spuria sunt, et a glossatore vitiosæ lectionis orta. Et in aliis MSS sunt aliter. Uncis inclusimus. ERNEST. — Schütz. « non modo totas causas, sed singulas quoque argumentationes disponemus ». Sic emendavimus, inquit, vulg. in quo scripturam glossatorum culpa vitiatam esse, facile intelligitur. Nam quid est « causas per orationem disponere ? » Et *per* ante *singulas* omittitur Erf. Cauch. ed. pr. Ald. Victor.

5. *Docuimus*. Schütz. delet, ut manifesto spuria quæ hic in edd. adjiciuntur : « id est, expositionem, rationem ... ab institutione artis profecta » : notatque : Jam Ern. uncis inclusit, « id est ... complexionem ». Reliqua autem nihilo meliora sunt.

duplex dispositio est : una per orationes, altera per argumentationes, ab institutione artis profecta.

Est autem et alia dispositio[6], quæ, quum ab ordine artificioso recedendum est, oratoris judicio ad tempus accommodatur : ut si a narratione dicere incipiamus[7], aut ab aliqua firmissima argumentatione, aut a literarum aliquarum recitatione : aut si secundum principium confirmatione utamur, deinde narratione : aut si quam hujusmodi permutationem ordinis faciamus : quorum nihil, nisi causa postulet[8], fieri oportebit. Nam si vehementer aures auditorum obtusæ videbuntur, atque animi defatigati ab adversariis multitudine verborum, commode poterimus principio supersedere, et exordiri causam aut a narratione, aut ab aliqua firma[9] argumentatione. Deinde, si commodum erit, quia non semper necesse est, ad principii sententiam reverti licebit[10].

X. Si causa nostra magnam difficultatem videbitur habere, ut nemo æquo animo principium possit audire[1]; a narratione quum inceperimus, ad principii

6. *Et alia dispositio*. Abest *et* edd. 1476, Med. 1498.

7. *Incipiamus*. *Incipiemus* edd. 1476, Med. 1498.

8. *Quorum nihil, nisi causa postulet*. J. Gronovius valde probat lect. MS Medic. « nihil non, causa postulet »; id est *si c. p.* cujus ellipseos exempla pater in Obs. protulit : sed ea ab facilitate nostri est aliena. Ego putem auctorem dedisse : « nihil non, si causa postulet » : si tamen aliquid tentandum. *Non* et *si* contracta sunt temere in *nisi*, cujus rei indicium fecerit MS. Med. sed vulgatum tamen satis convenit sequentibus. ERNEST. — Schutz. postquam hæc Ernest. verba usurpavit, optimum est igitur, inquit, quod idem divinavit « nihil non, si causa postulet ». Itaque hanc lect. protuli.

9. *Aut ab aliqua firma*. Abest *ab* edd. 1476, Med. 1498, eædem *firmissima* pro *firma*.

10. *Deinde, si commodum erit ... reverti licebit. Si causa nostra*. Schutz. « Deinde, si causa nostra », deletis ceteris. Verba « si commodum ... licebit », inquit, nec antecedentibus recte conveniunt, et partim e seqq. interpolata sunt. — Sed adeo frequentes sunt his in libb. repetitiones, ut hæc auctori recte imputari possint.

X. 1. *Principium possit audire*. « Possit audire principium », edd. 1476, Med. 1498.

sententiam revertamur licebit [2]. Si narratio parum probabilis est, exordiemur ab aliqua firma argumentatione. His commutationibus, et translationibus partium [3] sæpe uti necesse est, quum ipsa res artificiosam dispositionem artificiose commutare cogit. (x.) In confirmatione et confutatione argumentationum dispositiones [4] hujusmodi convenit habere [5] : firmissimas argumentationes in primis et in postremis [6] causæ partibus collocare; mediocres, et neque inutiles ad dicendum, neque necessarias ad probandum, quæ si separatim ac singulæ dicantur, infirmæ sint [7], cum ceteris conjunctæ, firmæ et probabiles fiant [8], interponi et in medio collocari oportet. Nam, re narrata, statim exspectat animus auditoris, ex qua re causa confirmari possit. Quapropter continuo firmam aliquam oportet inferre argumentationem. Et quoniam nuperrime dictum facile memoriæ mandatur, utile est, quum dicere desinamus, recentem aliquam relinquere in animis auditorum bene firmam argumentationem. Hæc dispositio locorum [9], tamquam instructio militum, facillime in dicendo, sicut illa in pugnando, parare poterit victoriam.

XI. (xi.) Pronuntiationem [1] multi maxime utilem

2. *Revertamur licebit.* Abest *licebit* edd. 1476, Med. 1498; ed. 1476, *revertemur.*

3. *Et translationibus partium.* Abest *partium* edd. 1476, Med. 1498.

4. *Dispositiones.* Falso Grævius præfert *disputationes.* Schutz.

5. *Convenit habere.* « Haberi convenit » edd. 1476, Med. 1498.

6. *Et in postremis.* Abest *in* Grut.

7. *Infirmæ sint.* *Sunt* ed. Med. 1498.

8. *Firmæ et probabiles fiant.* « Fiunt firmæ et probabiles », edd. 1476, Med. 1498.

9. *Hæc dispositio locorum*, etc. Idem præcipit Cicero de Orat. II : « De firmissimis alia prima ponet, alia posteriora, inculcabitque leviora ». Hæc dispositio et Quintiliano vocatur Homerica, quia Nestor Iliad. IV, 297, hunc ordinem sequitur in instruenda militum acie.

XI. 1. *Pronuntiationem.* Ea plerisque dicitur *actio*, teste Quintil. XI, 3. Illi Demosthenes primas, secundas,

oratori dixerunt esse, et ad persuadendum plurimum valere. Nos quidem unam de quinque rebus[2] plurimum posse non facile dixerimus; nec, egregie[3] magnam esse utilitatem in pronuntiatione[4], audacter confirmaverimus. Nam commodæ inventiones, et concinnæ verborum elocutiones, et partium[5] causæ artificiosæ dispositiones, et horum omnium diligens memoria, sine pronuntiatione, non plus, quam sine his rebus pronuntiatio sola, valere poterit. Quare, quia[6] nemo de ea re diligenter scripsit (nam omnes vix posse putarunt de voce, et vultu, et gestu dilucide scribi, quum hæ res ad sensus nostros pertinerent[7]), et quia magnopere ea pars a nobis ad dicendum comparanda est, non negligenter videtur tota res consideranda.

Dividitur igitur pronuntiatio in vocis figuram[8], et

tertias dabat. De Orat. III, 56. Et Crassus apud Ciceronem, loc. cit. « actio in dicendo una dominatur ». Et Quintil. loc. cit. « equidem vel mediocrem orationem, commendatam viribus actionis, affirmaverim plus habituram esse momenti, quam optimam eadem illa destitutam ».

2. *Unam de quinque rebus.* Vulg. *unum.* Correximus e MSS quibusdam et edd. pr. *Unum* est ab Aldo. Ern.

3. *Nec, egregie.* Sch. *sed, egregie,* probante J. V. *Leclerc.* Vulgo *nec,* inquit, sententiam auctoris prorsus pervertit. Grævius putabat *sed* intelligi posse, scribi non debere. Quidquid sit, affirmativum h. l. enuntiatum necessario requiritur. — Videtur illa negativa adversari periodo subservienti. Et vero Pal. quartus servat, *et egregie,* ut videatur retrahenda adhuc litera a voce præcedenti *dixerimus,* quo fieret *sed,* aut rescribendum *at.* Grut. — Juvenis est qui summos oratores legendo novit, nondum ipse egit, timidius de illa actionis excellentia dicere. Vim tamen illius sensisse nostrum totus ipse locus testatur, ut Gruteri correctio omnino necessaria videatur, nisi (quod tamen minus placet) retineas in sequenti periodo *sola,* quod Ernestius delevit.

4. *In pronuntiatione.* Edd. 1474 et aliæ vett. addunt *sola,* quod e sequentibus huc tractum est. Hic quidem locum non habet. Nec hoc dicebant, quos contra disputat, *solam* esse insigniter utilem, sed præter ceteras partes. Ern.

5. *Et partium causæ.* Abest *causæ* edd. 1476, Med. 1498, non male.

6. *Quare, quia.* Voss. 3, Leid. 2, 3, 4 habent *quare et quia,* idque probat Oudend.

7. *Pertinerent.* Edit. Med. 1498, *pertineant.*

8. *Vocis figuram.* Gallice, *le caractère de la voix.*

corporis motum. Figura vocis est, quæ suum quemdam possidet habitum ratione et industria comparatum. Ea dividitur in tres partes, magnitudinem[9], firmitudinem, mollitudinem. Magnitudinem vocis maxime comparat natura, nonnihil adauget[10], sed maxime conservat cura : firmitudinem vocis maxime natura comparat[11], nonnihil adauget, sed maxime conservat exercitatio declamationis[12] : mollitudinem vocis, hoc est, ut eam torquere in dicendo[13], pro nostro commodo, possimus, maxime faciet exercitatio declamationis. Quapropter de magnitudine vocis, et firmitudinis parte, quoniam altera natura, altera[14] cura comparatur, nihil ad nos attinet[15] commonere, nisi

9. ***Magnitudinem*, *firmitudinem*.** Rogat Wetzelius qua re firmitudo vocis a magnitudine differat. *Magna* est ea vox quæ late auditur; *firma*, quæ æqualiter sibi constat, nec tremula est, neque languida. Et ipse Plutarchum citat de Graccho dicentem, eum fuisse μεγαλόφωνον καὶ ῥωμαλέον ἐν τῷ λέγειν.

10. ***Magnit. vocis... non nihil adauget*.** Vulg. *hanc auget*. Sed *hanc* et sensus et MSS plures et edd. pr. non habent. Hoc habent MSS plerique et edd. pr. Hæ in sequenti fere habent *accuratio*. Non sequutus sum. Nec enim bene convenit. Ern.

11. ***Firm. vocis maxime natura comparat*.** Sch. *cura* pro *natura*. Vulgata lectio, inquit, aperte repugnat iis, quæ statim sequuntur : « quapropter de magnitudine vocis et firmitudinis parte, quoniam altera natura, altera cura comparatur ». Itaque *cura* h. l. rescribendum fuit, in quo non veremur, ne quis nos reprehendat.

12. ***Exercitatio declamationis*.** Pal. sec. quart. sext. *exercitatio imitationis*, quod fere malim; immo omnino. Nam *exercitatio declamationis* servit magis *mollitudini vocis*, quæ mox sequitur. Gaut. — Sch. *ratio declamationis*. Quoniam, inquit, in sequentibus monstratur, qua ratione declamationis augere et conservare possimus firmitudinem vocis, aptius est h. l. *ratio*, quam quod vulgo legitur, *exercitatio*.

13. *Torquere in dicendo*. *In dicendo* abest edd. 1476, Med. 1498.

14. *Quoniam altera natura, altera cura*. Primum membrum ad firmitudinem refertur, alterum ad magnitudinem. Nam in hac, cura ante memoratur; in firmitudine, natura et exercitatio. Sed hæc pertinet ad partem firmitudinis eam, de qua separatim dicitur. Ern. — *Altera una, altera natura* edd. 1476, Med. 1498.

15. *Ad nos attinet*. *Ad nos* abest a libris quibusdam. Itaque deleri volunt quidam viri docti : quos non sequimur, quia videtur dicere, rhetoris non esse, de his monere, in quibus artificium locum non habeat. Ern.

ut ab iis, qui non inscii sunt ejus artificii[16], ratio curandæ vocis petatur.

XII. (XII.) De ea parte firmitudinis, quæ conservatur ratione declamationis[1], et de mollitudine vocis, quæ maxime necessaria est oratori, quoniam ea quoque moderatione declamationis comparatur, dicendum videtur. Firmam igitur maxime poterimus in dicendo vocem conservare, si quam maxime sedata et depressa voce principia dicemus. Nam læduntur arteriæ, si, antequam leni voce permulsæ sunt, acri clamore compleantur. Etiam intervallis longioribus uti conveniet: recreatur enim vox spiritu[2], et arteriæ reticendo acquiescunt[3]. Et continuum clamorem remittere[4], et ad sermonem transire oportet: commutationes enim faciunt, ut nullo genere vocis effuso[5], in omni voce integri simus. Et acutas vocis exclamationes vitare debemus[6]: ictus enim fit, et vulnerantur arteriæ[7] acuta

16. *Qui non inscii sunt ejus artificii.* Nempe eloquentiæ studiosos ad medicos allegat; cura firmitudinis vocis, de qua hic agitur, est cura diætetica et medica. Sch. — Malo dicere cum J. V. *Leclerc* hic agi de iis quos Quintil. Inst. Or. XI, 3, vocat « artifices pronuntiandi ».

XII. 1. *Ratione declamationis.* Declamatione ex ratione, sive ex arte constituta, id. q. seq. *moder. decl.* i. e. declamatione vocem moderante. Wetz.

2. *Vox spiritu. Spiritu vox* edd. 1476, Med. 1498.

3. *Arteriæ reticendo acquiescunt. Conticendo requiescunt* edd. 1476, Med. 1498.

4. *Et contin. cl. remittere.* MSS plures et edd. pr. usque ad Aldum *omittere;* quod non displicet, propter epitheton clamoris *continuum:* sed tamen et infra est, « continui clamoris remissio ». Ern.

5. *Nullo genere vocis effuso.* Lambinus *multo*, perperam. Gul. — Hoc ait, si neque in contenta voce, neque in remissa exhauriantur vires, in omni vocis genere integros nos fore, et ab uno ad alterum posse transire.

6. *Vitare debemus.* Addidimus *debemus,* quod et MSS multi habent, et edd. pr. omnes. Et quum cetera membra habeant verbum, cur in hoc uno non sit? Ern.

7. *Ictus enim fit, et vuln. arteriæ.* Sch. « ictus enim fit, et vulnus arteriæ ». Sic, inquit, Erfurt. Cauch. et teste Gronovio, Medic. necnon Crat. et Ascens. et sic melius scribitur. Sicut enim dicitur ictus, sic et vulnus fieri arteriæ. Sed quia vulnus fieri rei, videbatur sciolis insolentius, immutarunt in *vulnerantur*, sed non attende-

atque attenuata[8] nimis acclamatione; et si quis splendor est vocis[9], consumitur uno clamore universus. Et uno spiritu continenter multa dicere in extrema convenit oratione[10]: fauces enim calefiunt, et arteriæ complentur, et vox, quæ varie tractata est, reducitur in quemdam sonum æquabilem atque constantem. Sæpe rerum naturæ gratia quædam jure debetur, velut accidit in hac re. Nam quæ diximus ad vocem servandam prodesse, eadem attinent ad suavitatem pronuntiationis[11], ut, quod nostræ voci[12] prosit, idem voluptate auditoris probetur. Utile est ad firmitudinem vocis[13], sedata vox in principio. Quid insuavius, quam clamor in exordio causæ? Intervalla vocem confirmant; eadem sententias concinniores divisione reddunt[14], et auditori spatium cogitandi relinquunt. Conservat vocem continui clamoris remissio: et auditorem quidem varietas maxime delectat; quum sermone animum ejus retinet, aut exsuscitat clamore. Acuta exclamatio vocem et fauces vulnerat: eadem lædit auditorem; habet enim quiddam illiberale, et ad muliebrem potius vociferationem, quam ad virilem dignitatem in dicendo accommodatum. In extrema oratio-

runt, quam non bene ista syntaxis cohæreat: « ictus fit arteriæ et vulnerantur arteriæ ». Sed si optimis codd. inhæremus, omnia sine salebris ullis profluunt. — Ea Schützius ex Grævio, quem sequutus est.

8. *Attenuata.* Metaphora a filo ducta, quod extendendo tenuatur.

9. *Splendor est vocis.* Vox clara et suavis, ut Brut. 55, 68, 71. Quo sensu porrum voci splendorem affert apud Plin. XX, 6. Wetz.

10. *In extr. conv. oratione.* Melius edd. 1476, 1478, « convenit in extrema oratione ».

11. *Suavitatem pronuntiationis.* Sch. *suavitudinem.* Sic, inquit, MSS Lambin. et Voss. 3.

12. *Quod nostræ voci.* « Quod natura voci » ed. Med. 1498. — Eadem infra *voluntate* auditoris pro *voluptate.* Nescio an verius.

13. *Utile est ad firmitudinem vocis.* Sch. delet *vocis.* Sic Grævius, inquit, fide codd. Cauch. et Erf.

14. *Eadem sententias concinniores divisione reddunt.* Id est, periodos divisis membris melius inflectunt. Qua re potissimum se commendat Isocrates.

ne continens vox remedio est voci[15]. Quid? hæc eadem nonne animum vehementissime calefacit auditoris, in totius conclusione causæ? Quoniam igitur res eædem vocis firmitudini, et pronuntiationis suavitati[16] prosunt, de utraque re simul erit in præsentia dictum, de firmitudine, quæ visa sunt[17]; de suavitate, quæ conjuncta fuerunt : cetera suo loco paullo post dicemus.

XIII. (XIII.) Mollitudo igitur vocis, quoniam omnis ad rhetoris præceptionem pertinet, diligentius nobis consideranda est. Eam dividimus[1] in sermonem, contentionem, amplificationem. Sermo est oratio remissa, et finitima quotidianæ locutioni : contentio est oratio acris, et ad confirmandum, et ad confutandum accommodata[2] : amplificatio est oratio, quæ aut in ira-

15. *Continens vox remedio est voci.* Id est, vox oratione jam fessa acquiescit in illa æquabilitate dicendi.

16. *Pronuntiationis suavitati.* Sic edd. vett. usque ad Ald. Terminatio a librariis ad formam præcedentis formata est, factum vulgatum *suavitudini*. Ern.

17. *De firm. quæ visa sunt.* Lamb. delet tres postremas dictiones, sed libris invitis, neque favente orationis contextu. Grut. — Auctor enim quæ conferre ad firmitudinem vocis viderentur exposuit; simul, quomodo eadem ad suavitatem pronuntiationis valerent, velut per occasionem docuit. De suavitate igitur non omnia dixit, sed ea tantum quæ cum firmitate conjuncta erant. Alia reliquit paullo post suo loco dicenda.

XIII. 1. *Eam dividimus.* Cod. Pith. *ea dividitur.* Sch.

2. *Et ad conf. et ad confutandum accommodata.* Vulg. « et ad confirm. et confutandum ». Sed sic edant licet et sileant omnes de suis MSS, ego in duobus invenio « et ad confirmandum et ad confutandum », iterata præpositione; quam negari nequit esse lectionem auctoris ingenuam. Sic IV, 18 : « edunt in sermonibus et conventu amicorum », ubi ex cod. Med. annotatum habeo *et in conventu*. Sic sup. cap. 10 edunt Vict. Steph. Lambin. Gruter. « in primis et postremis », quum priores et simul scripti omnes « in primis et in postremis », quod ideo revocavi. Sic IV, 44, legi in scripto « per dedecus et per ignaviam », ubi in editis semel tantum patet. In hoc libro, c. 4, in scripto inveni « in vim et in consilium ». Lib. II, cap. 11, « in duas aut in plures »; cap. 28, « de nomine et de vocabulo ». Sic et Inv. I, 15, MS optimus habet « in principium et in insinuationem » : ibi denique idem et cap. 33, « a vestra religione et a sapientia vestra », ut ait Gothofredus. Hactenus Gronov. cui suffragantur Græv. et Ern. Sch.

cundiam inducit[3], aut ad misericordiam trahit auditoris animum. Sermo dividitur in partes quatuor, dignitatem, demonstrationem, narrationem, jocationem. Dignitas est oratio cum aliqua gravitate, et vocis remissione : demonstratio est oratio[4], quæ docet remissa voce, quomodo quid fieri potuerit, aut non potuerit: narratio est rerum gestarum, aut perinde ut gestarum, expositio : jocatio est oratio, quæ ex aliqua re risum pudentem[5] et liberalem potest comparare. Contentio dividitur in continuationem et distributionem. Continuatio est orationis enuntiandæ[6] acceleratio clamosa : distributio est in contentione oratio[7] frequens, cum raris et brevibus[8] intervallis, acri vociferatione. Amplificatio dividitur in cohortationem et conquestionem. Cohortatio est[9], quæ aliquod peccatum am-

3. *Aut in iracundiam inducit.* Dedimus *in* e MSS et edd. pr. pro *ad.* Ceterum suspicamur verba *inducit* et *trahit* esse permutata. Nam *trahere* aptius est iræ, *inducere* autem misericordiæ : quamquam et post est « ad iracundiam adducere ». Ern.—Equidem nihil esse opinor unde mutandum aliquid suspicemur ; inducitur sæpe in iram auditor minime concitata oratione, simplici tantum earum rerum expositione quæ gestæ sunt. Ad miserationem vero plerumque trahimur; notumque est illud Horatianum, Art. Poet. v. 102 : « si vis me flere, dolendum est Primum ipsi tibi ».

4. *Demonstratio est oratio.* Addidimus *oratio* e MSS et edd. pr. ut est in ceteris partibus. Ern. — Schütz. omisit, auctoribus aliis MSS.—Abest edd. 1476, Med. 1498, Gruter.

5. *Ex aliqua re risum pudentem.* Pal. quart. sext. Bruil. « re verisimili risum ». Qui libri nihil temere addunt. Gruter. — *Verisimili* adest in edd. 1476, Med. 1498. Eædem *prudentem* pro *pud.* quod Sch. vituperat.

6. *Orationis enuntiandæ.* Schütz. « orationis continuæ ». Sic rescripsi, inquit, pro vulgato *enuntiandæ*, quod h. l. sensum commodum non habet. Quum contentiose s. concitate dicimus, vel *continua* oratione dicimus, vel *membratim* et *cæsim*. Illud auctor continuationem, hoc distributionem appellat. Itaque postea in eadem re, c. 14, occurrit *verbis continuandis*.

7. *Distr. est in c. o. frequens.* Sch. « distributio est concisione orationis frequens ». Illud, inquit, vis oppositionis requirit. Eodem modo Cic. Partit. cap. 6, orationi periodicæ opponit « concisionem verborum ».

8. *Cum raris et brevibus.* Schütz. « cum crebris et b. » *Raris*, inquit, prorsus ineptum est. Nam quum contentiose per incisa dicimus, plurima sunt intervalla, sed brevia. Conf. cap. 14, fere sub finem.

9. *Cohortatio est, quæ.* Sch. addit

plificans, auditorem ad iracundiam adducit : conquestio est oratio [10], quæ incommodorum amplificatione animum auditoris [11] ad misericordiam perducit. Quoniam igitur mollitudo vocis in tres partes divisa est, et hæ partes ipsæ in octo alias distributæ [12] sunt, quæ cujusque idonea pronuntiatio sit, demonstrandum videtur.

XIV. (xiv.) Sermo quum est in dignitate, plenis faucibus quam sedatissima et depressissima voce uti conveniet : ita tamen, ut ne ab oratoria [1] consuetudine ad tragicam transeamus. Quum autem est in demonstratione, voce paullulum attenuata, crebris intervallis et divisionibus uti oportebit : ut ipsa pronuntiatione eas res, quas demonstrabimus, inserere atque intersecare [2] videamur in animis auditorum. Quum autem sermo in narratione est [3], tum vocum varietate opus est, ut, quo quidque pacto gestum sit, ita narrari

oratio cum Grævio ex cod. Erf. Pith. et aliis MSS.—Addunt et edd. 1476, Med. 1498.

10. *Conquestio est oratio*. Sch. hic delet *oratio*. Melius, inquit, omittitur, ἀπὸ τοῦ κοινοῦ ex antecedentibus repetendum.

11. *Animum auditoris*. Abest *auditoris* ed. 1476.

12. *Et hæ partes ipsæ in octo alias distributæ sunt*. Hic delevimus primum *partes* post *octo*, auctore MS Cort. tum addidimus *sunt*, e MSS plurimis et edd. pr. Denique delevimus iisdem auctoribus, « harum octo partium » post *sunt*. Ern. — Mollitudo in tres partes divisa est; *sermonem*, cujus partes quatuor sunt; *contentionem*, cujus sunt duæ; *amplificationem*, cujus duæ.

XIV. 1. *Ne ab oratoria*. Hoc referendum est ad « plenis faucibus », i. e. ne gravitas fiat affectata, ut in histrionibus tragicis. Ern.

2. *Inserere atque intersecare*. Ita libri nostri, præterquam quod in quibusdam *insecare* vel *intersetare*. Lambinus admisit conjecturam Aurati *inculcare ;* nimirum quantum a veteri scriptura. Gulielmius maluit *injectare ;* qui serit, intervallis suis injectat in agrum semen; ita qui loquitur, distinctione certa, in animos sermonem. Etiam legi posset *interjectare*, argutius forsan et latinius. Grut. — Sch. postquam has diversas lectiones retulit, verum est, inquit, *intersecare :* respondet enim antecedenti *divisionibus*.

3. *Sermo in narratione est*. Græv. probat lectionem cod. Erf. « in narrationem ». Non accedo. Sch.

videatur. Strenue quod volumus[4] ostendere factum, celeriuscule dicemus : at aliud otiose[5], retardabimus. Deinde modo acriter, tum clementer, mœste, hilariter in omnes partes commutabimus, ut verba, ita pronuntiationem. Si qua inciderint in narratione dicta, rogata, responsa, si quæ admirationes[6], de quibus nos narrabimus; diligenter animum advertemus, ut omnium personarum sensus, atque animos voce exprimamus. Sin erit sermo in jocatione, leniter tremebunda voce[7], cum parva significatione risus, sine ulla suspicione mimæ cachinnationis[8], leviter oportebit a sermone serio torquere ad liberalem jocum vocem. Quum autem contendere oportebit, quoniam id aut per continuationem, aut per distributionem[9] facien-

4. *Strenue quod volumus*. Schütz. « strenue aliquid v. » Cod. Erf. *quid*. Inde effecimus, inquit, *aliquid*. Nempe hoc incisum dicitur per ellipsin conjunctionis *si*, ut postea : « at aliud otiose ».

5. *At aliud otiose, retardabimus*. Distinctio est a Gulielmio. *Strenue*, est celeriter, industrie : contra *otiose*, secure, negligenter : nec aliter Plaut. aut Terentius. Grut.—In hac lectione interpunctio tollenda videtur, quæ et ab edd. pr. abest. Sed necessario debent esse duo membra, ut in præcedente. An « at quod otiose? » Ern.— *Retardabimus*, tarde narrabimus. Wetzel.

6. *Admirationes*. Admirantium exclamationes.

7. *Leniter tr. voce... lev. oport. a sermone..... liberalem jocum vocem*. Sch. « leviter tremebundam vocem... lenissime oportebit a sermone serio torquere ad liberalem jocum ». Ernestium, inquit, hic offendebat *jocum*, *vocem*, sic deinceps positum. Nam quis credat, auctorem scripsisse « voce tremebunda vocem torquere ad jocum ». Itaque expunxi *vocem* post *jocum*, et ablativum *tremebunda voce* in accusativum mutavi. Sic omnia suaviter decurrunt. *Leviter* et postea *levissime* est in cod. Erf. — *Leviter oportebit*. Sic scripsi pro *leniter* e MSS et edd. pr. Supra quoque pro « leniter trem. » multi libri habent *leviter*. Sed verbo *trem*. aptum est *leniter*, ut verbo torquendi *leviter*. In fine *vocem* post *jocum* sane aures meas offendit; sed est in libris omnibus, et *torquere* videtur id verbum requirere. Ern.

8. *Mimæ cachinnationis*. Est ex uno MS a Grutero inductum pro *nimiæ*, quod sane verbo *suspicionis* non convenit; sed *mimæ* contractum est e *mimicæ*, quod reponendum puto. Ern. — Sch. ex auctoritate Ernestii reposuit *mimicæ*. Grævius defendit *nimiæ*. — De re respice cap. 15. Conf. Cic. de Orat. II, 61, 62; III, 59; I, 34, 28; Quintil. XII, 5. Wetz.

9. *Aut per distributionem*. Id est,

dum est : in continuatione, adaucto mediocriter sono vocis, verbis continuandis, vocem quoque [10] jungere oportebit, et torquere sonum, et celeriter cum clamore verba conficere, ut vim volubilem orationis vociferatio consequi possit; in distributione, ab imis faucibus exclamationem quam clarissimam adhibere oportet [11] : et quantum spatii per singulas exclamationes sumpserimus, tantum in singula intervalla spatii consumere jubemur [12]. In amplificationibus, cum cohortatione, utemur voce attenuatissima [13], clamore leni, sono æquabili [14], commutationibus crebris, maxima celeritate : in conquestione utemur voce [15] depressa,

per altercationem, cum alternis loquuntur oratores. Ern. — Male hoc explicat Ernesti per altercationem. Oblitus erat auctorem nostrum, quid vellet, ipsum dilucide explicasse cap. 13. Sch.

10. *Vocem quoque jungere.* Sic nonnulli MSS, etiam Lips. et edd. 1475, Med. 1498, Junt. Est continuare, ut docet Gronov. ad h. l. ex patris Obss. 2, 3. Ern. — *Adaugere* Ald. Grut. Illud autem bene defendit Grævius. Ut verba continuantur, sic vox jungitur. Sch. — Totius loci sensus : « verba continuo pronuntianda pronuntiabis voce celeri; sic enim vis oratione exprimenda, paribus gressibus incedet cum voce non minus celeri ». *Torquere* igitur *sonum* idem est ac quod sequitur, celeriter verba conficere, metaphora ducta a telo quod torquetur, i. e. cum impetu, indeque celeriter jacitur. Wetz.

11. *Ab imis faucibus exclamationem quam clarissimam adhibere oportet.* Sic Schütz. et Ernesti pro vulgato « vocem ab imis faucibus exclamatione quam clarissima adh. op. » Delevi, inquit Ernest. cum Grævio e cod. Erf. *vocem*, et « exclamationem quam clarissimam » dedi : quod res etiam requirit. In vulgata sensus commodus non est. — Wetzel. vulgatam tuetur : in distributione, inquit, oportet adhibere vocem ab imis faucibus ductam exclamatione clarissima, ut supra : « uti voce sedata, plenis faucibus ».

12. *Jubemur.* Int. a magistris artis dicendi. Sed Noster supra dixit, eos non præcipere diligenter de modo pronuntiandi. Itaque blanditur lectio MS Cort. *jubemus*, nisi totum verbum factum est e *debemus*. Nam etsi etiam magistri artium dicuntur *jubere* apud Ciceronem : tamen Noster, quod observarim, numquam hoc verbo de iis utitur. Ernest. — Schütz. *debemus* auctoritate inductus Ernestii.

13. *Voce attenuatissima.* Palat. quartus et sext. *attentissima*, neque aliter Bruilerense exemplar. Grut.

14. *Sono æquabili.* Sic MSS apud Oud. nostri et edd. pr. præter 1474. Vulg. *æquali*, ut Gruterus. Ernest.

15. *In conquestione utemur voce depressa. Utemur* abest a MS Cort. bene, ut arbitror. Ea vox addita est propter interpunctionem, quæ in li-

inclinato sono, crebris intervallis, longis spatiis, magnis commutationibus. (XV.) De figura vocis satis dictum est : nunc de corporis motu dicendum videtur.

XV. Motus est corporis gestus[1], et vultus moderatio quædam, quæ pronuntianti convenit, et probabiliora reddit ea, quæ pronuntiantur. Convenit igitur in vultu pudorem et acrimoniam esse[2] : in gestu nec venustatem conspicuam[3], nec turpitudinem esse[4], ne aut histriones[5], aut operarii videamur esse. Ad easdem igitur partes, in quas vox est distributa, motus quoque corporis[6] ratio videtur esse accommodanda. Nam si erit sermo cum dignitate[7]; stantes in vestigio, levi dexteræ motu loqui oportebit, hilaritate, tristitia, mediocritate vultus ad sermonis sententias accommodata : sin erit in demonstratione sermo; paullulum corpus a cervicibus demittemus[8] (nam hoc est a natura datum, ut quam proxime tum vultum admoveamus[9] ad auditores, si quam rem docere eos, et vehementer instigare velimus) : sin erit in narratione sermo; idem motus poterit idoneus esse, qui paullo ante demonstrabatur in dignitate : sin in jocatione, vultu quam-

bris post *celeritate* maxima est. Ern. — Sch. delet *utemur*.

XV. 1. *Motus est corporis gestus*. Schütz. « Motus corporis est gestus ». Sic, inquit, necessario emendandum fuit. Sic edd. 1476, Med. 1498. — De actione cf. Cic. de Orat. 56-59.

2. *Acrimoniam esse*. Schütz. *inesse*. Sic, inquit, Lambinus invenit in aliquot MSS.

3. *Conspicuam*. MSS quidam *conspiciendam*, quod probant Græv. et Oudend. — Schütz. *conspiciendam* eorum auctoritate inductus.

4. *Nec turpitudinem esse*. *Esse* quod hic additur, moleste abundat. Itaque delevimus. Schütz.

5. *Ne aut histriones*. Unus MS ap. Lambinum *ut aut*.

6. *Motus quoque corporis*. Puto verbum *corporis* esse spurium. Nam de toto motu, non de parte, i. e. gestu, sermo est. Ernest.

7. *Sermo cum dignitate*. *Sermo in dign*. edd. 1476, Med. 1498, ut supra.

8. *Paullulum corpus a cervicibus demittemus*. I. e. a parte superiori; inde a cervicibus leniter inclinari antrorsum et versus audientes debet. Ern.

9. *Tum vultum admoveamus*. MS unus apud Fulv. Ursinum, « tum vultum, tum manum ». Sic et edd. 1476, Med. 1498.

dam debebimus hilaritatem significare, sine commutatione gestus. Si contendemus[10] per continuationem; brachio celeri, mobili vultu, acri aspectu utemur: sin contentio fiet per distributionem; celeri projectione brachii[11], inambulatione, pedis dextri rara supplosione, acri et defixo aspectu uti oportebit. Si[12] utemur amplificatione per cohortationem[13], paullo tardiore et consideratiore gestu[14] conveniet uti, similibus ceteris rebus[15], atque in contentione per continuationem: si utemur amplificatione per conquestionem, feminis plangore[16], et capitis ictu, nonnunquam sedato et constanti gestu, mœsto et conturbato vultu uti oportebit. Non sum nescius, quantum susceperim negotii, qui motus corporis exprimere verbis, imitari scriptura conatus sim voces. Verum nec hoc confisus sum posse fieri, ut de his rebus satis commode scribi posset; nec, si id fieri non posset, hoc, quod feci, fore inutile putabam, propterea quod hic admonere voluimus,

10. *Si contendemus*. De *contentione* quid sit; item de *continuatione* et *distributione* respice c. 13.

11. *Projectione brachii*. Scripsi *projectione*, pro *porrectione*, sensu et re postulante, ex Orat. c. 18, ubi Cicero *brachii* projectionem in contentionibus requirit. Ern.— Post Lambinum. De re cf. Cic. Brut. c. 80. Wetz.

12. *Si utemur*. Vulgo, *sin*. Sed est initium novæ partitionis, ut ante *si contendemus*. Ernest.

13. *Amplificatione per cohortationem*. Quid sit *amplificatio*, quid *cohortatio*, et paulo inferius *conquestio* resp. c. 13.

14. *Paullo tardiore et consideratiore gestu*. Cavendum est enim ne, dum adversarii peccatum amplificantes instigare volumus auditores ad iracundiam, ipsi abrepti videamur non peccati odio, sed vindicta privata. Wetz.

15. *Similibus ceteris rebus*. « Similius ceteris rebus » codd. 3 ap. Græv. *similiter* ed. Med. 1498.

16. *Feminis plangore*. Pro vulgato « femineo plangore ». Semper me offendit « femineus plangor », qui oratori nullo modo convenit: et putavi scribendum esse « femoris plangor », quum « percussio femoris » in oratoribus commemoretur, et in gravi dolore virorum. Sed quum Grævius in MS Erf. repererit *feminis*, id sine hæsitatione recepi. Vide ipsum. *Plangoris* verbum, ut bene monet Grævius, decepit homines, quod nesciebant librarii pro percussione proprie dici. Mox « conatus sum » plures MSS et edd. placet Oud. Ern.—Quint. XI, 3: « femur ferire, ait, et usitatum est, et indignantes decet, et excitat auditorem ».

quid oporteret[17]: reliqua trademus exercitationi. Hoc scire tamen oportet, pronuntiationem bonam id perficere[18], ut res ex animo agi videatur.

XVI. (XVI.) Nunc ad thesaurum inventorum, atque ad omnium partium[1] rhetoricæ custodem memoriam transeamus. Memoria utrum habeat quidquam artificiosi[2], an omnis a natura proficiscatur, aliud dicendi tempus magis idoneum[3] dabitur. Nunc perinde atque constet in hac re multum valere artem et præceptionem, ita ea de re loquemur; placet enim nobis esse artificium memoriæ[4]: quare placeat, alias ostendemus: in præsentia cujusmodi ea sit, aperiemus. Sunt igitur duæ memoriæ, una naturalis, altera artificiosa. Naturalis est ea, quæ nostris animis insita est, et simul cum cogitatione[5] nata: artificiosa est ea, quam confirmat inductio quædam[6], et ratio præceptionis. Sed quia in ceteris rebus ingenii bonitas imitatur[7] sæpe

17. *Quid oporteret.* Vulgo *quod*, male. *Quid* habent MSS Oudend. et nostri, ed. Med. 1474. Ernest. — *Quod* edd. 1476, Med. 1498. Gauter.

18. *Id perficere.* « Eo proficere » edd. 1476, Med. 1498.

XVI. 1. *Atque ad omnium partium.* Addidimus *ad* e MSS et edd. pr. Ern. — Abest *ad* ab edd. 1476, Med. 1498, Grut. Et crediderim melius.

2. *Quidquam artificiosi.* MSS et edd. vett. *quiddam*, quod præfert Oudend. Ernest. — *Quiddam.* Sic Pal. quart. sext. Gemb. Br. et Liliensis. *Artificiosum*, quod ex arte factum; cui contrarium *naturale.* Gauter. — Schütz. *quiddam artificii.* Hanc lect. quæ est in edd. pr. et MSS Oudend. omnibus prætuli. — Sic edd. 1476, Med. 1498, et prætulerim.

3. *Magis idon.* Abest *magis* ab edd. 1476, Med. 1498, ut puto, melius.

4. *Artificium memoriæ.* Ita Pall. quart. sext. Gemb. Br. et Liliensis, nec non Pal. sec. Alii tamen *memoriam*, quod exhibet editio Victorii. Lambinus invenit in suis « esse artificii memoriam ». Gaut.

5. *Et simul cum cogitatione.* MSS aliqui, etsi pauci, item ed. 1474, « sine multa cog. » J. Gronovius inde facit *simul cog.* quod dupliciter interpolatum sit. Ern. — Pal. quart. Bruil. Gemb. Item margo Liliani et Tosani, « et sine multa concinnatione ». Sed non abeo a vulgata quæ et ipsa commoda est. Gaut. — Cod. Med. « sine multa concinnatione » librarii vitio. Schutz.

6. *Inductio quædam.* Gallice *une direction.*

7. *Ingenii bonitas imitatur sæpe doctrinam.* Cave ne veram hic imita-

doctrinam; ars porro naturæ commoda confirmat et auget : ita fit in hac re, ut nonnumquam naturalis memoria, si cui data est egregia[8], similis sit huic artificiosæ; porro hæc artificiosa, naturæ commoda retinet, et amplificat ratione doctrinæ. Quapropter et naturalis memoria præceptione confirmanda est, ut sit egregia : et hæc, quæ doctrina datur, indiget ingenii. Nec hoc magis, aut minus in hac re, quam in ceteris artibus fit, ut ingenio, doctrina, præceptione natura[9] nitescat. Quare et illis, qui natura memores sunt[10], utilis hæc erit institutio : quod tute paullo post poteris intelligere. Quod si illi freti ingenio[11] suo, nostro non indigent, tamen justa causa datur, quare iis, qui minus ingenii habent, adjumento velimus esse. (XVII.) Nunc de artificiosa memoria loquemur[12]. Constat igitur artificiosa memoria ex locis et imaginibus. Locos appellamus eos, qui breviter, perfecte, insignite, aut natura,

tionem intelligas : *imitatur*, hoc est, « æmulatur, consequitur », ut doctum arte credas illum qui quidquid habet a natura accepit.

8. *Si cui data est egregia.* Vix dubito auctorem dedisse *egregie.* Librarii sæpe, etiam in his libris, adverbia talia in adjectiva mutavere, ut aliis locis videbimus. Ern.

9. *Ut ingenio doctrina, præceptione natura nitescat.* Ita omnes MSS nostri. Sententia est : ut in omnibus artibus, ita et in hac memoriæ, nitescere doctrinam, si sortita sit ingenium docile, et naturam vel optimam magis exsplendescere, si præceptionum adhibita sit ratio. Non vidit hoc Lambinus, et locum audacter contaminavit, rescribendo « ut doctrina et præceptione natura nitescat ». Hoc enim nec terram, nec cælum, ut dicitur. Gulielm.

10. *Memores sunt.* Id est, memoria valent. Wetz.

11. *Quod si illi freti ingenio... datur.* Hic multa correximus. Primum e MSS et ed. 1475, Mediol. Junt. dedimus « ingenio suo, nostro non indigent », pro « fr. i. nostra præceptione non indigerent » ; deinde latinitatis et conformandæ orationis causa, etsi sine libris auctoribus, *datur* pro *daretur*. Nam omnino in his opus esse præsenti tempore, « indigent, datur, » intelligitur e seqq. *habent* et *velimus*, in quibus libri omnes consentiunt. Ern. — Cui Schütz. assentitur. Wetz. habet : « nostra præceptione ».

12. *Nunc de artificiosa memoria loquemur.* De hac cf. Cic. partit. orat. 7, de Finib. II, 32, et inprim. de Orat. II, 86, 88; Fabius, XI, 2. — Artis inventor fertur exstitisse Simonides.

aut manu sunt absoluti, ut eos facile naturali memoria comprehendere et amplecti queamus, ut ædes, intercolumnium, angulum, fornicem, et alia, quæ his similia sunt. Imagines sunt formæ quædam[13], et notæ, et simulacra ejus rei, quam meminisse volumus: quod genus, equi, leones[14], aquilæ, quorum memoriam si volemus habere, imagines eorum certis in locis collocare nos oportebit. (XVIII.) Nunc, cujusmodi locos invenire, et quo pacto reperire, et in locis imagines constituere[15] oporteat, ostendemus.

XVII. Quemadmodum igitur qui literas sciunt, possunt id quod dictatum est, scribere[1], et recitare, quod scripserunt: ita qui μνημονικὰ didicerunt, possunt, quæ audierunt, in locis collocare, et ex his memoriter pronuntiare. Loci enim ceræ aut chartæ simillimi sunt; imagines, literis; dispositio et collocatio imaginum, scripturæ; pronuntiatio, lectioni. Oportet igitur, si volumus multa meminisse, multos nobis[2] locos comparare, ut in multis locis multas imagines collocare possimus. Item putamus oportere ex ordine hos locos habere, ne quando perturbatione ordinis[3] impediamur, quo secius, quotoquoque loco libebit, vel a superiore, vel ab inferiore, vel a media parte[4] imagines

13. *Formæ quædam, et notæ.* «Formæ quædam jam notæ» cod. Erf.

14. *Leones.* *Leonis* ed. Med. 1498.

15. *Imagines constituere.* «Im. continere» edd. 1476, Med. 1498, cod. Medic. Erf.

XVII. 1. *Quod dictatum est, scribere.* Edidi *dictatum*, ejecto vulgari *dictum*, e Pal. sec. quart. sex. item Coloniensi, Gemb. Tosano, Lovaniensi. Notum enim *dictatores* fuisse, qui scribis suggererent quod exciperent; vel ex joco Cæsaris apud Suetonium negantis «Syllam scivisse literas», quod deposuisset *dictaturam*. GRUT. — *Dictum* edd. 1476, Med. 1498.

2. *Multos nobis.* «Multos nos nobis» Voss. I, Leid. 23, et probat Oudend. SCHUTZ.

3. *Perturbatione ordinis.* Schützius delet *ordinis*, ut superfluum, et temere ex antecedenti versu repetitum.

4. *Vel a media parte.* Absunt ab edd. pr. et MSS etiam nostris. Prima habet Aldina. Et tamen mox *medium* est: «utrum ab summo, an ab imo, an a medio». Itaque nolui delere: quamquam et in altero lectio dubia est. Nam

sequi[5], ut ea, quæ mandata locis erunt, videre et proferre[6] possimus.

XVIII. Nam ut, si in ordine stantes notos complures viderimus, nihil nostra intersit, utrum a summo, an ab imo, an ab medio nomina eorum dicere incipiamus: item in locis ex ordine collocatis eveniet, ut in quamlibet partem, quotoquoque loco libebit, imaginibus commoniti dicere possimus id, quod locis mandaverimus. Quare placet et ex ordine locos comparare; et locos, quos sumpserimus[1], egregie commeditari oportebit[2], ut perpetuo nobis hærere possint. Nam imagines, sicut literæ, delentur, ubi nihil illis[3] utimur: loci, tamquam cera, remanere debent. Et, ne forte in numero locorum falli possimus, quintum quemque locum placet notari: quod genus, si in quinto loco manum auream[4] collocemus; et in decimo[5] aliquem

etsi MSS fere habent et ed. 1474, ab aliis tamen ut Med. Junt. abest. Ern.

5. *Imagines sequi.* Id est, ordine relegere. Credideram primum subjectum esse τὸ *imagines;* ut intelligendum esset: « quotoquoque loco libebit, imagines respondere et adesse quærenti »; sed ex antecedentibus « ex ordine et perturbatione ordinis » alium sensum admittendum esse censui. Item ex seqq. « utrum a summo, an ab imo... nomina eorum dicere incipiamus ».

6. *Videre et proferre.* Dedimus *videre* pro *edere* e MSS et edd. 1474, et Mediol. Nam in vulg. lectione est tautologia non ferenda: qualis est in iis, qui pro eo habent *dicere.* Ern.

XVIII. 1. *Quos sumpserimus.* Pro *assumpserimus* e libris scr. pluribus et nostris. In sequentibus *oportebit* mallem abesse. Ern.

2. *Commeditari oportebit.* Magis placebat Gulielmio, quod in suis invenerat Suffridus, « commoditerque notare », et vero ita quoque erat in Pal. quart. sexto, Coloniensi, sed sine enclitica. Gaut. — Gronovio placebat, « quos sumpserimus egregie, commoditer notare oportebit ». Sed verum est *commeditari*, h. e. meditando memoriæ imprimere. Sch. — « Commoditerque notare » edd. 1476, Med. 1498.

3. *Nihil illis utimur. Illis* Oudend. delendum censet, auctoribus aliquot MSS. Perperam. Sch. — Abest ab edd. 1476, Med. 1498.

4. *Manum auream.* Quæ numero digitorum quintum locum exprimat, metallo notabilior sit.

5. *Et in decimo.* Delevimus *si*, et MSS et edd. pr. a quibus etiam *et* subinde abest. Ern. — Schützius delet etiam *et* a pluribus MSS. Oudend. legi volebat « si in decimo ». — Edd. Med. 1498, 1476 habent *in decimo* tantum.

notum, cui prænomen sit Decimo; deinde facile[6] erit similes notas quinto quoque loco collocare.

XIX. Item commodius est in derelicta, quam in celebri regione locos comparare: propterea quod frequentia, et obambulatio hominum conturbat et infirmat imaginum notas; solitudo conservat integras simulacrorum figuras. Præterea dissimiles forma[1] atque natura loci comparandi sunt, ut distincte interlucere possint[2]: nam si quis multa intercolumnia sumpserit, conturbabitur similitudine locorum[3], ut ignoret[4], quid quoque in loco collocarit. (XIX.) Et magnitudine modica [et mediocres[5]] locos habere oportet: nam et præter modum ampli, vagas imagines reddunt; et nimis angusti, sæpe non videntur posse capere imaginum collocationem. Tum nec nimis illustres, nec vehementer obscuros locos haberi oportet, ne aut obcæcentur tenebris imagines, aut splendore præful-

6. *Deinde facile erit.* « Facile erit deinceps », Schützius: Recte, inquit, additur *deinceps* in MSS tribus apud Gronov. item ed. Mediol. et Cratandr. probante etiam Oudend. *Deinde* autem ideo expunximus, quod apodosin turbat, et, quum sequatur *deinceps*, inepte redundat. Idem delendum censebat Ernest. « Facile erit deinceps » ed. Med. 1498.

XIX. 1. *Præterea dissimiles forma.* Palat. sec. quart. sextus *propterea*: quidam etiam *dissimili*. Grut.

2. *Ut distincte interlucere possint.* Quinam interluceant? Immo, ut opinor, *i. possit.* Sic Liv. I, 4, « quibus aliquid inter ordines interlucet ». Ern. — Schütz. « ut distinctio interlucere possit ». Emendationem nostram, inquit, facile probabunt, qui, quid sensus h. l. postulet, reputaverint.

3. *Similitudine locorum.* Abest *locorum* ab edd. 1476, Mediol. 1498.

4. *Ut ignoret.* Schütz. *et ignorabit.* Auctore Oudend. inquit, recepimus, utpote consequutioni temporum aptius. — *Et ignorabit* edd. vett. Sed multo melius videtur quod ex Ernestio et aliis multis dedimus.

5. *Et magnitudine modica et mediocres.* Schütz. « jam et magnitudine modica ». In MS Cauch. est « nam et magnitudine modica », unde Grævius recte conjecit, « jam et m. m. » legendum esse. — *Et mediocres.* Fabricianus, « id est mediocres: » adeo ut Gulielmius habeat « et mediocres », pro glossemate. Erat in Pal. quinto « ex magnit. modica », quod excutient quibus otium est quo careo. Gruter. — Ernestius quoque « et mediocres » glossema putavit, præsertim quum abesset ab ed. 1474. Quorum auctoritate inductus Schütz. omnino delevit.

geant. Intervalla locorum mediocria esse placet[6], fere paullo plus, aut minus pedum tricenum[7]. Nam ut aspectus, ita cogitatio minus valet, sive nimis procul removeris, sive vehementer prope admoveris id, quod oportet videri. Sed quamquam facile est ei, qui paullo plura exploraverit, quamvis multos et idoneos locos comparare : tamen si quis ad ista satis idoneos invenire se non putabit, ipse sibi constituat, quam volet multos, licebit. Cogitatio enim quamvis regionem potest amplecti, et in ea situm loci cujusdam ad suum commodum et arbitrium[8] fabricari et architectari. Quare licebit, si hac prompta copia contenti non erimus, nosmetipsos nobis cogitatione nostra regionem constituere, et idoneorum locorum commodissimam distinctionem comparare. De locis satis dictum est : nunc ad imaginum rationem transeamus.

XX. (xx.) Quoniam ergo[1] rerum similes imagines

6. *Mediocria esse placet.* « M. volent esse » cod. Med. « mediocria valent esse » cod. Erf. Cauch. Schütz. — « Mediocria esse oportet » edd. 1476, Med. 1498.

7. *Pedum tricenum.* Palat. secundus *trigenium*, pr. *tricennium*. Sextus retinet quidem vulgatum, sed habet inter lineas, « id est, trium pedum » ; et vero facile inclinaverim in conjecturam Delbenii, malentis « trinum pedum ». Pal. pr. ait esse qui legant *triginta*. Grut.

8. *Ad suum commodum et arbitrium.* Addidi *commodum et* e MS ap. Oudend. et ed. 1474, et Mediol. pr. Ernest. — Quem Schütz. sequutus est. Abest *commodum et* ab ed. 1476.

XX. 1. *Quoniam ergo rerum similes imagines esse oportet, et ex omnibus verbis notas nobis similit. eligere debemus, duplices similitudines esse debent; unæ rerum, alteræ verborum.* Schütz. « quoniam ergo et rerum simulacra esse oportet, et verbis nosmet notas eligere debemus, duplices imagines esse debent, unæ rerum, alteræ verborum ». In vulgata, inquit, ineptas magistrorum glossas facile deprehendas. Pro *similes imagines*, cod. Aug. legit *similitudines, imagines*. Utrumque est vocabuli *simulacra* interpretamentum. Pro *et verbis*, in aliis legitur *et ex verbis*, in aliis *ex verbis*. Sed hæc præpositio nullum hic locum habet. Nam non *ex verbis* eliguntur imagines, sed *verbis* destinantur. Denique in vulgata crebra repetitio vocis *similitudinis*, et invenustam facit orationem, et apodosin prorsus nihil afferentem quam quod jam erat in protasi. Schutz. — In vett. edd. abest *et* ante *ex omnibus verbis. Nosmet* addunt MSS et edd. pr. primus Aldus delevit. Ernest. — *Duplices igitur simil.* edd. 1476, Med. 1498.

esse oportet, et ex omnibus verbis notas nobis similitudines eligere debemus, duplices similitudines esse debent; unæ rerum, alteræ verborum. Rerum similitudines [2] exprimuntur, quum summatim ipsorum negotiorum imagines comparamus : verborum similitudines constituuntur, quum uniuscujusque nominis et vocabuli memoria imagine notatur. Rei totius memoriam sæpe una nota, et imagine simplici comprehendemus, hoc modo : « ut si accusator dixerit, ab reo hominem veneno necatum, et hereditatis causa factum arguerit, et ejus rei multos dixerit testes et conscios esse » : si hoc primum, ut ad defendendum nobis expeditum sit, meminisse volemus; in primo loco rei totius imaginem conformabimus; ægrotum in lecto cubantem faciemus ipsum illum, de quo agetur, si formam ejus detinebimus [3]; si eum non agnoverimus [4], aliquem ægrotum non de minimo loco [5] sumemus, ut cito in mentem venire possit, et reum ad

2. *Rerum similitudines e. q. s. j. n. imagines comp. verborum similitudines c. q. u. n. e. v. m. imagine notatur.* Schütz. « rerum imagines... similitudines comp. verborum imagines... similitudine notatur ». Permutatio, inquit, librariis debetur. Auctor enim non vult explicare quid sint similitudines, sed quid imagines; ergo vocabulum *imagines*, quod est definitum, non debet in definitione poni. Præterea ridiculum esset, vocabulum *similitudo*, quod est notius et magis generale, per *imaginem* explicare. Præterea Schütz. pro *exprimuntur* dat *expromuntur. Expromere*, inquit, rectius respondet sequenti *comparare*, quod eodem modo dicitur, ut antea *eligere.* — *Nominis et vocabuli.* Cod. Erf. et Pith. habet *hominis et vocabuli*, quod Grævio non displicebat; sed *nominis* h. l. de proprio, *vocabuli* de appellativo intelligendum. Eodem modo *verbum nomini* opponitur Horat. Serm. I, 3, 104. Schutz.

3. *Detinebimus.* Schütz. *tenebimus.* Sic, inquit, Lamb. male Græv. conjicit *retinebimus.* Sed *tenere* verum est scil. memoria.

4. *Eum non agnoverimus.* Palat. quartus et sextus excludunt *agnoverimus*; probem, si et tolleretur una, *eum.* Gulielmius maluisset *cognoverimus.* Schütz. *cognoverimus.* Ita recte legitur, inquit; in ed. Lambini et in marg. Cratandr.

5. *Non de minimo loco.* Codd. Pall. quart. et sext. et Medic. negativam non habent, unde Grævius conjic. « ægrotum de non imo loco ». Cod. Erf. et Cauch. al. « aliquem ægrotum de minimo aliquo sumemus ». Schutz.

lectum ejus adstituemus[6], dextra poculum, sinistra tabulas, medico testiculos[7] arietinos tenentem. Hoc modo et testium, et hereditatis, et veneno necati memoriam habere poterimus. Item deinceps cetera crimina[8] ex ordine in locis ponemus: et, quotiescumque rem meminisse volemus, si formarum dispositione, et imaginum diligenti notatione utemur, facile ea, quæ volemus, memoria consequemur.

XXI. (xxi.) Quum verborum similitudines imaginibus exprimere volemus, plus negotii suscipiemus, et magis ingenium nostrum exercebimus. Id nos hoc modo facere oportebit. « Jam domuitionem[1] reges Atridæ parant. » In loco[2] constituere oportet manus ad cælum tollentem Domitium[3], quum a Regibus Marciis[4] loris cædatur. Hoc erit, « jam domuitionem re-

6. *Adstituemus.* Primus sic dedit Aldus. Superiores omnes, *statuemus.* Verbum nuspiam alibi occurrit mihi. Ernest. — Obvium tamen ap. Plaut. Captiv. IV, 2, 66, et revocatum ab Apuleio in Met. 9 et 3. Wetz.

7. *Medico testiculos.* Sch. « medico digito t. » Addidimus *digito*, inquit, quod est in Pith. et hic abesse non potest ad vitandam amphiboliam, ne de *medico* s. ἰατρῷ quis cogitet. Quum librarii *digito* omisissent, alii inducti sunt, ut *medicum* scriberent; nempe quia ab ægroti lecto medicum abesse non posse putabant. In cod. Pith. est *medio*, quod scriptum est ab eo, qui medicum digitum ignorabat. *Medicus digitus* s. *medicinalis*, ut novimus e Macrobio, Saturn. VII, 18, est vicinus ab imo. — *Testiculos arietinos.* H. e. ut recte Politianus explicavit, crumenam e pelliculis testiculorum arietinorum. Falso autem Ernesti in clave Cic. hanc imaginem refert ad hereditatem. Immo venenum poculo, hereditas tabulis, testes testiculis arietinis notantur. Schütz.

8. *Cetera crimina. Cetera omnia* edd. 1476 et aliæ. Melius puto; non enim in una causa multa solent argui crimina; sed, præter crimen, multa alia dicenda supersunt, ideoque notanda.

XXI. 1. *Domuitionem.* Multi MSS etiam nostri *domi ultionem*: et sic edd. pr. omnes, quas vidimus: idque bene convenit rei et imagini, quæ apponitur, ut monet Gulielmius. *Domuitionem* primus edidit Victorius e Divin. I, 33, bene. Nam respicitur ad nomen *Domitii*, et e verbis imago fit; quod Gulielmius non cogitavit. Ernest. cui Schütz. assentitur.

2. *In loco.* Sch. « in primo loco ». *Primo* addidimus, inquit, quia ob sequens *in altero* necessario requiritur.

3. *Tollentem Domitium. Tendentem Domitium* cod. Leid. 3.

4. *Domitium . . . . . regibus Marciis.* Hac imagine videtur memoria quæ-

ges ». In altero loco[5] Æsopum et Cimbrum subornare Iphigeniam, Agamemnonem et Menelaum. Hoc erit, « Atridæ parant ». Hoc modo omnia verba erunt expressa. Sed hæc imaginum conformatio tum valet, si naturalem memoriam exsuscitaverimus hac notatione, ut, versu posito, ipsi nobiscum primum transeamus[6] bis, aut ter eum versum; deinde cum[6] imaginibus verba exprimamus. Hoc modo naturæ[8] suppeditabit doctrina : nam utraque altera separata minus erit firma[9]; ita tamen ut multo plus in doctrina atque arte

dam tangi, auctoris ætate notissima. Nempe Domitius aliquis a Marciis regibus loris cædi potuit. Certe haud est credibile, rem totam fictam esse ad imaginem conficiendam. De Romulo autem et Remo cogitare recte Ernesti absurdum esse judicavit : familia Marciorum regum satis est nota. Sch.

5. *In altero loco Æsopum et Cimbrum subornare Iphigeniam, Agamemnonem et Menelaum.* Sch. scribit : « in Iphigenia agentes Agamemnonem et Menelaum ». Sic, inquit, plane locum restituimus, in quo mira est varietas scripturæ in codd. Palatini meliores : «Subornari ut ad Iphigeniam in Agamemnonem et Menelaum». Gronovius in cod. quodam invenit : « Ut vel vagantem Iphigeniam », omissis nominibus « Agamemnonem et Menelaum »; in alio : « Ut ad Iphigeniam advagantem Agamemnonem et Menelaum ». Inde parum feliciter Gronov. eruit : « Ut ad Iphigeniam, Calchantem, Agamemnonem et Menelaum ». Nam quid omnes has personas hic memorare attinebat, quum unum vocabulum *Atridæ* imagine esset exprimendum. In cod. Duisb. est « subornare vagantem Iphigeniam ». Mittimus reliqua. In *vagantem* latet *agentes*. Nempe in tragœdia *Iphigenia* duo actores Æsopus et Cimber agebant Agamemnonem et Menelaum. Ut igitur exprimeretur imagine vocabulum *Atridæ*, nihil erat aptius quam animo sibi fingere « Æsopum et Cimbrum in Iphigenia agentes Agamemnonem et Menelaum ». Sic omnia planissima. Sch. — Ernesti tanta in varietate librorum nihil certi extricari posse putat. — *Subornari et Iphigeniam vagantem*, omissis *Agam. et Menel.* edd. 1476, Med. 1498.

6. *Transeamus.* Unus MS Lambin. *transigamus.* Sed illud verum est; *transire*, hoc est, legendo percurrere. Schutz.

7. *Cum imaginibus.* Sch. delet *cum.* Præpositione, inquit, hic facile caremus. At paullo ante dixit : « verborum similitudines imaginibus exprimere ».

8. *Naturæ suppeditabit d.* Recte Lambinus e MS uno *suppeditabit*, i. e. suppetias feret. Suffragantur cod. Duisb. Pith. al. *Naturæ* est h. l. naturali ediscendi labori; *doctrina* est artificialis imaginum usus. Multi codd. habent *suppeditabitur.* Schutz. — Et vero sic edd. Med. 1498, 1476.

9. *Nam utraque altera separata minus erit firma.* Pall. meliores : « Nam quum ex utraque altera est parata, magis erit firma ». Tol. Gembl. Br. « Nam

præsidii sit. Quod docere non gravaremur, ni metueremus, ne, quum ab instituto nostro recessissemus, minus commode servaretur hæc dilucida brevitas præceptionis.

(xxii.) Nunc, quoniam solet accidere, ut imagines partim firmæ[10] et ad monendum[11] idoneæ sint, partim imbecilles[12] et infirmæ, quæ vix memoriam possint excitare : qua de causa utrumque fiat, considerandum est; ut, cognita causa, quas vitemus, et quas sequamur imagines, scire possimus.

XXII. Docet igitur nos ipsa natura, quid oporteat fieri : nam si quas res in vita videmus parvas, usitatas, quotidianas, eas meminisse non solemus; propterea quod nulla nisi nova, aut admirabili re commovetur animus : at si quid videmus, aut audimus egregie turpe[1], aut honestum, inusitatum, magnum, incredibile, ridiculum[2], id diu meminisse consuevimus :

quum ex utraque ab altera est parata, minus erit infirma». Ex quibus lect. Sch. eruit : « Utraque ex altera parata magis erit firma ». Vulgatum, inquit, « utraque altera separata minus erit firma ». Verum hic affirmativa enuntiatione potius opus erat, ut diceretur, id quod nexus postulat cum antecedentibus et consequentibus, utramque memoriam naturalem et artificialem conjunctam plus valere. Schütz.

10. *Firmæ*. Imagines quæ in animo hærent.

11. *Et ad monendum*. *Admonendum* cod. Duisb. Voss. 3, Leid. 4; *ad admonendum* Lamb. Schütz.

12. *Imbecilles*. Imagines parum idoneæ ad monendum.

XXII. 1. *Egregie turpe*. Monet Wetzelius minus bene dictum; *egregia* enim, inquit, hostia est e grege selecta, indeque optima, utpote diis immolanda. Et sane ipse auctor paullo inferius, cap. 22 : « Egregiam pulchritudinem aut unicam turpitudinem », non utramque *egregiam* dicit.

2. *Incredibile, ridiculum*. Pal. quintus subjicit *periculosum*. Sed primus id positum habet in vicem *ridiculum* neque aliter Fabr. et MSS Suffredi. Veriusque putabat Gulielmius ; nam *periculi* sane tenacissima est memoria, et de *ridiculo* infra agit ; ita ut simul innuat se de ea antea non meminisse. — *Ridiculum* quidem necessarium est, cujus et infra in imaginibus deligendis rationem tradit auctor : idque servavimus, quia in edd. pr. omnibus reperimus. Ern. — Sch. conj. *periculosum*, quod in quibusdam codd. reperitur, forsan ex *perridiculum* natum esse. — Edd. 1476, Med. 1498, inverso ordine, « aut honestum, incredibile, magnum, ridiculum ».

itemque[3] quas res ante ora videmus, aut[4] audimus, obliviscimur plerumque; quæ acciderunt in pueritia, meminimus optime sæpe; nec hoc alia de causa potest accidere, nisi quod usitatæ res facile e memoria elabuntur, insignes et novæ manent diutius[5]. Solis exortus, cursus, occasus, nemo admiratur, propterea quod quotidie fiunt: at eclipses solis mirantur, quia raro accidunt, et solis eclipses magis mirantur, quam lunæ, quoniam hæ crebriores sunt. Docet ergo se natura vulgari et usitata re non exsuscitari; novitate et insigni[6] quodam negotio commoveri. Imitetur igitur ars naturam, et quod ea desiderat, inveniat: quod ostendit, sequatur. Nihil est enim, quod aut natura extremum invenerit, aut doctrina primum: sed rerum principia ab ingenio profecta sunt, et exitus disciplina[7] comparantur. Imagines igitur nos in eo genere constituere oportebit, quod genus manere in memoria diutissime potest: id accidet, si quam maxime notas[8] similitudines constituemus: si non mutas, nec vagas, sed aliquid agentes[9] imagines ponemus: si egregiam pulchritudinem, aut unicam turpitudinem

3. *Itemque. Itaque* edd. 1476, Med. 1498, non male.

4. *Aut audimus.* Sch. « aut quod recens audivimus ». Hanc lectionem, inquit, adscivi e cod. Fulv. Ursini. « At quod recens audivimus » habent edd. Carol. Steph. Cratandr. Hervag. Vulgo « aut audimus », quod non bene coit cum verbis « ante ora ». Sch. — Abest « aut audimus » ab edd. 1476, Med. 1498.

5. *Manent diutius.* « Diutius in animo manent » Oudend. MSS, quod ille quidem probat. At vulgata est ut brevior, ita elegantior. Sch.

6. *Novitate et insigni.* Vulgg. « novitate vero ». Delevimus *vero*, quod MSS plures non habent, idque est elegantius. Ern. quem Sch. probat.

7. *Et exit. discipl.* Sch. delet copulam *et*, in oppositione alienam, auctore Ernestio.

8. *Si quam maxime notas.* Schütz. *notatas*. Ita necessario legendum, inquit. Vulgo *notas* est sensui prorsus contrarium et ineptum. « Notatæ similitudines » sunt imagines, quæ postea dicuntur *insignitæ*. Sic paullo post « notatior similitudo ».

9. *Sed aliquid agentes.* Gruterus « al. notum ag. » — Delevi *notum* post *aliquid*. Abest a MSS et edd. pr. Ern.

eis attribuemus : si aliqua re exornabimus[10], ut si coronis, aut veste purpurea, quo nobis notatior[11] sit similitudo : aut si qua re deformabimus[12], ut si cruentam, aut cœno oblitam, aut rubrica delibutam inducemus, quo magis insignita sit forma : aut si ridiculas res aliquas imaginibus attribuemus : nam ea res quoque faciet, ut facilius meminisse possimus. Nam, quas res veras facile meminimus, easdem fictas et diligenter notatas meminisse non est difficile. Sed illud facere oportebit, ut identidem primos quosque locos imaginum renovandarum causa celeriter animo percurramus[13].

XXIII. (XXIII.) Scio, plerosque Græcos, qui de memoria scripserunt, fecisse, ut multorum verborum imagines conscriberent[1], uti, qui eas ediscere[2] vellent, paratas haberent, ne quid in quærendo operæ consumerent. Quorum rationem aliquot de causis improbamus: primum, quod in verborum innumerabilium multitudine ridiculum sit mille verborum imagines comparare. Quantulum enim poterunt hæc[3] valere, quum ex infinita verborum copia, modo aliud, modo

10. *Si aliqua re exornabimus, ut si coronis.* Oudend. conjic. *aliqua*, h. e. *aliquo modo*. Edd. 1476, Med. 1498, « si aliquas exornabimus, ut si corona ».

11. *Quo nobis notatior sit.* Ita Br. et tres e Pall. vulgata *notior*; Pal. secund. *notabilior* præfert. Grut.

12. *Aut si qua re deformabimus.* Oudend. legi vult : « Si qua rem deformabimus turpem ». Vulgata autem non est movenda. Schutz. — *Aut si aliquam rem deformabimus* ed. 1476.

13. *Percurramus. Pervagemur* cod. Pith. Cauch. *pervagemus* Voss. 2 ed. Mediol. et omnib. Idque probat Oudend. vulgatum e glossa natum existimans. Schutz. — *Pervagemus* edd. 1476, Mediol. 1498.

XXIII. 1. *Fecisse ut conscriberent.* Mira circumlocutio pro *conscripsisse*, ut 4, 1. Wetzel.

2. *Uti qui eas ediscere. Ut* ed. 1476. — *Eas* abest a MSS pluribus et ed. Med. prima, non male. Ernest. — Quo suasore Sch. delevit.

3. *Poterunt hæc valere.* Sch. « hæ valere ». Sic scripsimus, inquit, cum Lambino : nam refertur pronomen ad imagines. Vulgatum ... *Hæc* videri potest ad *verborum* referri, quod alienum esset. Schutz. — Ed. 1476 habet *poterit*, ut *hæc* referatur ad *quorum rationem*. Med. 1498 *poterint*.

aliud[4] nos verbum meminisse oportebit? Deinde cur volumus ab industria quemquam removere, ut ne quid ipse quærat, quum nos illi[5] omnia parata quæsitaque tradamus? Præterea similitudine alia alius magis commovetur. Nam ut sæpe, formam si quam similem cuipiam dixerimus esse, non omnes habemus assensores, quod alii videtur aliud: ita fit[6] in imaginibus, ut, quæ nobis diligenter notatæ sint[7], eæ parum videantur insignes aliis. Quare sibi quemque suo commodo convenit imagines comparare. Postremo præceptoris est docere, quemadmodum quæri quidque conveniat, et unum aliquod, aut alterum, non omnia, quæ ejus generis erunt, exempli causa subjicere, quo res possit esse dilucidior. Ut quum de procemiis quærendis disputamus, rationem damus quærendi, non mille procemiorum genera conscribimus[8]: ita arbitramur de imaginibus fieri convenire.

XXIV. (XXIV.) Nunc, ne forte verborum memoriam, aut nimis difficilem, aut parum utilem arbitrere[1], et ipsarum memoria rerum contentus sis, quod et utiliores sint, et plus habeant facilitatis[2], admonendus

4. *Modo aliud, modo aliud.* Multo malim, si adesset, «aliud modo, modo aliud»; sed quum non inveniam, malo cum edd. 1476 et 1498, «modo unum, modo aliud».

5. *Quum nos illi. Nos* addunt MSS, ed. 1474, et aliæ vett. ERNEST.

6. *Ita fit. Item fit* edd. 1476, Mediol. 1498, et malim, etsi supra est *ut sæpe*, cui respondere *ita* videtur; sed et infra est *ut quæ*, cui timendum esset ne incautus lector *ita* referret.

7. *Quæ nobis diligenter notatæ sint.* Sine dubio legendum *notatæ*, pro vulg. *notæ*. Nam «diligenter notum» nihil commodi significare potest. Sic cap. sup. ex. res «diligenter notatæ» occurrunt. ERNEST. cui Sch. assentitur. *Notata sit*, edd. 1476 et aliæ. — Item infra: «ea parum videatur insignis», pro «eæ p. videantur insignes».

8. *Conscribimus.* Habent edd. vett. *describimus.*

XXIV. 1. *Arbitrere.* Pro *arbitreris* dedimus e MSS et edd. 1474, Med. prima. ERNEST.

2. *Quod et utiliores sint, et plus habeant facilitatis.* Sch. «quod et utilior sit, et plus habeat facilitatis». Sic necessario, inquit, emendandum duximus vulgatum. Nam hic non de rerum utilitate et facilitate quæritur, sed me-

es, quare verborum memoriam non improbemus. Nam putamus oportere eos, qui velint res faciliores sine labore et molestia facile meminisse, in rebus difficilioribus esse ante exercitatos. Nec nos hanc verborum memoriam inducimus, ut versus meminisse possimus[3], sed ut hac exercitatione, illa rerum memoria, quæ pertinet ad utilitatem[4], confirmetur; ut ab hac difficili consuetudine sine labore ad illam facilitatem transire possimus. Sed quum, in omni disciplina, infirma est artis præceptio sine summa assiduitate exercitationis, tum vero in μνημονικοῖς minimum valet doctrina, nisi industria, studio[5], labore, diligentia, comprobetur. Quam plurimos locos ut habeas, et quam maxime ad præcepta accommodatos, curare debebis. In imaginibus collocandis exerceri quotidie conveniet. Non enim sicut a ceteris studiis abducimur nonnumquam occupatione, ita ab hac re nos potest causa deducere aliqua. Numquam est enim, quin aliquid memoriæ tradere velimus, et tum[6] maxime, quum aliquo majore negotio[7] detinemur. Quare quum sit utile facile meminisse, non te fallit, quod tantopere utile sit, quanto labore sit appetendum[8] : quod

moria rerum cum memoria verborum ad utilitatem et facilitatem comparatur; id quod oppositionis ratio satis declarat.

3. *Ut versus meminisse possimus.* Significat auctor, se artificialem verborum memoriam non ideo commendare, quasi sine ea versus, qui verbis constant, meminisse non possemus; concedit potius, eos discendo facilius, quam adhibito imaginum apparatu, posse memoriæ mandari. Sch.

4. *Quæ pertinet ad utilitatem.* Sch. *quod pertinet ad util.* Sic emendavi, inquit, vulg. in qua sensus commodus haud inest; « quod pertinet ad utilitatem » nihil aliud significat quam « quod non caret utilitate ». —Crediderim potius hic *utilitatem* esse *usum civilem* qui opponitur exercitationi scholarum.

5. *Industria, studio. Studio* abest ab ed. Med. 1498, et sane non desideratur, quum sequatur *labore, diligentia.*

6. *Et tum maxime.* « Et tum maxima ». Grut.

7. *Majore negotio. M. officio* edd. 1476, Med. 1498.

8. *Appetendum.* Ineptam glossatoris appendiculam « quod poteris exi-

poteris existimare, utilitate cognita. Pluribus verbis ad eam te hortari[9] non est sententia, ne aut tuo studio diffisi[10], aut minus, quam res postulat[11], dixisse videamur. De quinta parte rhetoricæ deinceps dicemus: tu primas quasque partes in animo frequenta, et, quod maxime necesse est, exercitatione confirma.

stimare utilitate cognita », ut diutius in textu toleraremus, impetrare a nobis haud potuimus. Sch.

9. *Ad eam te hortari.* Schütz. « ad eam rem te hortari » e codd. Voss. 2, Leid. 3, edit. Omnibon. — *Ad eam rem te adhortari non est sententia*, ed. 1476.

10. *Ne aut tuo studio diffisi.* Sic edidimus e MSS et ed. 1474, quæ plane sic habet. Vulg. « ne aut tu nostro aut nos tuo s. » « Aut tu nostro » etiam Oudend. resecari vult, sed male servat *nos*. Ern. — « Ne aut tu nostro, aut nos tuo studio diffisi », ed. Med. 1498 et Gruterus. « Ne aut studio difficili aut minus, etc. » ed. 1476.

11. *Quam res postulat.* Sch. « quæ res postulat ». Vulg. inquit, « quam res postulat », iis, quæ proxime antecedunt, repugnat. Qui enim plura se dicturum negat, quomodo is, si secus faceret, minus, quam causa postulat, dixisse videri posset.

M. T. CICERONIS
RHETORICORUM
AD C. HERENNIUM
LIBER QUARTUS.

ARGUMENTUM

E SCHUTZII EDITIONE DESUMPTUM.

In libro quarto auctor, quoniam de elocutione acturus, et suis quasque definitiones generum dicendi et figurarum, s. exornationum, non aliunde petitis, illustraturus exemplis erat, eam autem rem abhorrere intelligebat a ceterorum artis scriptorum consuetudine, ac propterea fore, ut in eorum aliorumque reprehensionem incurreret, præfationis loco, cap. 1-7, quo consilio, quibusque rationibus ductus a reliquorum more recesserit, ostendit. Ac primum quidem causas exponit, propter quas illi auctorem artis rhetoricæ non suis, sed alienis oratorum et poetarum exemplis uti oportere putent, cap. 2; has deinde sigillatim refutat, cap. 3, 4; tum quædam, quæ separatim contra eos dici possint, affert; ita ut primum, si concedat aliena oportere assumere exempla, unius auctoris oportere vincat, cap. 5; deinde omnino aliunde sumenda non esse, ostendit, cap. 6.

Jam sequitur ipsa de elocutione præceptio, cap. 8 seqq. Eam facit auctor bipartitam. Primum dicit, quibus in generibus omnis oratoria elocutio debeat esse; ubi agit de genere gravi, cap. 8; de mediocri, cap. 9; de attenuato, cap. 10; monetque simul cavendum esse, ne, dum hæc genera consectamur, in finitima et propinqua vitia veniamus. Ostendit igitur gravi generi propinquum esse sufflatum, mediocri fluctuans et dissolutum, attenuato aridum et exsangue, cap. 11.

Deinde demonstrat auctor, quas res habere debeat elocutio commoda et perfecta, cap. 12 seqq. Tres nimirum res in se debet habere; primum elegantiam, quæ latinitate, h. e. sermone puro et a barbarismo ac sólœcismo pariter remoto, et explanatione contineatur, quæ dilucidam reddat orationem usitatis verbis et propriis, cap. 12; deinde compositionem, ibid. postremo dignitatem, quæ partim ex verborum, partim e sententiarum exornatione (σχήμασι λέξεως καὶ διανοίας) consequatur. Itaque primum verborum exornationes pertractantur exemplisque illustrantur, quæ sunt repetitio, conversio, cap. 13; complexio, traductio,

cap. 14; contentio, exclamatio, interrogatio, cap. 15; ratiocinatio, cap. 16; sententia, cap. 17; contrarium, cap. 18; membrum, articulus, continuatio, cap. 19; compar, similiter cadens, cap. 20; annominatio, cap. 21, 22; quibus tribus perraro, quum in veritate dicatur, utendum esse monetur, cap. 23; porro subjectio, cap. 24; gradatio, definitio, cap. 25; transitio, correctio, cap. 26; occultatio, disjunctio, cap. 27; conduplicatio, interpretatio, commutatio, cap. 28; permissio, dubitatio, cap. 29; dissolutio, præcisio, conclusio, 30. His adduntur decem exornationes verborum, quarum hoc proprium est, ut ab usitata verborum potestate recedatur, utque in aliam rationem cum quadam venustate oratio conferatur. Quo referuntur nominatio, pronominatio, cap. 31; denominatio, circuitio, transgressio, cap. 32; superlatio, intellectio, abusio, cap. 33; translatio, permutatio, cap. 34.

Sequuntur deinceps sententiarum exornationes. Hæ sunt distributio, cap. 35; licentia, cap. 36, 37; deminutio, cap. 38; descriptio, cap. 39; divisio, cap. 40; frequentatio, cap. 41; expolitio, cap. 42-44; commoratio, contentio, cap. 45; similitudo, cap. 46-48; exemplum, cap. 49; imago, cap. 50; effictio, notatio, cap. 51; sermocinatio, cap. 52; conformatio, cap. 53; significatio, brevitas, cap. 54; demonstratio, cap. 55.

Conclusio totius libri habet brevem exhortationem ad exercitationis in arte oratoria diligentiam, cap. 56.

M. T. CICERONIS

RHETORICORUM

AD C. HERENNIUM

LIBER QUARTUS.

I. (1.) QUONIAM in hoc libro, C. Herenni[1], de elocutione conscripsimus[2], et quibus in rebus opus fuit exemplis uti, nostris exemplis usi sumus[3]; et id fecimus præter consuetudinem Græcorum, qui de hac re scripserunt; necessario faciendum est, ut paucis rationem nostri consilii demus. Atque hoc nos necessitudine facere, non studio, satis erit signi, quod in superioribus libris nihil neque ante rem, neque præter rem[4] loquuti sumus. Nunc, si pauca, quæ res postulat, dixerimus[5], tibi id, quod reliquum est artis, ita, ut instituimus, persolvemus[6]. Sed facilius nostram rationem intelliges, si prius, quid illi dicant, cognoveris.

(II.) Compluribus de causis putant oportere, quum

I. 1. *C. Herenni.* Schutz. delet prænomen *C.* quod Gronovius in nullo cod. invenit. Abest etiam a codd. Oudend. et edd. pr.

2. *Conscripsimus.* Contraximus quidquid dicendum habebamus.

3. *Nostris exemplis usi sumus. Exemplis* delevit Ernesti, auctore ed. pr. an. 1474. Sch. eum sequutus est. Lambinus etiam *uti* deleverat.

4. *Neque ante rem, neque præter rem.* Sensus est: Neque præfationibus usi sumus, neque quidquam diximus, quod non ad rem ipsam pertineret explicandam, etc. nihil adeo de nostro consilio, et similibus, ad commendandum, aut excusandum. Hoc non assequuti sunt, qui dederunt *post rem.* Ern.

5. *Si pauca... dixerimus.* I. e. postquam, vel quum dixerimus.

6. *Persolvemus.* Vide ad III, 1.

ipsi præceperint, quo pacto oporteat ornare elocutionem, uniuscujusque generis ab oratore aut poeta probato sumptum ponere exemplum. Et primum se id modestia commotos facere dicunt, propterea quod videatur esse ostentatio quædam[7], non satis habere, præcipere de artificio, sed ipsos etiam videri velle artificiose gignere exempla: hoc est, inquiunt, ostentare se, non ostendere artem. Quare pudor in primis est ad eam rem impedimento, ne nos solos probare, nos amare, alios contemnere et deridere videamur. Etenim quum possimus ab Ennio sumptum, aut a Graccho ponere exemplum, videtur esse arrogantia[8], illa relinquere, et ad sua devenire. Præterea exempla testimoniorum locum obtinent. Id enim, quod admonuerit, et leviter fecerit præceptio[9], exemplo, sicut testimonio, comprobatur. Non igitur ridiculus sit, si quis in lite, aut in judicio, domesticis testimoniis pugnet, et sui ipsius abutatur exemplo[10]? Ut enim testi-

7. *Ostentatio quædam. Quædam* abest a MS Cort. probante Ernestio. Sch.

8. *Videtur esse arrogantia.* Est eadem quæ ante forma: sed tamen prætulerim lectionem MS Lips. *arrogantiæ*, quam et in tribus reperit Oud. et pluribus Græv. Nec displicet ejusdem libri lectio paullo post: *etenim* pro *id enim*. Ern.

9. *Et leviter fecerit præceptio.* Sch. « et leviter præceperit ars et ratio ». Sic ed. Lamb. inquit, utique melius, quam quod vulgo legitur.

10. *In judicio, domesticis testimoniis pugnet, et sui ipsius abutatur exemplo?* Sequutus sum auctoritatem Pal. primi, cui suffragantur et alii, nisi quod ii, « testimonio abutatur ». Victorii editio invexit, « judicio domestico pugnet et sui ipsius testimonio abutatur ». At velim doceri quid sit illud « judicium domesticum ». Grut.—MSS et edd. plures omittunt « et sui ipsius abutatur exemplo »; alii libri, ut Lips. totum sic habent: « domestico pugnet sui ipsius testimonio et abutatur » : quod etiam magis placet. Certe ultima sunt spuria et aliena: itaque uncis inclusi, præsertim quum etiam illud *abutatur* durum sit in meliore lectione. Nam de testimonio tantum sermo est, non exemplo. Ern. — Sch. « domestico testimonio pugnet et sui ipsius exemplo abutatur ». Verba, inquit, « et sui... exemplo », quoniam in compluribus MSS absunt, Ernest. uncis inclusit. Quia tamen in judiciis, non testimoniis solum, sed exemplis quoque locus est ad res probandas, non ausus sum omittere, lectionem tamen ad melio-

monium, sic exemplum, rei confirmandæ causa sumitur. Non ergo oportet hoc, nisi a probatissimo sumi, ne, quod aliud confirmare debeat, egeat ipsum confirmationis[11]. Etenim necesse est, aut se omnibus anteponant, et sua maxime probent, aut negent optima esse exempla, quæ a probatissimis oratoribus aut poetis sumpta sint[12]. Si se omnibus anteponant, intolerabili arrogantia sunt; si quos sibi præponant, et eorum exempla suis exemplis non putent[13] præstare, non possunt dicere, quare sibi illos anteponant.

II. Quid igitur ipsa[1] auctoritas antiquorum? nam quum res[2] probabiliores, tum hominum studia ad imitandum alacriora reddit: immo erigit omnium cupiditates, et acuit industriam, quum spes injecta est, posse imitando, Gracchi, aut Crassi consequi facultatem. Postremo hoc ipsum est summum artificium, res varias et dispares in tot poematibus et orationibus sparsas, et vage disjectas, ita diligenter eligere, ut unumquodque genus exemplorum sub singulos artis locos subjicere possis. Hoc si industria solum fieri posset, tamen essemus laudandi, quum talem laborem non fugissemus: nunc sine summo[3] artifi-

rum codd. vestigia commodius constitui.

11. *Egeat ipsum confirmationis.* «Egeat id ipsum confirmatione» edd. 1476, et quæ sequuntur.

12. *Sumpta sint.* Sic MSS non pauci et edd. pr. omnes. Etiam in sequentibus, aut «arrogantia sint», et «non possint dicere», scribendum puto, aut conjunctivos in indicativos mutandos, «anteponunt, præponunt». Et variant hic libri: sed nullus constanter totum recte exhibet. Ern.

13. *Anteponant ... præponant ... putent.* Sch. «anteponunt.....præponunt...putant». Indicativis, inquit, hic opus est.

II. 1. *Ipsa auctoritas. Ipsa* abest a cod. Duisb. Sch.

2. *Nam quum res prob.* Quid hic sit *nam* nemo queat dicere, nec enim ratio superioris redditur. Suspicatus sum scribendum esse, «non, quum... reddit?» Ern. — Cujus sententiam Sch. secutus est, et protulit «non, quum res.....reddit?» Cod. Duisb. *non tum.*

3. *Nunc sine summo.* Delevi *vero* post *nunc*: abest a MSS et edd. pr. et sine dubio rectius abest. Aldus

cio non potest fieri. Quis est enim, qui nisi[4] summe teneat artem, possit ea, quæ jubeat ars, de tanta, et tam diffusa scriptura notare, et separare[5]? Ceteri, quum legunt orationes bonas aut poemata, probant oratores et poetas, neque intelligunt, qua re commoti probent: quod scire non possunt, ubi sit, nec quid sit, nec quo modo factum sit id, quod eos maxime delectet. At is, qui et hæc omnia intelligit, et idonea maxime eligit, et omnia in arte maxime scribenda[6] redigit in singulas rationes præceptionis, necesse est ejus rei summus artifex sit. Hoc igitur maximum artificium est, in arte sua posse et alienis exemplis uti.

(III.) Hæc illi quum dicunt, magis nos auctoritate sua[7] commovent, quam veritate[8] disputationis. Illud enim veremur, ne cui satis sit ad contrariam rationem

primus addidit. Ernest. cui Schütz. assentitur.

4. *Qui nisi summe*. Ita vulgatum, « qui non, quum summe », quod sensum plane contrarium sententiæ habet, correxi e duobus MSS et ed. 1474, et sic edidit Lambinus. Alii scr. et editi veteres habent vel « nisi quum », vel « quicum non », quæ sensum eumdem efficiunt. Sed illum simplicissimum et usitatissimum judicavi. Ern. cui Sch. assentitur, eamdem lect. sequutus.

5. *Separare*. Hoc est, excerpere et deligere ad usum. Ern.

6. *In arte maxime scribenda*. Hoc *maxime* male repetitum est e commate præcedente, neque h. l. sensum præbet. Itaque delevi. Sch. — *Maxime* idem quod *potissimum*. Multa sunt quæ scribi possint, sed maxime scribenda elegit. Sensus totius loci: Qui in legendis oratoribus aut poetis intelligit qua re commotus probet, et eligit maxime idonea exempla, et ea quæ excerpsit, in Rhetoricis libris potissimum conscribenda, suo quæque loco collocat, ut singulis præceptis idonea subjiciantur exempla, necesse est, etc.

7. *Magis nos auctoritate sua*. Sensum loci video e sequentibus: magis commovent auctoritate eorum, qui aliter, quam nos fecere, et magis aliorum exemplis usi sunt, quam re et veritate. Sed id in verbis non inest, quantum intelligo. Si *sua* deleatur, intelligi illud utcumque potest. Sed forte aliud in illo verbo latet. Ern.— Sch. delevit *sua*. Pronomini hic locus non est, inquit, quum postea dicatur « illorum auctoritate ». — Vulgatæ, quam servavimus, sensus satis apertus erit, si verbum *volent*, quod postea est, generaliter sumi intelligas, nec referas ad illos adversus quos Noster disputavit.

8. *Quam veritate*. Cod. Erf. et

probandam, quod ab ea parte steterint[9] ii, qui et inventores hujus artificii fuerunt, et vetustate jam satis omnibus probati sunt. Quod si, illorum auctoritate remota, res omnes volent cum re[10] comparare, intelligent, non omnia esse concedenda antiquitati.

III. Primum igitur, quod ab eis de modestia dicitur, videamus, ne nimium pueriliter[1] proferatur. Nam si tacere, aut nihil scribere[2] modestia est, cur quicquam scribunt, aut loquuntur? Sin aliquid suum scribunt, cur, quo secius omnia scribant[3], impediuntur modestia? Quasi si quis ad Olympiacum[4] venerit cursum, et steterit, ut mittatur[5], impudentesque illos dicat esse, qui currere cœperint, ipse intra carceres stet, et narret aliis, quomodo Ladas aut Boius cum Sicyoniis[6] cursitarint: sic isti, quum in artis

marg. Cratand. it. Voss. 1, 2, Leid. 1, *ratione*. Sch.

9. *Quod ab ea parte steterint*. Additum illud *parte* e Pall. plerisque; item Suffridi scriptis et Fabriciano. Grut. — Est etiam in edit. 1474. A ceteris fere omnibus abest elegantius. Int. *ratione*. Ern.—Sch. delevit, plurium script. auctoritatem sequutus.

10. *Res omnes volent cum re comparare*. Non video quorsum *omnes* addatur. Arbitror esse delendum, et fortasse quoque legendum esse *rem*. Ern. — Sch. « rem omnino volent cum re comparare ». Lambinus conj. « rationes cum rationibus comparare ».

III. 1. *Ne nimium pueriliter proferatur*. MSS et edd. fere edunt « inutiliter et »; quod Gruterus rejecit fide quatuor Pall. et Bruil. et Sch. elegantius abesse putat.

2. *Si tacere, aut nihil scribere*. *Aut* dedi pro *et*, e MSS pluribus, edd. 1474 et Mediol. prima, quod et sequentia desiderant. Ern.

3. *Quo secius omnia scribant*. Sch. « omnia sua scrib. » Revocavi *sua*, inquit, quod Grævius addiderat e cod. Pith. Est enim sententiæ dilucidius enuntiandæ causa necessarium.

4. *Ad Olympiacum venerit*. Sch. « ad Olympiacum quum venerit ». Particulam *quum*, inquit, inseruimus, dempta deinde copula in vulg. *impudentesque*: sic protasis et apodosis magis clarescunt.

5. *Et steterit, ut mittatur*. Nonnulli scr. et edd. *immittatur*. Ed. 1474 et Med. pr. *emittatur*: quod fortasse factum ex « unde mittatur », quod eleganter Latini dicunt de carceribus: sicut locus, ubi signum mittendis quadrigis vel cursoribus datur, sic circumscribitur: « unde signum datur ». Ern.

6. *Ladas aut Boius cum Sicyoniis*. Turnebus edendum putabat *Boliscus* aut *Boiseus*. Hoc Lambinus prætulit, quia apud Xenophont. Anab. lib. V, Boiscus quidam pugil occurrit. F. Ur-

curriculum descenderunt, illos, qui in eo, quod est artificii, elaborent [7], aiunt facere immodeste; ipsi aliquem antiquum oratorem, aut poetam laudant, aut scripturam, sic ut in stadium artis rhetoricæ[8] prodire non audeant. Non ausim dicere, sed tamen vereor, ne, qua in re laudem modestiæ venentur, in ea ipsa re sint impudentes. Quid enim tibi vis? aliquis inquiet. Artem tuam scribis : gignis nobis novas præceptiones : eas ipse confirmare non potes : ab aliis exempla sumis. Vide, ne facias impudenter, qui tuo nomini velis ex aliorum laboribus libare laudem. Nam si eorum[9] volumina prehenderint antiqui oratores et poetæ, et suum quisque de libris sustulerit; nibil istis, quod suum velint[10], relinquetur. At exempla, quoniam testimoniorum similia sunt, item convenit, ut testimonia, ab hominibus probatissimis sumi. Primum omnium exempla ponuntur hic non confirmandi, neque testificandi causa, sed demonstrandi. Non enim, quum dicimus esse exornationem, quæ,

sinus opinatur scribendum *Boeus*, cujus Pausanias meminit in Laconicis.— *Cum Sicyoniis*. Intellige calceis, ut recte Gronov. Sch. — Sic Wetzelius, et est in primo de Orat. cap. 54 : « quis Sicyonios mihi calceos attulisset ». J. V. *Leclerc* intelligit cursores. Nec mirum videatur in illa urbe bonos fuisse cursores, ubi accurata in calceis conficiendis sedulitas; sed major similitudo describentis quomodo, et quibus calceis instructi certarint celeberrimi cursores, cum rhetore memorante quibus dicendi figuris usi sint optimi oratores. Gronovio igitur accedendum puto.

7. *Elaborent*. Edd. 1474 et MSS duo apud Oud. *elaborant*, quod melius videtur, nisi legas cum ed. Junt. *descenderint*. Ern. — Sch. *elaborant*. Ed. 1476, *descenderint*.

8. *Sic ut in stadium artis rhetoricæ*. Recte Lambinus correxit sup. editionum lect. *studium*. Sch.

9. *Nam si eorum*. In hoc loco mirifice fluctuant libri, ut nihil certi extricare liceat. Itaque textum reliqui, ut est in Gruteriana. *De libris* spurium puto. *Velint* porro vix sensum habet : et abest ab edd. omnibus. An auctor scripsit, « nihil istis suum relinquetur? » Denique puto legendum *relinquatur*, quod certe elegantius est. Ern.

10. *Velint*. Sch. Vulgo *velint*, inquit, sensu inepto. Ipse habet *vocent*, quod pessimum judicat J. V. *Leclerc*.

verbi causa, constet ex similiter desinentibus verbis, et ponimus hoc exemplum a Crasso, « quibus possumus, et debemus [11] », non testimonium [12] collocamus, sed exemplum. Hoc igitur interest inter exemplum et testimonium : exemplo demonstratur id, quod dicimus, cujusmodi sit ; testimonio, esse illud ita, ut nos dicimus, confirmatur. Præterea oportet testimonium cum re convenire; aliter enim rem non potest confirmare. At id, quod illi faciunt, cum re non convenit. Quid ita? Quia pollicentur artem se scribere, et exempla proferunt ab iis plerumque, qui artem nescierunt. Tum quis est, qui possit id, quod de arte scripserit, comprobare, nisi aliquid scribat ex arte [13] ? Contraque faciunt, quam polliceri videntur : nam quum scribere artem instituunt, videntur dicere se excogitasse, quod alios docerent; quum vero scribunt, ostendunt nobis, quid alii excogitarint.

IV. (IV.) At hoc ipsum difficile est, inquiunt, eligere de multis. Quid dicitis difficile? utrum laboriosum, an artificiosum? Si laboriosum, non [1] statim præclarum. Sunt enim multa laboriosa, quæ si facia-

11. *Quibus possumus, et debemus.* Locus hic commemoratur apud Cic. de Orat. I, 52. Sch.

12. *Non testimonium collocamus.* Negativam addidi suasu Pal. quarti ac quinti; nec aliter Bruil. Grut. — *Non* quod Gruterus addidit ex aliquot MSS, reperitur et in aliis et edd. 1474, Mediol. pr. et potest stare, ut post longiorem interpositionem, intellecto *inquam.* Ern. — Sch. contra *non* melius abesse a codd. Voss. 3, Leid. 1, 3, 4 declarat, et delet.

13. *Nisi aliquid scribat ex arte?* Nihil operæ pretium est in singulis propositionibus demonstrare cum Wetzelio qua claudicet ista argumentatio. Hæc omnia juvenis admodum sunt, se et sua proferre gestientis, et multa temere effutientis, qui nondum scire potius quam oblivisci videtur artem esse præceptionis rationem, ex eorum operum observatione quæ ante artem nata sunt, et humani simul ingenii exploratione comparatam; ita ut iis etiam quæ sine arte facta sunt ars inniti possit, et eorum exemplo confirmari.

IV. 1. *Statim.* Id est, *ideo*, *ob id unum.* Ut paullo inferius *continuo.*

tis, non continuo gloriemini : nisi forte etiam, si vestra manu fabulas, aut orationes totas transcripsissetis[2], gloriosum putaretis. Sin autem istud artificiosum[3], egregium dicitis, videte, ne insueti rerum majorum videamini, si vos parva res, sicuti magna, delectat. Nam isto modo eligere rudis quidem nemo potest, sed sine summo artificio multi. Quisquis enim audierit de arte paullo plus, in elocutione præsertim, omnia videre poterit, quæ ex arte dicuntur; facere nemo poterit, nisi eruditus. Ita ut, si de tragœdiis Ennii velis sententias eligere, aut de Pacuvianis periodos, quia plane rudis id facere nemo poterit, quum feceris, te literatissimum putes, ineptus sis; propterea quod id facile faciat quivis mediocriter literatus : item si, quum ex orationibus et[4] poematis elegeris exempla, quæ certis signis artificii notata sunt, quia rudis id nemo facere possit, artificiosissime te fecisse putes, erres; propterea[5] quod isto signo videmus te nonnihil ejus scire : aliis signis, multa

2. *Transcripsissetis ... putaretis*. Ed. 1474. « transcripseritis ... putatis ». Voluit dare *putetis*, quod sane bene habet. Ern.

3. *Sin autem istud artificiosum, egregium*. Sic MSS plerique et edd. pr. usque ad Ald. qui dedit « artificium egreg. » offensus conjunctione duorum adjectivorum. Nec *egregium* abesse potest : nam mox est « sine summo artificio ». Quod tamen et vulgatæ favet. Ern. — Sch. « artificiosum egregie ».

4. *Et poematis*. « Aut ex poematibus » edd. Med. 1498 et 1476. « Aut poematis » Gruterus.

5. *Propterea quod isto signo vid. te nonnihil ejus scire : aliis signis, multa scire intelligemus*. Sch. hæc verba « isto signo..... intelligemus. Quod », ut pessimum emblema delevit, et edidit « propterea quod si artificiosum est... ex arte ». Atqui, inquit, non querebatur quam pauca aut multa quis sciret, sed utrum exempla ex orationibus et poematis eligere omnium artificiosissimum esset. Hoc recte negatur, propterea quod, si artificiosum est intelligere, quæ sint ex arte scripta, multo est artificiosius ipsum scribere ex arte, ut fere manibus deprehenderimus glossatorem, qui pro sua sapientia infersit ista, « isto signo..... intelligemus », non solum sensu inepta, sed etiam verbis male conformata. — Hæc Schützius, cui eo libentius accedo, quod vix intelligere potueram, quomodo ea vox *signum*

scire intelligemus. Quod si artificiosum est intelligere, quæ sint ex arte scripta, multo est artificiosius, ipsum scribere ex arte. Qui enim scribit artificiose, ab aliis commode scripta facile intelligere poterit: qui eliget facile, non continuo ipse commode scribit. Et, si est maxime artificiosum, alio tempore utantur ea facultate, non tum, quum parere ipsi, et gignere, et proferre debent. Postremo in eo vim artificii consumant, ut ipsi ab aliis potius eligendi, quam aliorum boni electores existimentur. Contra ea, quæ ab iis dicuntur, qui dicunt alienis exemplis[6] uti oportere, satis est dictum. Nunc, quæ separatim[7] dici possunt, consideremus.

V. (v.) Dicimus ergo, eos omnes, ideo quod[1] alienis utantur, peccare, tum etiam magis delinquere, quod a multis exempla sumant. Sed de eo, quod postea diximus, ante videamus. Si concederem, aliena oportere assumere[2] exempla, vincerem unius oportere:

ex alio sensu in alium continuo deduceretur. Nihilque videbam ad quod pronomen *ejus* referretur. Habent certe ed. 1476 et Med. 1498, « ejus rei ». — *Multa scire intelligemus* dedit Gruterus ex Pal. pr. quarto. Vulgata prius lectio, « te scire multa intelligimus ». Unde Lambinus, « nescire multa », nullis tamen consentientibus libris qui hoc loco valde mendosi sunt.

6. *Alienis exemplis*. Delevimus *se* post *alienis*, quod recte abest a MSS pluribus et ed. Mediol. pr. Nam est sermo de toto genere: int. eum, qui artis præcepta tradat. ERNEST. quem Sch. probat.

7. *Nunc, quæ separatim dici possunt*. Lambinus e duobus MSS legi volebat, « nunc separatim, quæ dici possunt, consideremus ». Nam « quæ separatim dici possunt » significat illa argumenta, quæ adversus eos, qui alienis exemplis uti oportere dicant, proferri possunt, si ab eorum argumentis discesseris, quibus illi rationem suam defendunt. Eodem modo *separatim* ponitur Cic. de Or. II, 27. SCH.

V. 1. *Dicimus ergo, eos omnes, ideo quod*. Gronovius vult e MSS quibusdam, quibus ed. 1474 consentit, legi, « eos, quum ideo, quod »: sed id durius est: lenius MS Lips. « eos, tum quod ». Sed vulgata bene habet. Non semper *tum* duplicatur, aut *quum* præcedit *tam*. ERNEST. — Sch. « Dicimus igitur, eos tum ideo ». Sic, inquit, cod. Erf. recte. Etiam Pith. habet « tum ideo ». — Sic et edd. 1476, Med. 1498.

2. *Assumere exempla*. *Sumere e.* edd. 1476, Med. 1498. Rectius, quum unius omnino exempla profe-

primum, quod contra hoc nulla staret eorum ratio; liceret enim [3] eligerent, et probarent quemlibet, qui sibi in omnes res suppeditaret exempla, vel poetam, vel oratorem, cujus auctoritate niterentur. Deinde interest magni ejus, qui discere vult, utrum unum omnia, an omnia neminem, sed aliud alium putet consequi posse. Si enim putabit posse omnia penes unum consistere, ipse quoque ad omnium nitetur facultatem: sin id desperabit, in paucis se exercebit; ipsis enim contentus erit: nec mirum, quum ipse præceptor artis omnia penes unum reperire non potuerit. Allatis igitur exemplis a Catone, a Gracchis [4], a Lælio, a Scipione, Galba, Porcina, Crasso, Antonio, ceterisque; item sumptis aliis a poetis, et historiarum scriptoribus [5], necesse erit, eum, qui discet, ab omnibus putare omnia, ab uno pauca vix potuisse sumi. Quare, si unius alicujus esse se similem [6] satis habebit, omnia, quæ omnes [7] habuerint, solum habere se posse diffidet: ergo inutile est ei, qui discere vult, non putare, unum posse omnia [8]. Igitur nemo in hanc inci-

renda sint, non alia sumenda, alia rhetori ipsi excogitanda.

3. *Liceret enim.* Sch. *licet.* Ita, inquit, jam Gronovio auctore commodius et suavius legitur cum Erf. Duisb. Cauch.

4. *A Catone, a Gracchis*, etc. De his omnibus vide indicem.

5. *Et historiarum scriptoribus.* Sch. « aliis ab historiarum scriptoribus ». Ita legendum vidit Grævius, inquit, vestigia cod. Erf. sequutus, in quo est « aliis historiarum scriptoribus ». — Vulgata vera est. Enumeratis oratoribus, a poetis quoque et historiarum scriptoribus exempla sumi monet.

6. *Si unius alicujus esse se similem.* Plerique libri addunt *se*, quod in vulgatis non est, sed alii alio loco. Prætuli eum locum, quem libenter auctor et alii huic pronomini assignant. Ern.

7. *Omnia, quæ omnes. Omnia* sine dubio spurium est: sed quia omnes libri habent, uncis modo inclusi. Ern. — Cujus auctoritate nixus Sch. omnino delevit. — *Omnia* equidem abesse posse video, adesse non posse haud facile mihi persuadebo.

8. *Non putare, unum posse omnia.* Sic quidam Pall. alii « putare a nemine omnia posse ». Gembl. et Bruil. « putare neminem omnia posse », quo forte melius recepto. Grut. — *Non putare, unum.* Sic interpunxi, ne quis hæreat, ut quibusdam accidit. Ern.

deret opinionem[9], si ab uno exempla sumpsissent. Nunc hoc signi est, ipsos artis scriptores non putasse unum potuisse in omnibus elocutionis partibus enitere, quoniam[10] neque sua protulerunt, neque unius alicujus, aut denique duorum, sed ab omnibus oratoribus et poetis exempla sumpserunt. Deinde[11], si quis velit artem demonstrare nihil prodesse ad discendum, non male utatur hoc adjumento, quod unus omnes artis partes consequi nemo potuerit. Quod igitur juvat eorum rationem, qui omnino improbent[12] artem, id, non ridiculum est, ipsum scriptorem artis suo judicio comprobare? Ergo ab uno sumenda fuisse docuimus exempla, si semper aliunde sumerentur.

VI. Nunc omnino aliunde [1] sic intelligemus sumenda non fuisse. (VI.) Primum omnium, quod ab artis scriptore affertur exemplum, de ejusdem artificio debet[2] esse;

— Sed facilius intellexeris « inutile est non putare », quam, perturbato verborum ordine, « inutile est putare unum non posse ».

9. *Igitur nemo in hanc incideret opinionem. Incideret* pro *incidet* scripti multi habent et edd. ante Juntinam: sed ita corrigendum foret etiam sine libris. At nec *igitur* rectum esse potest; non enim hic aliquid colligitur e præcedentibus. Sensus requirit « enim vero », aut similem particulam. Ern. — Sch. «atqui nemo, etc.» Adversandi particulam non concludendi sensus requirit, id quod jam Ernest. observavit. Porro idem recte correxit vulgo *incidet*, quod renuentibus MSS et pr. edd. in multas post Lamb. fluxit. Sch.

10. *Nunc hoc signi est... quoniam.* Eane bene apta sunt? Vellem liber aliquis haberet *quod;* sed nusquam reperi.

11. *Deinde, si quis.* Sch. « Denique, si quis ». Hoc, inquit, e marg. Cratand. et Leid. 3 recepi pro vulg. *Deinde.* Ultimum enim hic profertur argumentum.

12. *Qui omnino improbent.* Sch. et Ern. *improbant.* Sic MSS apud Oud. edd. 1474, Med. pr. 1475.

VI. 1. *Nunc omnino aliunde sic int. sumenda non fuisse.* « Nunc omnino sumenda non fuisse aliunde sic intelligemus » ed. Med. 1498. Facilius. Vulgata valde contorta est.

2. *Quod ab a. scr. aff. exemplum, de ejusdem art. debet esse.* Vana quidem ab initio auctoris nostri argumentatio; hic inepta. Quid? si quis de arte medica scribat, oportebit de hoc aut illo remedio tacere, nisi et ipse adhibuerit? De morbo non dicere, nisi et ipse curandum habuerit? Quæ sequuntur de Triptolemo et Prometheo ridicula. Nam si Prometheus advenam aliquem ignis usum docere voluisset, adfuissentque qui torrerent carnes,

non ut, si quis purpuram aut aliud quippiam vendens dicat : « Sume a me, sed hujus exemplum aliunde rogabo, tibique ostendam[3] ». Si merces ipsi qui venditant, aliunde exemplum quæritent aliud mercis[4]; aut si acervos[5] se dicant tritici habere, et eorum exemplum pugno non habeant, quod ostendant : si Triptolemus, quum hominibus semen largiretur, ipse ab aliis id hominibus[6] mutuaretur : aut si Prometheus, quum mortalibus ignem dividere vellet, ipse a vicinis, cum testa ambulans, carbunculos corrogaret, non ridiculum videretur? Isti magistri, omnium dicendi præceptores[7], non videntur sibi ridicule facere, quum id, quod aliis pollicentur, ab aliis quærunt. Si qui se fontes maximos, penitus absconditos, aperuïsse dicat, et hoc, sitiens quam maxime[8], loquatur, neque ha-

alias ipse torrere maluisset, quam statim ostendere quid illi et quomodo facerent, et qualis esset tostæ carnis sapor? Quæ temporis jactura excogitare exempla, quum optima ad manum habeas! quid quod illa exempla docendi causa elaborata, procul ab omni fori, aut campi, aut senatus certamine, frigescunt et eloquentiæ vires male proferunt, ut in hoc ipso libro videbimus? Quas ostendebat discipulo suo statuas, eas Lysippus non ut paradigmata tironibus paraverat, sed posteris et famæ dicaverat, gloriæ suæ monumenta; illa juvenum spectantium accendebant animos. Noster vero haud ea præbet in hoc libro exempla ad quæ exclamet aliquis : Ego quoque sum pictor! — *De ejusdem artificio.* Olim putavi *ipsius* esse legendum. Nunc prætuli *ejusdem* e MS Voss. Ern.

3. *Tibique ostendam.* « Tibi quod o. » ed. Med. 1498. Quod satis placet.

4. *Si merces..... quæritent aliud mercis.* Puto melius esse *mercem*, quod MSS plures apud Oudend. habent; quia et singularis sequitur : idque recipi in textum volebant Græv. et Oud. Sed post *quæritent* delevi *aliud*, quod est alienum, sequutus MSS et ed. pr. ante Aldum. Post dedi *aut si* ex edd. pr. Ern. — Sch. « si mercem...q. mercis », sequutus lect. cod. Erf. Voss. 1, Leid. 2, 3, 4.

5. *Aut si a.* Sch. *ut si a.* Sic ed. Græv. auctoritate cod. Pith. et ipso sensu jubente. Gruterus, *ut si.*

6. *Quum hominibus...ipse ab aliis id hominibus mutuaretur.* Quod secundo loco est *hominibus* Lambinus tollit. H. l. tamen repetitio efficacior esse videtur. Sch.

7. *Omnium dicendi præceptores.* Hæc esse spuria, qui paullum attenderit facile intelligat : adeo redundant et frigent. Ern. — Sch. delevit.

8. *Quam maxime.* Sch. « quum maxime » e cod. Erfurt. Leid. 4, probante Oudend.

beat, qui sitim sedet, non rideatur? Isti, quum non modo dominos se fontium, sed se ipsos fontes esse dicant, et omnium rigare debeant ingenia, non putant fore ridiculum, si, quum id polliceantur aliis, arescant ipsi siccitate? Chares a Lysippo statuas facere non isto modo didicit, ut Lysippus caput ostenderet Myronis, brachia Praxitelis[9], pectus Polycleti[10]: sed omnia coram magistrum facientem videbat, ceterorum opera vel sua sponte considerare poterat.

VII. Isti credunt, eos, qui hæc velint discere, alia ratione doceri posse commodius. (VII.) Præterea ne possunt quidem ea, quæ sumuntur ab aliis exempla, tam esse accommodata ad artem, quam propria; propterea, quod in dicendo leviter unusquisque locus plerumque tangitur, ne ars appareat. In præcipiendo expresse conscripta ponere oportet exempla, ut in artis formam convenire possint. Et post in dicendo, ne possit ars eminere et ab omnibus videri, facultate oratoris occultatur[1]. Ergo etiam ut magis ars cognoscatur, suis exemplis melius est uti. Postremo hæc quoque res nos duxit ad hanc rationem, quod nomina

9. *Praxitelis.* Sch. *Praxitelæ.* Scripturam hanc, inquit, quam præbent codd. complures, auctore Gronovio prætulimus.

10. *Pectus Polycleti.* In MSS Pith. et Erf. additur « ventrem et crura », quæ sane non videntur spuria. Si sunt ab auctore, nomen artificis excidit, ut recte judicat Græv. Oud. conj. nomen fuisse *Myos.* Ern. — Grævius ex his codd. conj. scriptum fuisse « ventrem et crura Phidiæ ». Voss. 1 habet « Polycletius ventrem et crura »; unde suspicatur Oudend. « Myos ventrem et crura ». *Mys* signorum artifex laudatur Plin. XXXII, 12. Si quid mutandum sit, Oudendorpii rationem prætulerim. Nam auctorem nostrum Phidiam extremo loco nominasse, vix est credibile. Sch.

VII. 1. *Et ab omnibus videri, facultate oratoris occultatur.* Nihil est unde pendeat *occultatur.* Quia sententia copulatur cum præcedente, scribendum videtur *occultare*, ut pendeat ab *oportet.* Int. sententiam in exemplo latentem: nisi vero aliquid excidit, aut aliud vitium inest. Ern. — Non necesse est *occultare* reponatur, quod in mentem venit Ernestio; non enim ad *ponere*, sed ad *oportet* consecutione refertur. Sch.

rerum Græca, quæ convertimus, ea remota sunt a consuetudine [2]. Quæ enim res apud nostros non erant, earum rerum nomina non poterant esse usitata. Ergo hæc asperiora primo videantur necesse est, idque fiet rei, non nostra, difficultate. Reliquum scripturæ consumetur in exemplis. Hæc aliena si posuissemus, factum esset, ut, quod commodius esset [3] in hoc libro, id nostrum non esset; quod asperius, et inusitatum, id proprie nobis attribueretur. Ergo hanc quoque incommoditatem fugimus. His de causis, quum artis inventionem Græcorum probassemus, exemplorum rationem sequuti non sumus.

(VIII.) Nunc tempus postulat, ut ad elocutionis præcepta transeamus. Bipertita [4] erit igitur nobis elocutionis præceptio. Primum dicemus, quibus in generibus semper omnis oratoria elocutio debeat esse. Deinde ostendemus, quas res semper habere debeat.

VIII. Sunt igitur tria genera, quæ genera nos [1] figuras [2] appellamus, in quibus omnis ratio [3] non vitiosa consumitur: unam gravem, alteram mediocrem, ter-

2. *Remota sunt a consuetudine.* Becichemii codices scripti adjiciunt *Latina*, quod tamen in nullo nostrorum. GRUT. — Schützius Becichemium sequitur, additque: Alii habent *romana*. Si antea cum Gronovio legi placeat, « nomina rerum Græca quum vertimus », defendi possit *a consuetudine*, ut nihil amplius addatur.

3. *Fact. esset, ut, quod commodius esset in hoc libro, id nostr. non esset.* Metus ille omnino Ciceronianus; et multa certe in his libris Ciceronis juventutem indicant; famæ sitis, sat magna sui fiducia. Omitto dicendi rationem; non leve tamen argumentum.

4. *Bipertita erit igitur.* Sch. Ern. *bipartita*. Et sic veteres editiones.

VIII. 1. *Quæ genera nos.* Addidimus *genera* e MSS et edd. pr. quæ repetitio a consuetudine auctoris non est aliena. Junt. dedit *quas*, Aldus *quæ*, sine *genera*. ERN. — Sch. Ernestium et Grævium, auct. cod. Erf. et Pith. sequutus est. Abest *genera* ab edit. Med. 1798.

2. *Nos figuras appellamus.* Vocem *figuras* J. V. L. respondere monet vocibus græcis ἰδέα (*image, idée, genre, forme*, etc.), σχῆμα (*figure, geste, représentation, discours figuré*), τύπος (*figure, image, ressemblance, forme, description*), χαρακτὴρ (*caractère, genre de style*).

3. *In quibus omnis ratio.* I. q. « omnis oratio » ed. Med. 1498, Grut.

tiam extenuatam vocamus. Gravis est quæ constat ex verborum gravium magna et ornata[4] constructione. Mediocris est, quæ constat ex humiliore, neque tamen ex infima et pervulgatissima verborum dignitate. Attenuata est, quæ demissa est usque ad usitatissimam puri sermonis consuetudinem.

In gravi figura consumetur oratio, si quæ cujusque rei poterunt ornatissima verba reperiri, sive propria, sive translata[5], unamquamque in rem[6] accommodabuntur : et, si graves sententiæ, quæ in amplificatione et commiseratione tractantur, eligentur : et, si exornationes sententiarum aut verborum, quæ gravitatem habebunt, de quibus post dicemus, adhibebuntur. In hoc genere figuræ erit hoc exemplum : « Nam quis est vestrum, judices[7], qui satis idoneam possit in eum pœnam excogitare, qui prodere hostibus patriam cogitarit? Quod maleficium cum hoc scelere compa-

4. *Magna et ornata constructione.* Restituimus veterem lectionem, pro qua Gruterus e MSS quibusdam dedit « lævi et ornata ». Sed id verbum h. l. est alienum. Nec enim hic de compositione verborum ea, ex qua lævitas orationis nascitur, sermo est, ut patet e sequentibus. Et illa lævitas etiam in aliis figuris esse debet : nec semper in gravi figura locum habet. Verbum constructionis decepit auctorem hujus lectionis, quod hic non eo sensu dicitur, quo est, quum de structura verborum ad efficiendum numerum dicitur. Ern. — Quem Sch. probat et sequitur.

5. *Sive translata.* In vulgatis additur « sive extranea ». Sed hæc ipsa sunt translata : et absunt illa a MSS plerisque et edd. pr. nisi quod in nonnullis libris, ut in ed. Junt. « sive translata » absunt. Si quis hæc delere malit, non valde repugnem. Nam et infra, cap. 31, opponuntur « nomen suum » et *extraneum* : quamquam *suo* rectius opponitur *extraneum*, quam *proprio*. Ern. — *Extranea* nihil aliud est quam *translata*. Alterutrum certe ex interpretatione grammatici ortum. Sch.

6. *Unamquamque in rem*, pro « ad unamquamque rem », e libris melioribus et edd. pr. Et hæc forma est auctori frequens, ut bene monuit J. Gronovius. Ern.

7. *Nam quis est vestrum, judices*, etc. Tulliana prorsus in hoc exemplo dicendi suavitas, plena oratio; satis etiam animosa; sed omnis ille calor e verbis natus. Mox languet et ad extremum, inter epitheta aliaque magna verba deficit. Nulla nempe aderat veræ alicujus rei imago, quam intuendo accenderetur oratoris animus.

rari, quod huic maleficio dignum supplicium potest inveniri? In iis, qui violassent ingenuam[8], matremfamilias constuprassent, pulsassent[9] aliquem, aut postremo necassent, maxima supplicia majores[10] consumpserunt: huic truculentissimo ac nefario facinori singularem pœnam non reliquerunt[11]? Atque in aliis maleficiis ad singulos, aut ad paucos ex alieno peccato injuria pervenit; hujus sceleris qui sunt affines, uno consilio universis civibus atrocissimas calamitates machinantur. O feros animos! o crudeles cogitationes! o derelictos homines ab humanitate! qui id agere ausi sunt[12], aut cogitare potuerunt, quo pacto hostes, revulsis majorum sepulcris, dejectis mœnibus, ovantes irruerent in civitatem; quomodo deum templis spoliatis, optimatibus trucidatis, aliis abreptis[13] in servitutem, matribusfamilias et ingenuis sub hostilem

8. *Violassent ingenuam.* Sic MSS plures et edd. pr. quod servavimus. Intelligi enim altera lectio potest: *ingenuum.* Sed in hac re magis ingenuæ virgines commemorantur, quam ingenui, ut mox in « matribusfamilias et ingenuis » virgines intelliguntur, quod per glossam in nonnullis ibi additum est. Ern. — *Ingenuum* MS Cauch. Duisb.

9. *Pulsassent.* Sch. *verberassent.* Hoc, inquit, e Voss. 1, probante Oud. recepimus.

10. *Majores consumpserunt.* Hic quoque ut supra *nostri* delevi, quod a MSS quibusdam bene abest. Ern.

11. *Non reliquerunt?* Sch. « non reliquerunt ». Reduxi, inquit, puncti signum; nam interrogandi nota, quam Ernest. adscivit, sententiam pervertit; auctor enim significat, quoniam in proditores patriæ satis idonea pœna non possit excogitari, propterea majores singularem pœnam huic facinori non reliquisse. Sch. — Intelligere videntur quum Schützius, tum Ern. et J. V. L. qui notam interrogandi habent: « Insitutam reliquerunt ». Malim autem interpretari, deleta interrogandi nota, *Consumptis* in alia scelera suppliciis, nullum *superesse* quod huic tanto sceleri proprium esse possit.

12. *Qui id agere ausi sunt.* Omnes libri consentiunt in « quid agere ausi sunt ». Quæ lectio, ut opinor, manifeste vitiosa est: scribendum est « qui id agere », præsertim quum mox in altera parte sit, « qui se n. p. » Vitium unde ortum sit unicuique occurret. Ern. — Quem Sch. sequutus est.

13. *Aliis abreptis in s.* Sic pro *arreptis* MSS duo apud Oudend. ed. 1474; et non dubitavi recipere. Est enim verbum proprium in ea re. « Arripere in servitutem » non dicitur.

libidinem subjectis, urbs acerbissimo concidat[14] incendio [conflagrata][15]; qui se non putant, id, quod voluerint, ad exitum perduxisse, nisi sanctissimæ patriæ miserandum scelerati viderint cinerem. Nequeo verbis consequi, judices, indignitatem rei : sed negligentius id fero, quia vos mei non egetis. Vester enim vos animus amantissimus reipublicæ facile edocet[16], ut eum, qui fortunas omnium voluerit prodere, præcipitem proturbetis ex ea civitate[17], quam iste spurcissimorum hostium[18] dominatu nefario [19]voluerit obruere ».

IX. (IX.) In mediocri figura versabitur oratio, si hæc, ut ante dixi, aliquantulum demiserimus, neque tamen ad infimum descenderimus, sic : « Quibuscum bellum gerimus, judices[1], videtis; cum sociis, qui pro nobis pugnare, et imperium nostrum nobiscum simul virtute et industria conservare soliti sunt. Hi

14. *Concidat.* Sch. *concideret.* Ita scribendum fuit, inquit, propter legitimam temporum consecutionem; sicut antea est *irruerent.*

15. *Incendio* [*conflagrata*]. Verbum ultimum sine dubio spurium est. Eleganter apud Ciceronem et alios urbs « incendio concidere » dicitur, sine tali appendice. Uncis verbum inclusi. Ern. — Sch. delevit.

16. *Facile edocet.* Sch. « facile ducet ». Sic vere, opinor, inquit, emendavi. Vulg. *edocet.* In cod. Aug. *docet.* Neutrum constructioni sequentium verborum aptum.

17. *Proturbetis ex ea civitate.* Sic et sine libris correxissem pro *pert.* Sed MSS plures sic habent, et ed. 1474, et aliæ. Mox ex iisdem dedi *iste* pro *ipse*, quod pariter sua sponte evidens est. Ern.

18. *Quam iste spurcissimorum hostium.* Sch. « quam iste spurcissimus hostium ». Nam hostibus, inquit, hoc epitheton vix convenit, proditori autem patriæ recte tribuitur. — At ii hostes spurcissimi dici possunt, quorum *nefarius* est dominatus. Et totus hic de hostium victoria, non de ulla tyrannide, locus.

19. *Voluerit.* Sch. *voluit*, e MSS Oud. qui prætulerat. Et sic Med. 1498.

IX. 1. *Quib. bellum gerimus, judices.* Argumentum hujus exempli sumptum est ex historia belli Socialis vel Italici, et quidem ex accusatione alicujus, qui reus esset majestatis ob Latinos ad bellum incitatos, aliqua spe proposita. Id patet ex fine loci et e verbis « Fregellani non sua sponte conati sunt », item e cap. 11, et quia alloquitur *judices.* Tales quæstiones factas esse, et credibile fit ex historia belli, et tradidere veteres. Ern.

quum se, et opes suas, et copiam necessariorum norint[2]; tum vero nihilominus[3] propter propinquitatem, et omnium rerum societatem, quid in omnibus rebus[4] populus romanus posset, scire[5] et existimare poterant. Hi, quum deliberassent nobiscum bellum gerere[6], quæso, quæ res erat, qua freti bellum suscipere conarentur, quum multo maximam sociorum partem in officio manere intelligerent? quum sibi non multitudinem militum, non idoneos imperatores, non pecuniam publicam præsto esse viderent? non denique ullam rem, quæ pertineret[7] ad bellum ad-

2. *Hi quum se, et opes suas, et copiam nec. norint. Norint* pro *norunt* latinitas cogit legere, et sic habent MSS quidam et ed. 1474 et seqq. usque ad Aldum, qui *norunt* dedit. Valde etiam inclino, ut pro *necessariorum* scribatur *necessario* e codd. scr. quibusdam : quod elegans est « necessario nosse », et sequentibus bene respondet. Necessarios pro sociis non memini me reperire, et copia eorum est in opibus. Tum vero ne apta quidem est « copia sociorum ». Nam « opes suas nosse » sine dubio non in partem meliorem dicitur : nam infra dicit « nullis copiis » bellum suscepisse. Unde fit, ut etiam *copias* scribendum sit, aut « et copiam » plane delendum, quod magis placet. Ita fieret : « qui quum se, et opes suas necessario norint, tum vero, etc. » Ern. — Quam lect. Sch. protulit ex Ernestii auctoritate et cod. Voss. 1, 3, Leid. 1, 2, in quibus legitur *necessario :* tamen *norunt* pro *norint* reposuit ex codd. Voss. 1, Leid. 1, 4.

3. *Nihilominus* MS Cort. delet, quod placet : nec enim intelligere possum, quorsum dicitur. An suas opes nosse, impedit cognitionem alienarum. Ern. — Sch. in hoc loco Ernestium reprehendit : nam *nihilominus*, inquit, refertur ad antecedens *necessario*. Nempe suas opes socii necessario norant; quantæ Romanorum opes essent, etsi non *necessario* tamen *nihilominus* propter propinquitatem et omnium rerum societatem existimare poterant. Sch. — Potest etiam esse *nihilominus* pro « non minus, tam bene ». Quod fateor tamen nusquam reperisse.

4. *In omnibus rebus.* Fortasse hæc a glossatore adjecta sunt. Certe, his omissis, efficacior fit oratio. Sch.

5. *Scire et existimare.* Sic pro vulg. *æstimare* edidimus e MSS pluribus et ed. 1474 et aliis. Sæpe ei verbo *æstimare* substitutum est. Ern. quem Sch. probat.

6. *Hi, quum del. nob. bell. gerere.* « Hi quum nobiscum deliberarent bell. ger. » ed. Med. 1498. — Nec displicet *deliberarent :* nam inter consulendum, non postquam consultum est, venit earum rerum consideratio, quibus freti agamus.

7. *Quæ pertineret ad bellum administrandum?* Sic edidi pro *pertineat*. Edd. pr. habent *pertinet*, item MSS

ministrandum? Si cum finitimis de finibus bellum gererent, si totum certamen in uno prælio positum putarent, tamen omnibus rebus instructiores ac paratiores[8] venirent; nedum illud imperium orbis terræ, cui imperio omnes gentes, reges, nationes, partim vi, partim voluntate consenserunt[9], quum aut armis, aut liberalitate a populo romano superati essent, ad se transferre tantulis viribus conarentur. Quæret aliquis Quid? Fregellani[10] non sua sponte[11] conati sunt? Eo quidem minus isti facile[12] conarentur, quo[13], illi quemadmodum discessissent[14], videbant. Nam rerum imperiti, qui uniuscujusque rei de rebus ante gestis

apud Oudend. ex quo fecere post *pertineat*, quum deberent facere *pertineret*. —Quod pertinebat ad bellum Sociale administrandum, ad omnia bella pertinet. Lege *pertineret*, si referas ad bellum Sociale; si ad omnia bella, serva *pertinet*.

8. *Ac paratiores.* Libri quidam scr. et edd. vett. habent « et apparatiores ». Quod recipi volebat Oudend. Mihi vulg. magis placet. *Instructi* et *parati* perpetua forma est Latinorum. Ern.

9. *Voluntate consenserunt.* Lambinius *concesserunt*, quod est in Suffridi nostri libris, et melius videtur. Grut. — Ernestius in *consenserunt* aliquid quoque exquisiti invenit. Sch. *concesserunt* prætulit, Gronovio quoque probatum. Et quidem vi consentire parum placet.

10. *Quid? Fregellani.* Fregellæ, Latii urbs, quæ ann. Urb. 628 rebellis, ab Opimio prætore per proditionem expugnata est et excisa. De ea re vid. Liv. Epit. 60; Vell. II, 6, 4; Cic. Inv. I, 8, 11, II, 34, 6; Phil. III, 6; hoc libro, infra, cap. 15 et 27. Wetz.

11. *Sua sponte.* H. e. nulla re inducti, nulla spe freti, ut est infra, « nullo suadente aut impellente ». Hic, ut in superiori exemplo, causa esse videtur Romani alicujus, qui sociam gentem ad rebellionem incitasse accusetur.

12. *Minus isti facile.* Schütz. « isti minus facile ». Transposuimus, inquit, vocabulum *minus* lucidi ordinis causa. Et sic cod. Aug. et edit. Mediol. 1498.

13. *Quo, illi.* Ern. vult supplendum esse *magis*. Sch. *quod*. Sic ed. Med. 1498. Et, puto, verum est. Cod. Aug. *qui*. — *Isti*, quorum causa agitur; *illi*, Fregellani.

14. *Quemadmodum discessissent.* Sic edidi pro *descissent*, quod vix commode h. l. explicari potest, e vestigiis MSS et edd. vett. inpr. 1474, in qua est *dissessissent;* quod manifeste operæ dedere pro *discessissent*. — *Quemadmodum discessissent*, i. e. quam male multati atque afflicti: quem sensum etiam sequentia desiderant, quæ ex isto colliguntur. Ern. quem Schütz. probat. Cod. Aug. *decidissent*.

exempla petere non possunt, ii per imprudentiam facillime deducuntur in fraudem: at ii, qui sciunt, quid aliis acciderit, facile ex aliorum eventu, suis rationibus possunt providere. Nulla igitur re inducti, nulla spe freti arma sustulerunt? Quis hoc credat, tantam amentiam quemquam tenuisse, ut imperium populi romani tentare auderet, nullis copiis fretus? Ergo aliquid fuisse necesse est: quid aliud, nisi[15] id, quod dico, potest esse?»

X. (x.) In attenuato figuræ genere[1], quod ad infirmum et quotidianum sermonem demissum est, hoc erit exemplum: « Nam ut forte hic in balneas venit, cœpit, postquam perfusus est[2], defricari. Deinde, ubi visum est[3], ut in alveum descenderet, ecce ibi iste de transverso, Heus, inquit, adolescens, pueri tui modo me pulsaverunt; satisfacias oportet. Hic, qui id ætatis ab ignoto præter consuetudinem appellatus esset, erubuit. Iste clarius eadem et alia dicere cœpit[4]. Hic

15. *Quid aliud, nisi id.* Facilior oratio esset, si scriberetur « quod quid aliud, etc. », et vix aliter scripsit auctor. Ern. cujus conjecturam Schütz. admisit.

X. 1. *In attenuato figuræ genere.* Sch. *attenuatæ* e cod. Erf. quod probavit Oud. — De variis figurarum, generibus, conf. Orat. XXIII; Quint. XII, 10. — *Hic in balneas venit.* Hic est adolescens quem petulans iste, de quo infra lacessit conviciis. At J. V. L. *hic* et *iste* de eodem dictum intelligit.

2. *Postquam perfusus est.* Pith. habet « postquam ceromate perfusus est », quod Grævius hactenus probabat, si *ceroma* pro *ceroto* dictum esset. Voss. 2 habet « perf. est oleo ». Mihi utrumque videtur e glossa natum. *Perfusus* dicitur pro *perunctus*. Sch.

3. *Deinde, ubi visum est, ut in a. descenderet.* In his vitium esse, facile patet latine docto, et varias lectiones inspicienti. Oudend. probat lectionem MSS quorumdam et ed. Mediol. pr. « ubi visum est in alveum ire »: et est lectio bona: sed *descendere* non est factum ex *ire;* cur non « in alveum descendere? » et hoc recepissem, nisi suspicarer in « visum est » aliquid latere corruptionis. Ern. — Sch. « ubi visum est ire, ut in alveum descenderet ». Sic, inquit, cod. Voss. 1, 3, Leid. 2, et cod. Aug. Nempe ab eo loco, ubi adolescens unctus et defricatus erat, ire oportebat ad alveum, in quem erat descensurus.

4. *Dicere cœpit.* Sch. delet *cœpit*, h. l. ut infra, infinitivum historicum anteponens.

vix tandem inquit : Sine me considerare [5]. Tum vero iste [6] cœpit clamare voce ista, quæ vel facile cuivis rubores elicere posset : Ita petulans es atque [7] acer,

5. *Sine me considerare.* Nempe quod tibi satisfaciam, Sch. — Melius J. V. *Leclerc :* quomodo res acta sit.

6. *Tum vero iste*, etc. Totus hic locus est ejusmodi, ut eum corrigere me posse desperaverim. Itaque tantum lect. varias enarrabo, si quis quid inde extricare possit. MSS quidam apud Oudend. delent *cœpit*, quod placet Oudend. Alii, *clamare*. Edit. 1474 habet « Tum vero iste clara voce cœpit ista, quæ facile cuivis ruborem adjicere possent » : quo nihil melius reperi. Pro *elicere* quidam *injicere*, pro *pone* edd. vett. *penes*. Non est tanti in hoc loco multum frustra laborare. Ern. — Schütz. delevit « voce ista », eo confidentius, inquit, quo ineptius diceretur solam vocem scurræ cuivis posse rubores elicere. In quibusdam est « magna voce », in aliis « clara voce », ut dubium non sit glossatorum manus h. l. contaminasse. Idem Schütz. « quod facile vel cuivis ». Nempe, inquit, quum a glossatore « voce ista » additum esset, quæ sequuntur cum voce ista construi cœperunt; pendent autem a *clamare*. Itaque rescripsi *quod*. Si tamen *quæ* servare quis velit, non impedio, modo tum *possint*, ubi nunc est *possit*, scribatur.— « Quæ perfacile » ed. Med. 1498, pro « vel facile ».

7. *Ita petulans es atque acer, ut ne ad solarium quidem idoneus, ut mihi videtur, sed pone scenam, et in ej. locis ex. sis.* Sch. « Ita petulans es ac protervus, ut ne ad solarium quidem, ut mihi videtur, sed pone scenam et in ejusmodi locis exercitus sis ». Cod. Duisb. « Ita petulans es aterve ad salutandum quidem, etc. » Cod. Erf. et Cauch. « Ita petulans es atque acer, ut ne ad salutarium quidem, ut mihi videtur, sed penes scenam ». Primum, inquit Schütz. delevi vocabulum *idoneus*, quod Grævius in nullo suorum codd. invenit, præterquam in Pith. abest etiam ab edd. vett. ut Omnib. 1476 et Med. 1478. Neque vero Oud. in codd. suis reperit *idoneus*, præter Leid. 1, in quo vitiose scriptum *idoneus es*. Ergo *idoneus* accessit a glossatore. Sed mirum est, neminem interpretum verum hujus convicii sensum assequutum esse. Scurra ille quum dicit « satisfacias oportet », tecte adolescenti stuprum minatur. Notum est enim constuprationes masculorum nonnumquam ulciscendi causa factas esse. Huc referendum illud Horatii de pœnis adulterorum : « hunc perminxerunt calones ». Ad illam igitur stupri comminationem, et ad convicium quod sequitur, pertinet, quod dicitur « homo id ætatis erubuisse ». Convicium autem « ita petulans . . . . . exercitus sis », adolescenti impudicitiam exprobrat, innuitque, eum non solum ad solarium, fortasse a singulis, sed etiam pone scenam in conspectu multorum, et a pluribus muliebria passum esse. Hinc omnia quæ sequuntur clarescunt. E contrario qui hæc ad eloquentiam, ut Lambinus, vel ad salutandi officium traxerunt, prorsus a sententia aberrarunt, nec docere potuissent, si quis quæsisset, quomodo ejusmodi dicta adolescentulo rubores excitare, aut quomodo propterea scurra ruborem exhausisse dici posset. Ceterum pro « atque acer » de-

ut ne ad solarium quidem idoneus, ut mihi videtur, sed pone scenam[8], et in ejusmodi locis exercitatus sis. Conturbatus est adolescens : nec mirum, cui etiam nunc pædagogi lites ad auriculas versarentur, imperito ejusmodi conviciorum. Ubi enim iste[9] vidisset scurram exhausto rubore[10], qui se putaret nihil habere, quod de existimatione perderet, ut omnia sine famæ detrimento facere posset? » Igitur genera figurarum ex ipsis exemplis[11] intelligi poterunt. Erit enim et attenuata[12] verborum constructio quædam, et item alia in gravitate, alia posita in mediocritate.

(XI.) Est autem cavendum, ne, dum hæc genera consectamur, in finitima et propinqua vitia veniamus. Nam gravi figuræ, quæ laudanda est[13], propinqua est ea, quæ fugienda est, quæ recte videbitur appellari, si sufflata[14] nominabitur. Nam ut corporis bonam

dimus *protervus*, quo nos varietas lectionis *aterve* in cod. Duisb. duxit. Pro *exercitatus* in compluribus MSS rectius scribitur *exercitus*. Sic dicitur « exercere scortum ». — Hæc Schütz. ingeniosa fortasse, sed longe quæsita; melius gallicus interpres, qui solarium monet esse locum in foro prope Rostra, ubi homines inprimis urbani convenire solebant. Plin. VII, 60; Censorin. cap. 32; Cic. pro Quint. cap. 18. Idem interpres putat esse honestam aliquam sedem in theatro.

8. *Pone scenam*. Quid lateat sub hac voce nescio. Erat pone scenam porticus; plebeiis forte cœtibus frequens.

9. *Ubi enim iste*. Scribendum *ille*. Nam *iste* semper pertinet ad improbum et molestum adolescenti balatronem. Ern. — Scripsit et Schütz. *ille*, eadem ratione.

10. *Exhausto rubore*. Erubescenda facere ita solitus, ut jam non erubescat.

11. *Ex ipsis exemplis*. Sch. *istis* e cod. Duisb. *E suis* ed. Med. 1498.

12. *Et attenuata*. Sch. « et in attenuata ». Sic, inquit, sensus poscit : sed vereor, ne tota hæc appendicula, « Erat enim... mediocritate » glossatori debeatur.

13. *Quæ laudanda est ... quæ f. est*. Hæc sapiunt glossatorem. Puer sit, qui talia addiderit ipse. Ed. pr. habet cetera sic : « gravis figura propinqua est ei, etc. » Ern. — Schütz. hæc omnino rescidit sciolorum, inquit, assumenta, ediditque « nam gravi figuræ propinqua est ea, quæ recte videbitur, etc. »

14. *Si sufflata nom*. Omnes scr. et edd. vett. habent *suffulta*. Primus, quod repererim, P. Victorius apud Junt. edidit *sufflata*, per conjecturam, ut opinor, e sequentibus du-

habitudinem tumor imitatur sæpe; ita gravis oratio sæpe imperitis videtur ea, quæ turget et inflata est, quum aut novis, aut priscis verbis, aut duriter aliunde translatis, aut gravioribus, quam res postulat, aliquid dicitur, hoc modo: « Nam qui perduellionibus venditat[15] patriam, non satis supplicii dederit, si præceps in Neptunias depulsus erit[16] lacunas. Pœniteat[17] igitur istum, qui montes belli fabricatus est, campos sustulit pacis ». In hoc genus plerique quum[18] declinassent, et ab eo, quo profecti sunt, aberraverunt, et specie gravitatis falluntur, nec prospicere[19] possunt orationis tumorem.

XI. Qui in mediocre genus orationis profecti sunt, si pervenire eo non potuerunt[1], errantes perveniunt ad confine genus ejus generis[2], quod appellamus flu-

ctam, quæ hanc correctionem facile afferunt. *Suffultam* interpretantur *suffarcinatam*, de muliere quæ simulat gravidum uterum. Ern. — Est *sufflata* in Bruto, 55.

15. *Perduellionibus venditat.* Lambinus, « perduellibus vendit ». Sed illa lectio haud dedecet exemplum orationis inflatæ ac turgidæ. Sch.

16. *Depulsus erit.* Sic edd. vett. etiam multi MSS, quod et Græv. edi volebat. Vulgo *depultus*, quod primum in ed. Mediol. 1498 reperi, sequutusque est Aldus cum ceteris. Putant esse obsoletum verbum, et comparant *pulto* Plauti: sed id est pro *pulsito*, ut opinor. — Ut hic « Neptuniæ lacunæ », sic apud Lucret. III, 1044, sunt « salsæ lacunæ ». Ern.

17. *Pœniteat igitur* ex edit. 1474 pro *pœnitet*. Vult enim dicere, ut e præcedentibus patet, pœnas det, ut eum pœniteat. Ern.

18. *Quum declinassent.* Græv. et Oud. e MSS bonis corrigunt *declinant*. Sed nec sic structura legitima constat. Puto legendum: « In hoc g. plerique declinant, quum ab eo, etc. » Sic omnia bene constant. Ern.

19. *Prospicere.* Scribendum *perspicere*, quod est in libris scriptis et ed. Med. prima. Ern. — Sic habet Sch.

XI. 1. *Potuerunt.* Edd. 1474, 1475, Med. 1498, Junt. Ald. etc. recte pro vulgato *poterunt*; item MSS apud Oudend. et nostri. Ern.

2. *Ad confine genus ejus generis.* Pro *confine* Græv. cum aliis mavult « confinium ejus generis » e MSS et edd. quibusdam antiquis. Sed hoc minus est, quam res postulat. Non enim ad confinium eos pervenire judicat, sed ad genus ipsum. Sed alterum « ejus generis » forte delendum: nam etsi per se stare potest, tamen ambiguam orationem facit. In ceteris ita fluctuant scr. et edd. ut nihil certi sit. Vulgatum bene habet. Ern. — Sch. « ad confinium ejus generis ». Sic, inquit, cod. Erf. Cauch. et alii MSS.

ctuans et dissolutum[3]; eo quod sine nervis et articulis fluctuat huc et illuc, nec potest confirmate, neque viriliter[4] sese expedire. Id est hujusmodi: « Socii[5] nostri quum belligerare nobiscum vellent, profecto ratiocinati essent etiam atque etiam, quid possent facere, si quidem sua sponte facerent, et non haberent hic adjutores multos, malos homines[6] et audaces. Solent enim diu cogitare omnes, qui magna negotia volunt agere», Non potest hujusmodi sermo tenere attentum auditorem : diffluit enim totus, neque quidquam comprehendens[7] perfectis verbis amplectitur. Qui non possunt in illa facetissima verborum attenuatione commode versari, veniunt ad aridum et exsangue genus orationis, quod non alienum est exile nominari, cujusmodi est hoc : « Nam istic ille ad balneas[8] accessit; ad hunc postea dicit : Hic tuus servus me pulsavit. Postea dicit hic illi : Considerabo. Post ille huic convicium fecit, et magis magisque præsentibus multis

3. *Quod app. fluctuans et dissolutum*. Palat. quintus et Fabr. respuunt « fluctuans et » ; ceteri vero Pall. excludunt « et dissolutum », retento illo *fluctuans*. Et malim sane primum. Grut. — Totus hic locus inversione et transpositione verborum in edit. Mediol. 1498 commutatur sic : « quod appellamus dissolutum, quod est sine verbis et articulis, ut hoc modo appellem fluctuans, eo quod fluctuat huc et illuc ».

4. *Nec potest confirmate, neque viriliter*. Scripsi ita cum Palatino quarto et Bruilerensi ac Fabr. Vulgata, « nec potest confirmare, nec viriliter ». Nam Lambinus quidem reposuit « nec potest sese confirmare, nec », verum præter libros nostros. Grut.

5. *Socii nostri*. Hoc ad eamdem causam referendum, de qua diximus ad cap. 8.

6. *Et non haberent hic adj. multos, malos homines*. Edd. primæ *hinc*; item MSS quidam. Non male. Sed copulam post *multos*, auctoribus bonis libris scr. et edd. delevi. Ern. — *Multos homines, malos* edit. Omnib. et placet Oudendorpio. Sch.

7. *Comprehendens*. Videtur redundare. Ceterum intelligitur, exemplo posito, sermonis genus dissolutum intelligi, in quo nulla sit structura apta membrorum. Ernest.

8. *Nam istic ille ad balneas*. Vide Lexicum Antiquitatum Romanarum Pitisci, tom. I, p. 246-248; Vitruv. lib. V, cap. 10; Rosin. Antiq. Rom. etc. J. V. L.

clamavit». Frivolus hic quidem jam et illiberalis est sermo. Non enim adeptus est id, quod habet attenuata figura, puris verbis et electis compositam orationem. Omne genus orationis, et grave, et mediocre, et attenuatum, dignitate afficiunt exornationes, de quibus post loquemur: quæ si raræ disponentur, distinctam, sicuti coloribus; si crebræ collocabuntur, oblitam reddent[9] orationem. Sed figuram in dicendo commutari oportet, ut gravem mediocris, mediocrem excipiat attenuata. Deinde identidem commutentur[10], ut facile satietas[11] varietate vitetur.

XII. (XII.) Quoniam, quibus in generibus elocutio versari debeat, dictum est, videamus nunc, quas res debeat habere elocutio commoda et perfecta. Quæ maxime [admodum] oratori accommodata est[1], tres res in se debet habere, elegantiam, compositionem, dignitatem. Elegantia est, quæ facit, ut unumquodque pure[2] et aperte dici videatur. Hæc distribuitur in latinitatem, et explanationem. Latinitas est, quæ

9. *Oblitam reddent*, pro *reddunt*, ex ed. 1474. *Oblitam* bene vulgati pro vetere *obliquam*, ex ed. Ald. quæ prima sic dedit. Distinguere coloribus artis est; *oblinere* quisque potest. Ernest.

10. *Deinde identidem commutentur.* Hic mihi mendi aliquid latere videtur; nam quum antea dixerit « figuram in dicendo commutari oportet », parum aptum mihi videtur nunc addere « deinde identidem commutentur ».

11. *Ut facile satietas. Facile* spurium credo, ortum ex initio sequentis verbi, quod fere in MSS et edd. pr. scribitur satietate. Ern. — Sch. delet *facile*, ut inepte additum.

XII. 1. *Quæ maxime [admodum] oratori acc. est.* Si lectio hæc vera est, *maxime* et *admodum* ut synonyma junguntur. Quod non usitatum bonis auctoribus. Sed habet tamen hæc synonymia aliquid duri: MSS et edd. vett. habent modo « admodum oratoris », vel *orationis* modo, « ad commodum or. » quorum nihil placet. Facillimum est cum Lambino omittere *admodum*, quod et abest a MS Leid. aut legere « ad officium oratoris », i. e. ad opus oratoris, quod in una Junt. reperi, nec displicet. Ern. — Sch. « quæ maxime ad officium oratoris ».

2. *Ut unumquodque pure.* Sic recte ed. 1474 et seqq. item MSS pro vulgato *unumquidque*, quod sero in textum venit vitiose. Ern.

sermonem purum conservat, ab omni vitio remotum. Vitia in sermone, quo minus is latinus sit, duo possunt esse : solœcismus[3], et barbarismus[4]. Solœcismus est, quum, in verbis pluribus[5], consequens verbum superiori non accommodatur. Barbarismus est, quum verbum aliquod vitiose effertur[6]. Hæc qua ratione vitare possimus, in arte grammatica dilucide[7] dicemus. Explanatio est, quæ reddit apertam et dilucidam orationem. Ea comparatur duabus rebus, usitatis verbis, et propriis. Usitata sunt ea, quæ versantur in sermone et consuetudine quotidiana : propria, quæ ejus rei verba sunt, aut esse possunt, qua de loquemur.

Compositio est verborum constructio, quæ facit omnes partes orationis æquabiliter perpolitas[8]. Ea conservabitur, si fugiemus crebras vocalium concursiones, quæ vastam atque hiantem orationem reddunt, ut hoc

3. *Solœcismus.* Nomen formatum a σολοικίζω, quod derivat Diogenes Laertius, I, 51, a Solis, Ciliciæ urbe, a Solone, ut ipse quidem vult, condita et denominata, cujus incolæ τῷ χρόνῳ τὴν φωνὴν ἀποξενωθέντες σολοικίζειν ἐλέχθησαν. Hic igitur ponit vitium solœcismi in voce, Noster in sermone qui a metaphora instituta non continuata aberrat. Wetz. — Nihil hic de metaphoris. De apta tantum et concordi junctura verborum.

4. *Barbarismus* quid sit vis ipsa verbi indicat. Illum Quintilianus, I, 5, definit vitium quod in singulis verbis sit.

5. *Quum, in verbis pluribus.* Recepi *in* e MSS meis et aliis; quod et Oud. placebat. Saltem ita intelligitur, quid sit in aliis, pluribus verbis. Ern.

6. *Vitiose effertur.* « Vitiose profertur » ed. Med. 1498.

7. *Dilucide dicemus*, pro vulgato *discemus*, e MSS et edd. vett. 1474, 1475, Med. 1498, Junt. Ald. postquam receptum est *discemus*, ut in Victor. Verbo *discemus* non aptum est *dilucide;* et fortasse propterea librarius MS Lips. omisit. Ern.—Sch. delet *dilucide.* Hoc, inquit, librarii fecerunt aberrando ad versum sequentem, ubi occurrit *dilucidam :* hic certe est ineptum. — *Dicemus* parum auctori nostro convenire videtur, qui nihil in his libris de scribendis sibi grammaticis dixit; malim igitur *discemus*, vel ut Gulielmio placuisse Gruterus ait, *discimus.*

8. *Verbor. constructio, quæ facit omnes partes or. æq. perpolitas.* Sch. « constructio æquabiliter perpolita ». Hæc verba, inquit, « quæ facit omnes partes orationis » absunt a cod. Erf. Duisb. Leid. 1, 4, Voss. 2 (et Mediol. 1498), et interpolatori debentur. Qui omittunt, legunt etiam *perpolita.*

est : « Baccæ æneæ amœnissimæ impendebant ». Et si vitabimus ejusdem literæ nimiam assiduitatem ; cui vitio versus hic erit exemplo (nam hic nihil prohibet in vitiis, alienis exemplis uti) :

O Tite, tute, Tati, tibi tanta tyranne tulisti [9]!

Et hic ejusdem poetæ :

Quidquam quisquam, cuiquam quod conveniat, neget [10].

Et, si ejusdem verbi assiduitatem nimiam fugiemus ; ea est hujusmodi : « Nam cujus rationis ratio non exstet, ei rationi ratio non est fidem habere [11] ». Et, si non utemur continenter similiter cadentibus verbis, hoc modo :

Flentes, plorantes, lacrymantes, obtestantes.

Et, si verborum transjectionem [12] vitabimus, nisi quæ erit concinna, qua de re posterius loquemur ; quo in vitio est Lucilius assiduus, ut hoc est in priore libro :

Has res ad te scriptas, Luci, misimus, Æli.

Item fugere oportet longam verborum continuationem, quæ et auditoris aures, et oratoris spiritum lædit. His vitiis in compositione vitatis, reliquum operis consumendum est in dignitate.

9. *Tulisti.* Ennii versus.

10. *Quidquam quisquam, cuiquam quod conveniat, neget.* Intelligendum puto est ne : Homo tanta impudentia, ut negare audeat alii cuilibet quamcumque rem de qua constet ? Exclamatio indignantis fortasse stupentisque simul negari sibi ea de quibus nihil dubii sit.

11. *Nam cujus rationis ratio non exstet, ei rationi ratio non est fidem habere.* I. e. nihil est cur credatur consilio, quod cur initum fuerit nulla causa sit. Hoc mihi referendum videtur ad sociorum rebellionem, quam in superioribus aliquot exemplis non nemine suadente exstitisse contendebatur.

12. *Verborum transjectionem.* I. e. quum verba sua loco ejiciuntur. Sic in sequenti exemplo male disjunxit poeta « Luci Æli ». Est vero et artificiosa transjectio, de qua vide infra.

XIII. (XIII.) Dignitas est, quæ reddit ornatam orationem, varietate distinguens. Hæc in verborum et sententiarum [1] exornationem dividitur. Verborum exornatio est, quæ ipsius sermonis insignita continetur perpolitione. Sententiarum exornatio est, quæ non in verbis, sed in ipsis rebus quamdam habet[2] dignitatem.***

Repetitio est, quum continenter ab uno aque eodem verbo in rebus similibus et diversis principia [3] sumuntur, hoc modo: « Vobis istud attribuendum est, vobis gratia habenda, vobis res ista erit honori ». Item, « Scipio Numantiam sustulit, Scipio Carthaginem delevit, Scipio pacem peperit, Scipio civitatem servavit ». Item, « Tu in forum prodire, tu lucem conspicere, tu in horum conspectum venire conaris? audes verbum facere? audes quidquam ab istis petere? Audes supplicium deprecari? Quid est, quod possis defendere? quid est, quod audeas postulare? quid est, quod tibi putes concedi oportere? Non jusjurandum reliquisti [4]? non amicos prodidisti? non parenti manus intulisti? non denique in omni dedecore volutatus es? » Hæc exornatio, quum multum venustatis habet, tum gravitatis et acrimoniæ plurimum. Quare videtur esse adhibenda et ad ornandam et ad exaugendam [5] orationem.

XIII. 1. *Et sententiarum.* Sch. « et in sententiarum ». *In* addidimus, inquit, e Voss. 1, 3, Leid. 1, 2, 3, ed. Mediol.

2. *Habet dignitatem.* Post hæc verba lacunam esse arbitror. Nam auctor hic semper proponit, de quibus dicturus sit, per partitionem: quod hic non est. Sermo autem incipit de generibus exornationis in verbis. Ern. — Hic pauca quædam verba interciderunt, quibus transitus ad singulas verborum exornationes continebatur. Fortasse de verborum exornatibus primum dicemus. Cf. cap. 34 extr. Sch.

3. *Principia*, scilic. phraseon, ut e sequentibus apparet.

4. *Non jusjurandum reliquisti?* Sch. « Non jusjurandum contempsisti ». Ita cod. Erf. Voss. 3, Leid. 2, edit. Mediol. — Omnium quæ adhuc vidi exemplorum vehementissimum istud, cujus aliquid simile in Catilinæ insectatione.

5. *Et ad exaugendam.* Recepi pro simplici *augendam* ex MSS pluribus

Conversio est, per quam non, ut ante, primum repetimus verbum, sed ad postremum continenter revertimur, hoc modo : « Pœnos populus romanus justitia vicit, armis vicit, liberalitate vicit». Item, « Ex quo tempore concordia de civitate sublata est, libertas sublata est, fides sublata est, amicitia sublata est, respublica sublata est ». Item, « C. Lælius homo navus[6] erat, ingeniosus erat, doctus erat, bonis viris et studiosis[7] amicus erat : ergo in civitate primus erat». Item, « Nam quum istos, ut absolvant te, rogas; ut pejerent, rogas; ut existimationem negligant, rogas; ut leges populi romani tuæ libidini largiantur, rogas».

XIV. (XIV.) Complexio est[1], quæ utramque complectitur exornationem, et hanc, et quam ante exposuimus, ut et repetatur idem primum verbum sæpius, et crebro ad idem postremum revertamur, hoc modo : « Qui sunt, qui fœdera sæpe ruperunt? Carthaginienses. Qui sunt, qui crudele bellum in Italia gesserunt? Carthaginienses. Qui sunt, qui Italiam[2] deformaverunt? Carthaginienses. Qui sunt, qui sibi postulant ignosci? Carthaginienses. Videte ergo, quid conveniat[3] eos impetrare ». Item, « Quem senatus damnarit, quem populus romanus damnarit, quem omnium existimatio damnarit, eum vos sententiis vestris absolvetis ? »

et edd. 1475, Med. 1498, Junt. Verbum etiam cap. 24 occurrit. Ern. — Sic plurimi MSS apud Oudendorp. ut testatur Schütz.

6. *Navus.* Hoc verum : non, ut in nonnullis editur, *novus*. Sch.

7. *Bonis viris et studiosis.* Palat. quart. sext. item Br. et Fabr. *studiis*, quam varietatem peperit insolentia verbi. Rarius enim *studiosum* pro bono et probo dici. Cicero pro Ligar. « Nisi tu eum studiosum et bonum civem judicares ». Gout.

XIV. 1. *Complexio*. Συμπλοκή. De ea Quintil. IX, 3, 31.

2. *Italiam deformaverunt.* Omnibus bellorum cladibus fœdaverunt.

3. *Quid conveniat.* Plures MSS et ed. Med. pr. habent « quam conveniat », quod præfert Oud. Fortasse *quid* natum est e *qui*. Sed vulgata bona est. Ern.

Traductio est[4], quæ facit, ut, quum idem verbum crebrius ponatur, non modo non offendat animum, sed etiam concinniorem orationem reddat, hoc pacto: « Qui nihil habet in vita jucundius vita, is cum virtute vitam non potest colere ». Item, « Eum[5] tu hominem appellas, qui si fuisset homo, numquam tam crudeliter vitam hominis petiisset. At erat inimicus. Ergo inimicum sic ulcisci voluit, ut ipse sibi reperiretur inimicus? » Item, « Divitias sine divitum esse: tu virtutem[6] præfer divitiis. Nam si voles divitias cum virtute comparare, vix satis idoneæ tibi videbuntur divitiæ, quæ virtutis pedisequæ sint ». Ex eodem genere exornationis est, quum idem verbum modo ponitur in hac, modo in altera re[7], hoc modo: « Cur eam rem tam studiose curas, quæ multas tibi dabit curas? » Item, « Amari jucundum est[8], si curetur, ne quid insit amari ». Item, « Veniam ad vos[9], si mihi senatus det ve-

4. *Traductio est.* Græce ἀνταναχλασις, repercussio, quia eodem verbo crebrius aures feriuntur. Nec aliud nomen habet figura qua verbum idem duplici sensu iteratur. Hanc Quintil. definit lib. IX, 3; sumptisque ex hoc cap exemplis, addit « Cornificius hanc traductionem vocat ». Inde orta ingens criticorum pugna, Ciceronis an Cornificii sint ad Herennium rhetorica. Ceterum hoc schema Quintil. ab annominatione vix discernere videtur, cujus fatemur esse simillimum.

5. *Eum tu hominem appellas.* Malo *hunc* cum ed. Med. 1498.

6. *Tu virtutem præfer divitiis.* Delevi *vero* post *tu*, auctore ed. Med. pr. Ita multo elegantior oratio. Ern. quem Sch. probat. Sic et Oudend. visum.

7. *Quum idem verbum modo pon. in hac, modo in altera re.* Fabius hoc idem schema de quo Noster disserit, explicans, IX, 3: « Aliter, inquit, voces, aut eædem diversa significatione ponuntur, aut productione tantum, aut correptione mutatæ: quod, etiam in jocis frigidum, equidem tradi inter præcepta miror, eorumque exempla *vitandi* potius quam *imitandi* gratia pono ». Wetz. — Severius fortasse judicavit Quintilianus de hoc verborum lusu, cujus lepidissima sunt apud Martialem exempla.

8. *Item, Amari jucundum est.* Restitui *est*, cui Grut. substituit *sit*, male. Nam versus non constat, nisi *est* legatur. Ern. — *Sit* Pal. quart. et sext. alluditque Br. in quo « Amare juc. sit ». Gaut.

9. *Veniam ad vos, si mihi senatus det veniam.* Quid ineptius hac *festivitate?* Duo alia exempla affert Fabius, IX, 3, quorum prius Noster infra

niam ». In his quatuor generibus exornationum, quæ adhuc propositæ sunt, non inopia verborum fit, ut ad idem verbum redeatur sæpius; sed inest festivitas quædam[10], quæ facilius auribus dijudicari, quam verbis demonstrari potest.

XV. (xv.) Contentio est[1], quum ex contrariis verbis aut rebus[2] oratio conficitur, hoc pacto: « Habet assentatio jucunda principia, eadem exitus amarissimos affert ». Item, « Inimicis te placabilem[3], amicis inexorabilem præbes ». Item, « In otio tumultuaris, in tumultu es otiosus[4]. In re frigidissima cales, in ferventissima friges. Tacito quum opus est, clamas: ubi loqui convenit, obmutescis. Ades; abesse vis. Abes; reverti cupis. In pace bellum quæritas; in bello pacem desideras. In concione de virtute loqueris; in prælio præ ignavia tubæ sonitum perferre non potes ». Hoc genere si distinguemus orationem, et ornati et graves poterimus esse.

Exclamatio[5] est, quæ conficit significationem dolo-

habet, cap. 21, « avium dulcedo ad avium ducit », et hoc saltem satis lepide dici possit in comœdia. Et Ovidii illud in epigrammate non dedecet: « Cur ego non dicam Furia te furiam? » Melius certe Noster tale exemplum sumpsisset ab alio, quam ipse absurda de suo protulisset.

10. *Festivitas quædam. Quædam* delendum censet Oudend. auctoritate MSS, quos consuluit, omnium et edd. pr. Sch.

XV. 1. *Contentio est.* Hæc est antithesis, de qua conf. Orat. cap. 49 et 50. Recurrit eadem infra in sententiis, 45.

2. *Verbis aut rebus.* Abest « aut rebus » ab ed. Mediol. Nec male fortasse, quum non hic omni de contentione agatur, sed de ea tantum quæ verbis conficitur.

3. *Inimicis te placabilem ... potes.* Istæ sententiæ omnes interrogative legendæ sunt. Sunt enim enthymemata e contrariis. Ern. — Sch. non interrogandi signum posuit; tantum in quibusdam libris poni testatus est.

4. *In tumultu es otiosus.* Delevimus *solus* post *tumultu*, quod bene abest a MSS duo Leid. Deberet saltem esse *solo*. Ern. quem Sch. sequutus est.

5. *Exclamatio.* Schema per quod non indignationem tantum aut dolorem, sed aliquando admirationem lætitiamve, aut alium animi motum significamus. Exemplum dedit in notis J. V. *Leclerc* e gallica tragœdia sumptum. Ceterum ea quæ nunc auctor

ris, aut indignationis alicujus, per hominis, aut urbis, aut loci, aut rei cujuspiam compellationem, hoc modo: « Te nunc alloquor, Africane [6], cujus mortui quoque nomen splendori ac decori est civitati. Tui clarissimi nepotes suo sanguine aluerunt [7] inimicorum crudelitatem ». Item, « O perfidiosæ Fregellæ, quam facile scelere vestro contabuistis [8]! ut, cujus nitor urbis Italiam nuper illustravit, ejus nunc vix fundamentorum reliquiæ maneant ». Item, « Bonorum insidiatores, latrocinio vitam innocentissimi cujusque petistis: tantamne ex iniquitate judiciorum vestris calumniis assumitis facultatem [9]? » Hac exclamatione si loco utemur, et raro, et quum rei magnitudo postulare videbitur; ad quam volemus indignationem animum auditoris adducemus.

Interrogatio [10] non omnis gravis est, neque concinna, sed hæc, quæ, quum enumerata sunt ea, quæ obsunt causæ adversariorum, confirmat superiorem orationem, hoc pacto: « Quum igitur hæc omnia faceres, diceres, administrares, utrum animos sociorum ab re-

affert, ea non tam exclamationis quam apostrophes exempla sunt.

6. *Africane.* Hic ut sequentia testantur de majore Africano mentio est, cujus clarissimi nepotes, i. e. C. et Tiberius Gracchi, miserabiliter ac fœde interfecti sunt.

7. *Aluerunt. Abluerunt* edit. Med. 1498. Ern. *aluerunt.* Sch. *abluerunt*, de quo uterque conticuit. Certe *aluerunt* multo facilius est, mihique verum omnino videtur.

8. *Contabuistis.* Ut animal tabe perit, contabescit, sic h. l. urbs contabuisse dicitur; non satis apte. Wetz.

9. *Assumitis facultatem.* Ed. 1474, MS Cort. et alii apud Oudend. *assumpsistis*, quod placet: sed non intelligo *facultatem* quid sit, nec satis judicare possum, quomodo sit corrigendum. Contra mox ante *raro* delevi *et*, quod rectissime abest a MSS quibusdam. Nam non adjunguntur ista, ut diversa, sed ut explicantia, quid sit *loco.* Ernest.

10. *Interrogatio.* De qua uberius exponit Quintil. IX, 2. — *Gravis.* I. e. pondus habens. — *Concinna.* Apta et commoda. — Non inter exponendum ea quæ obsunt causæ adversariorum utendum interrogatione censet, quia in exponendis rebus, simplicitate præsertim et explanatione opus est. Expositis autem, urgendus adversarius; qua in re plurimum valet interrogatio.

publica removebas, et alienabas [11], an non? et, utrum aliquem exornari oportuit, qui ista prohiberet, ac fieri non sineret, an non?»

XVI. (xvi.) Ratiocinatio[1] est, per quam ipsi a nobis rationem poscimus, quare quidque dicamus, et crebro nosmet a nobis petimus uniuscujusque propositionis explanationem. Ea est hujusmodi: «Majores nostri si quam unius peccati mulierem damnabant, simplici judicio multorum maleficiorum convictam putabant: Quo pacto? quoniam, quam impudicam judicarant, eam veneficii quoque damnatam existimabant. Quid ita? quia necesse est, eam, quæ suum corpus addixerit turpissimæ cupiditati, timere permultos. Quos istos? virum, parentes[2], ceteros, ad quos[3] videt sui dedecoris infamiam pertinere. Quid postea? quos tantopere timeat, eos necesse est, ut, quoquo modo possit, veneficio petat[4]. Cur? quia nulla potest honesta ratio retinere eam, quam magnitudo peccati facit timidam, intemperantia audacem, natura muliebris inconsideratam[5]. Quid veneficii damnatam[6]? quid? putabant impudicam quoque necessario. Quare? quia nulla facilius ad id maleficium causa, quam turpis amor et

11. *Et alienabas.* Sch. «et abalienabas», auctore Oud. e Voss. 1, 3, Leid. 2, 3.

XVI. 1. *Ratiocinatio.* Hæc figura, de qua silent recentiores rhetores, gallico interpreti non multum differre videtur a subjectione, de qua infra agit auctor cap. 25.

2. *Virum, parentes.* Lambin. addit *fratres*, incertum qua auctoritate. Neque vero eo hic opus est. Sch.

3. *Ceteros, ad quos...pertinet.* I. e. ad quos extenditur; qui in partem ejus infamiæ veniunt.

4. *Quoquo modo possit, veneficio petat.* Conclusio certe minime legitima. Parum igitur hic quoque profecit Noster exempla sua proferendo.

5. *Natura muliebris inconsideratam.* Cod. Pith. «natura muliebris, quare eam faciat necesse est inconsideratam». Alii, «natura muliebris faciat necesse est inconsideratam». Voculas «faciat necesse est» probat Grævius. Vulgata tamen haud deterior. Sch.

6. *Quid veneficii damnatam? quid? putabant impudicam.* Ed. Med. 1498, «Quid quam veneficii damnatam putabant; impudicam».

intemperans libido commovere potuit : cujus mulieris animus[7] esset corruptus, ejus corpus castum esse non putaverunt. Quid in viris? idemne observant? minime. Quid ita? quia viros ad unumquodque maleficium singulæ cupiditates impellunt : mulieres ad omnia maleficia cupiditas una ducit». Item, « Bene majores hoc comparaverunt, ut neminem regem, quem armis cepissent, vita privarent. Quid ita? quia, quam nobis facultatem fortuna dedisset, iniquum erat in eorum supplicio consumere, quos eadem fortuna paullo ante in amplissimo statu collocarat. Quid quod exercitum contra duxit? desino meminisse. Quid ita? quia viri fortis est, qui de victoria contendant, eos hostes putare; qui victi sunt, eos homines judicare, ut possit bellum fortitudo minuere, pacem humanitas augere. At ille, si vicisset, num idem fecisset? non profecto tam sapiens fuisset. Quid igitur ei parcis? quia talem stultitiam contemnere, non imitari consuevi ». Hæc exornatio ad sermonem vehementer accommodata est, et animum auditoris retinet attentum, tum venustate sermonis[8], tum rationum exspectatione.

XVII. (XVII.) Sententia est oratio sumpta[1] de vita, quæ aut quid sit, aut quid esse oporteat in vita, breviter ostendit, hoc modo[2] : « Difficile est primum virtutes revereri[3], qui semper secunda fortuna sit usus».

7. *Cujus mulieris animus.* Delevi hic sine libris auctoribus « cum (cum cujus m.) » ob evidentiam vitii. Est enim in his manifeste consequens rationis præcedentis. Ortum est verbum e *cujus*. In nonnullis additum reperi etiam *quare*. Sed mox *hoc* post *idemne* delevi auctoribus bonis libris apud Oud. Item *nostri* post *majores*. Ern.

8. *Tum v. sermonis, tum rat. exsp.* Remittit enim animum illa sermonis facilitas, a contentione fori remota; simul interrogationibus suspensa oratio detinet auditorem exspectatione rationum.

XVII. 1. *Sumpta de vita.* Id est, de ingenio hominum aut moribus, aut etiam de officiis.

2. *Hoc modo.* Sch. « hoc pacto » e MSS omnibus, Oudend. et ed. Med.

3. *Difficile est pr. virtutes revereri.* Est hoc a Gulielmanis omnibus ac

Item, « Liber is est existimandus, qui nulli turpitudini servit[4] ». Item, « Egens æque est is[5], qui non satis habet, et is, cui nihil satis potest esse ». Item, « Optima vivendi ratio est eligenda : eam jucundam consuetudo reddet ». Hujusmodi sententiæ simplices non sunt improbandæ, propterea quod habet brevis expositio, si rationis nullius indiget, magnam delectationem. Sed illud quoque probandum est genus sententiæ, quod confirmatur subjectione rationis, hoc modo : « Omnes bene vivendi rationes in virtute sunt collocandæ, propterea quod sola virtus in sua potestate est, omnia præter eam subjecta sunt sub fortunæ dominationem[6] ». Item, « Qui fortunis alicujus inducti amicitiam ejus sequuti sunt, hi, simul ac fortuna dilapsa est, devolant omnes. Quum enim recessit ea res, quæ fuit consuetudinis causa, nihil superest, quare possint in amicitia retineri[7] ». Sunt item sententiæ, quæ dupliciter efferuntur, sine ratione[8], et cum ratione.

Pal. pr. tert. quint. Antea cuni *virtutem;* nisi quod Lambinus adhæserat conjecturæ Ranconeti « plurimum virtutem » : non necessario; nam *primum* notat hic « in primis, ante omnia ». Gaut.—Sic Horat. « O cives, cives, quærenda pecunia primum est ».—J. V. L. conj. Ranconeti accedit in notis.

4. *Liber ...qui n. turp. servit.* De hoc vid. Cic. Parad. 5.

5. *Egens æque est is*, etc. Vid. Cic. Parad. 6.

6. *Subj. sunt sub fortunæ dominationem.* Hanc lectionem recte veram judicant J. Gron. Græv. Oud. reperiturque in libris bonis. Plures habent apud Oudend. etiam Lips. edd. pr. *dominatione;* quod est factum ex *dominationem*, ut mollius esset; idque rursus correctum in vulgatum, « fort. dominationi », quod primus dedit Aldus. Sæpe utitur Cicero hac forma, præsertim in divisionibus et partitionibus. Bis eodem loco Tuscul. V, 2. Ern. — De re vid. Cic. Parad. 2.

7. *Quare p. in am. retineri.* Sch. *teneri.* Sic, inquit, cod. Erf. Cauch. Duisb. Voss. 1, 2, Leidd. probant. Græv. et Oud.

8. *Sine rat. et cum ratione.* Verba isthæc addidi ex auctoritate Pal. pr. ac tertii. Reliquis exciderunt, ob repetitionem vocum similium. Gaut.— Delent hæc quidam MSS et edd. sed ratio perpetua auctoris proponendi in talibus servari jubet. Ern. — Delenda tamen, si verum loci sensum percepi. *Dupliciter ..... efferuntur* sententiæ, non quæ sine ratione primum; deinde cum ratione proferuntur; sed quæ *duplicantur*, id est, quæ, ut in sequentibus exemplis, negative pri-

Hoc modo sine ratione : « Errant, qui in prosperis rebus omnes impetus fortunæ se putant fugisse. Sapienter cogitant, qui temporibus secundis casus adversos reformidant[9] ». Cum ratione, hoc pacto : « Qui adolescentium peccatis ignosci putant oportere, falluntur, propterea quod ætas illa non[10] est impedimento bonis studiis. At hi[11] sapienter faciunt, qui adolescentes maxime castigant, ut, quibus virtutibus omnem vitam tueri possint[12], eas in ætate maturissima velint comparare ». Sententias interponi raro convenit, ut rei actores, non vivendi præceptores esse videamur. Quum ita[13] interponentur, multum afferent ornamenti. Necesse est enim[14], eam comprobet tacitus auditor, quum ad causam videat accommodari rem certam, ex vita et moribus sumptam.

XVIII. (XVIII.) Contrarium idem fere est[1], quod con-

mum, deinde affirmative enuntiantur.

9. *Errant, qui in prosp. rebus... reformidant.* Idem omnino Horat. Carm. II, 10, 13 : « Sperat infestis; metuit secundis Alteram sortem bene præparatum Pectus ». Auctori nostro sententia *dupliciter* profertur *sine ratione;* Horatio simpliciter.

10. *Quod ætas illa non.* Hic locus vitiosus est, nec habet commodum sensum, sive deleas *non*, ut J. Gron. placet, e MS Med. sive serves. Gron. putat hoc referri ad *ignosci :* sed ita non esset ratio sententiæ, quæ esse debet : nec sensus est in verbis, quem iis attribuit. Ern. — In hoc loco quid doctissimum virum offenderit non intelligo. Sensus enim planus et apertus est, ut jam Wetzelius monuit.

11. *At hi sap.* Hæc Priscian. lib. III, p. 80, citat e libro quinto. Ern.

12. *Tueri possint.* Sic edit. 1474, 1475, Med. utraque Junt. Ald. etc. non *possunt*, ut est in vulgatis. Ern. — *Tueri.* I. e. ornare, instruere.

13. *Quum ita interponentur.* Scil. raro.

14. *Necesse est enim, eam.* Sic dedi pro vulg. « Nam n. est animo e. » *Animo* factum est ex *enim*, quod clare habet MS noster, a quo et *nam* abest, et ed. 1474. Item *animo*. Sic et ed. 1471 habet. Ern. — Nobis videtur hujus loci sensus obscurior; qui clara luce splenderet, si scriberetur : « Necesse est enim, causam comp. t. aud. quum ad eam, etc. » Nempe hoc dicit auctor, ut probet sententias, si raro interponantur, orationi ornamento esse. Qui vulgatam servant, subaudiendum post *eam* putant *sententiam*, qui singularis, ut ait Wetzelius, latet in plurali *sententias*.

XVIII. 1. *Contr. idem fere est, quod contentio.* Hæc absunt a MS Lips. recte, ut opinor. Ern. — Sch.

tentio. Contrarium est, quod ex rebus diversis duabus alteram breviter et facile confirmat, hoc pacto : « Nam, qui suis rationibus inimicus fuerit semper, eum quomodo alienis rebus amicum fore speres? » Et item[2], « Nam, quem in amicitia perfidiosum cognoveris, eum quare putes inimicitias cum fide habere[3] posse? » Et, « Qui privatus intolerabili superbia fuerit, eum commodum[4] et sui cognoscentem fore in potestate[5], qui speres? » Et, « Qui in sermonibus et conventu amicorum verum dixerit numquam[6], eum sibi in concionibus credis a mendacio temperaturum? » Item, « Quos ex collibus dejecimus, cum iis in campo metuimus dimicare? Qui quum plures erant, paucis nobis exæquari non poterant; hi postquam pauciores sunt, metuimus, ne sint superiores? » Hoc exornationis genus, brevibus et continuatis verbis[7] per-

ea omnino delevit, in quibus, inquit, manifesto se prodit glossa marginalis. — De contrario Quintil. V, 10, et IX, 3, ubi : « Contrarium, inquit, puto esse quod dicitur ἐναντιότης, sumpta ex adverso probatio ». Et Cic. Orat. 12 comparantur contraria, et c. 50 : « Hæc, quæ Græci ἀντίθετα nominant, quum contrariis opponuntur contraria, numerum oratorium necessitate ipsa efficiunt ». Wetz.

2. *Et item, Nam. Et* a MSS Gron. abfuit, nec est in nostris aut ed. 1474. Sed utrumque bene latinum est. Ern.

3. *Cum fide habere.* « Cum fide retinere » cod. Erf.

4. *Commodum*, facilem omnibus. Wetzel.

5. *Fore in potestate, qui speres.* Sic restituimus hunc locum e MSS et edd. vett. *fore* e MSS Oud. quatuor, edd. 1474, et Med. pr. *qui speres* ex iisdem libris, nisi quod ed. 1474 habet « quid speres ». Firmat et glossa MS Lips. *quomodo*. Ern. quem Sch. sequutus est.

6. *Verum d. numquam.* Libri hic variant. Quidam : « Verum non dixerint. Numquam ». Quidam, *numquid*, quod verum putat Oudend. Ego vulgatum verum puto. In omnibus exemplis alterum membrum habet hanc formam, quæ est in vulgato, *eum*, et quod apud me plurimum valet. Ernest.

7. *Brev. et cont. verbis.* Libri quidam scr. habent « breviter ». « Brevia verba », pro paucis dici bene latine credo. Si libri faverent, mallem *membris*, quam *verbis*. Certe hic est sensus : Membra debent esse brevia, ut sint efficaciora, et inter se apta, ut vis concludendi appareat, i. e. continuata. Nam de illa continuatione verborum, quæ est in collocatione verborum, hic sermo non est. Idque patet e subjecta ratione : « propter brevem et abs. conclusionem ». Quæ

fectum esse debet; et quum commodum est auditu, propter brevem et absolutam conclusionem; tum vero vehementer id, quod opus est oratori, comprobat contraria re, et ex eo, quod dubium non est, expedit illud, quod dubium est, ut aut dilui non possit, aut multo difficillime possit.

XIX. (XIX.) Membrum orationis[1] appellatur res breviter absoluta sine totius sententiæ demonstratione, quæ denuo alio membro orationis excipitur, hoc modo: « Et inimico proderas »; id est unum, quod appellatur membrum: deinde hoc excipiatur oportet ab altero, « Et amicum lædebas ». Ex duobus membris[2] hæc exornatio potest constare: sed commodissima et absolutissima est, quæ ex tribus constat, hoc pacto: « Et inimico proderas, et amicum lædebas, et tibi ipsi non consulebas ». Item, « Nec reipublicæ consuluisti, nec amicis profuisti, nec inimicis restitisti ».

Articulus dicitur, quum singula verba intervallis distinguuntur cæsa oratione, hoc modo: « Acrimonia, voce, vultu adversarios perterruisti ». Item, « Inimicos invidia, injuriis[3], potentia, perfidia sustulisti ». Inter

scil. in tali forma est. Ern. — Sch. « brevibus et continuatis membris ». Sic correximus, inquit, vulgatum, quod est absonum et ineptum.

XIX. 1. *Membrum orationis.* Exempla longe plurima eaque illustrissima suppeditant nobis psalmi Hebræorum, in quibus explicandis egregium simul adjumentum præbet interpreti parallelismus membrorum. De re conf. Quintil. IX, 3, ad finem, qui membrum schema esse negat; et Cic. Orat. 62: « Quæ Græci, inquit, κῶλα nominant, nos recte membra dicemus », cujus dicti exemplum affert cap. 67. Wetz. — Hoc nomine Veteres non id intelligere mihi videntur quod gallice vocamus *les membres de la période;* sed concisas orationis particulas inter se non modo connexas, ut in periodis, sed veluti colludentes, ut in antithetis. Quæ si, ut ait infra Noster, constent ex pari fere numero syllabarum, *compar* appellantur. Duo certe aut tria istius modi membra periodum conficiunt; illis autem constare omnes periodos non verum videtur.

2. *Ex duobus membris. Suis* addendum censet Oud. auctoritate MSS et edd. pr. Sch.

3. *In. invidia, injuriis,* etc. *Invidia,* in quam illos adduxisti; *injuriis,* quibus eos affecisti; *potentia,* qua, multum apud plures pollens ipse, eos ve-

hujus generis, et illius superioris vehementiam hoc interest, quod illud tardius [4] et rarius venit, hoc crebrius et celerius pervenit. Itaque in illo genere, ex remotione brachii, et contortione [5] dexteræ gladius ad corpus afferri; in hoc autem crebro et celeri vulnere corpus consauciari videtur.

Continuatio [6] est densa et continens frequentatio verborum cum absolutione sententiarum. Ea utemur commodissime tripertito [7]; in sententia, in contrario, in conclusione. In sententia, hoc pacto : «Ei non multum potest obesse fortuna, qui sibi firmius in virtute, quam in casu, præsidium collocavit». In contrario, hoc modo : «Nam si quis spei non multum collocarit in casu, quid est, quod ei magnopere casus obesse possit?» In conclusione, hoc pacto : «Quod si in eos plurimum fortuna potest, qui suas rationes omnes in casum contulerunt; non sunt omnia committenda fortunæ, ne magnam nimis in nos habeat dominationem». In his tribus generibus ad continuationis vim [8] adeo frequentatio est necessaria [9], ut infirma facultas ora-

xasti; *perfidia*, qua in fraudem eos induxisti.

4. *Quod illud tardius. Quod* abest a MSS nonnullis, etiam Lips. et ed. Med. 1474. Non displicet : sed tamen forma vulgati usitatior nostro. Ern. — *Quod* abest a MS Erf. quem sequitur Grævius. Sch.

5. *Et contortione dexteræ gladius. Contorsione* MSS et ed. 1474, Med. pr. Junt. habent, sc. e pronuntiatione serioris ætatis latinæ. Mediol. 1498, *contentione*, ut et alii libri; quæ est glossa. Verbum *contortio* est etiam Fat. 8, et est proprium in exprimenda vi jaculandi verbum. Ern.—Oudend. placebat *contentione*, quia metaphoram, sine causa, putabat ab arcu sumptam. Sch.

6. *Continuatio.* Quæ dense et continuo frequentat verba et absolvit sententias : sive ita verba densat et continet, dispersa in unum cogit (ut ait cap. 40), ut sententiam absolvat, *sententia*, cap. 17; *contrario*, cap. 18; *conclusione*, cap. 30. Ciceroni, de Orat. III, 54, est *continuatum*. Wetz.

7. *Tripertito.* Hoc est, tribus modis. — Ernest. et Sch. *tripartito.*

8. *In his tribus gen. ad continuationis vim.* Sch. declarat sibi necessario emendandum fuisse : «In his tribus generibus continuationis, ad vim».

9. *Frequentatio est necessaria.* An

toris videatur, nisi sententiam, et contrarium, et conclusionem frequentibus efferat verbis. Sed et[10] alias quoque nonnumquam non alienum est, tametsi necesse non est, eloqui res aliquas per hujuscemodi continuationes.

XX. (xx.) Compar[1] appellatur, quod habet in se membra orationis, de quibus ante diximus, quæ constent[2] ex pari fere numero syllabarum. Hoc non dinumeratione nostra[3] fiet (nam id quidem puerile[4] est), sed tantum afferet[5] usus et exercitatio facultatis, ut animi quodam sensu par membrum superiori referre possimus, hoc modo: « In prælio mortem pater oppe-

excidit *verborum?* quod saltem intelligi debet! Etiam *continuationis* verbum suspectum mihi semper fuit. Cogitavi aliquando *orationis*. Nam sermo est de elocutionis figuris. Ern.—Quæ emendatio mihi ita necessaria videtur, ut nullum omnino vulgatæ subesse sensum intelligam. Frequentatio, inquit, necessaria est continuatio; sed opus dicto fuit, quum contentio sit frequentatio densa et continens? auctor dixisse debuit numquam fere, nisi pressis et in unum densatis verbis exprimendam « sententiam, contrarium, conclusionem », qui optimus loci est sensus, si scripseris *orationis*. Alias autem utilis aliquando continuatio est; hic necessaria.

10. *Sed et alias... continuationes.* Hæc a sciolo quodam adjecta esse videntur. Sch. — Immo necessaria omnino sunt ne credat lector, nullum esse continuationis usum, nisi in sententia, contrario, aut conclusione.

XX. 1. *Compar.* Quod continet membra (cap. 19) orationis ex pari fere syllabarum numero constantia. Cic. de Orat. III, 54: « quæ paribus paria referuntur »; et Orat. 12: « si verba verbis quasi demensa et paria respondent ». Wetz. — Græci dicunt ἰσόκωλον. Vid. Quintil. IX, 3.

2. *Quæ constent.* Sic MSS meliores et ed. 1474: idque rectius et latinius vulgato *constant*, quia præcedit « quod habet ». Ern.

3. *Dinumeratione nostra. Dinumeratione*, quod jam Lambinus edidit, plane habet MSS Voss. Alii libri scr. *denumeratione*, unde factum est « de enumeratione ». Ceterum etiam *nostra* mihi suspectum est, quod longe melius abesset; et aliis quoque locis pronomina temere addita sunt. Sic cap. 19, « duobus membris », MSS quidam addunt *suis*, quod et Oud. recipi volebat; nescio quare. Ern. — Sch. delevit *nostra*. Tueri conatur Wetzelius. Sed frustra.

4. *Puerile est. Est* abest a quibusdam libris. Certe latinitati non convenit, quæ aut *sit* requirit, aut *esset*, vel *foret*. Ern.

5. *Afferet. Affert* ed. Med. 1498. Grut. — *Afferet* verior est lectio librorum, etiam Lips. et ed. Med. pr. Si *affert* verum est, supra legendum erit *fit*, non *fiet*. Ern.

tebat, domi filius nuptias comparabat; hæc omnia graves casus administrabant[6] ». Item, « Alii fortuna felicitatem dedit[7], huic industria virtutem comparavit ». In hoc genere sæpe fieri potest, ut non plane par sit numerus syllabarum, et tamen esse videatur, si una aut etiam altera syllaba est alterutrum[8] brevius; aut si, quum in altero plures sunt, in altero longior aut longiores, plenior aut pleniores syllabæ[9] erunt: ut longitudo aut plenitudo harum multitudinem alterius assequatur et exæquet.

Similiter cadens exornatio[10] appellatur, quum in eadem constructione verborum, duo aut plura sunt verba, quæ similiter iisdem casibus efferantur[11], hoc

6. *Hæc omnia graves casus administrabant.* Wetz. hæc verba, nec sine causa, suspecta, quum non satis apte superioribus respondeant, nec sententia, nec numero syllabarum.

7. *Alii f. felicitatem dedit.* Haud aliter Pal. sec. quart. quint. sext. et Bruil. Hactenus impressi « Illi fortuna ». GRUT. — Sch. *facilitatem* pro *felicitatem* e cod. Pith.

8. *Aut etiam altera s. est alterutrum brevius.* Hanc lectionem, quam conjectura assequutus erat Grævius, in duobus MSS reperit Oudend. Eam nos vulgatæ *alterum* jure prætulimus. Supra similiter correximus. Ceterum libri quidam habent « alterum altero brevius », ut edit. 1474, Med. 1498, Junt. Sed nimis frequens fit verbum *alter*. ERN. — Gruter. *alterum* pro *alterutrum*.

9. *Longior aut longiores, plenior aut pl. syllabæ. Longior,* intellige de quantitate; *plenior*, de numero syllabarum: ut *habebatur* et *habebitur* differunt longitudine syllabarum, at *habebatur* et *habebantur* plenitudine. ERNEST.

10. *Simil. cadens exornatio appellatur.* Restituimus lectionem veterem pro *dicitur* e MSS et ed. 1474, Med. ejusdem anni. ERN.—*Similiter cadens* est exornatio qua verba iisdem casibus, vel *declinandi*, vel *conjugandi*, seu dissimili, seu simili sono exeuntia, sibi respondent. Exemplo sit illud quod paullo infra Noster exhibet: « Diligentia (ablativo) comparat (indicativo præsente, tertia persona) divitias (accusativo) negligentia (eodem casu, scilicet ablativo, eodem exitu) corrumpit (eodem casu, dissimili exitu) animum (eodem casu, dissimili exitu) ». Quamquam alii sunt qui volunt *casus* de *declinationibus* tantum nominum, non de *conjugationibus* verborum accipi; cui interpretationi favet extremum illud quod ad finem hujus capitis affertur exemplum, in quo ea verba quæ casus non habent ad similes exitus venire dicuntur; quæ casus habent, ad similes casus.

11. *Iisdem casibus efferantur.* Pro *efferuntur* e MSS duobus Leid. et edit. 1474, quod est latine rectius. ERNEST.

modo: « Hominem laudas egentem virtutis, abundantem felicitatis ». Item, « Cujus omnis in pecunia spes est, ejus a sapientia est[12] animus remotus. Diligentia comparat divitias, negligentia corrumpit animum; et tamen quum ita vivit, neminem præ se ducit hominem ». Similiter desinens [13] est, quum, tametsi casus non insunt in verbis, tamen similes exitus sunt, hoc pacto: « Turpiter audes facere, nequiter studes dicere. Vivis invidiose, delinquis studiose, loqueris odiose ». Item, « Audacter territas, humiliter placas ». Hæc duo genera, quorum alterum in exitus, alterum in casus similitudine versatur, inter se vehementer conveniunt: et ea re, his qui bene utuntur [14], plerumque simul ea collocant in iisdem partibus orationis. Id hoc pacto facere oportet: « Perditissima ratio est amorem petere, pudorem fugere; diligere formam, negligere famam ». Hic et ea verba, quæ casus habent, ad casus similes; et illa, quæ non habent, ad similes exitus veniunt.

XXI. (XXI.) Annominatio [1] est, quum ad idem verbum et ad idem nomen [2] acceditur [3] commutatione

12. *Cujus omnis...a sapientia est.* Sch. « Huic omnis in pecunia spes est, a sapientia ». Sic cod. Erf. probante Grævio.

13. *Similiter desinens est.* Quum verba seu casus expertia, seu casum habentia simili exitu sibi respondent. Exemplo sit illud: « Audacter (adverbium casus expers) territas (verbum casum habens); humiliter (nullo casu, pari exitu) placas (simili casu, simili exitu) ».

14. *His qui bene utuntur*, pro *qui his bene utuntur*, e MSS Voss. et ed. 1474. Ern.

XXI. 1. *Annominatio.* Eadem esse videtur « literarum mutatio » supr. I, 6, eamdemque significat Cic. de Orat. III, 54: « Verbum paullum immutatum et deflexum » in figuris elocutionis commemorans; et Orat. 39: « Quum verba breviter commutata ponuntur »; nec non de Orat. III, 54, II, 63: « parva verbi immutatio ». Wetz. — Illæ, puto, species sunt; *annominatio*, genus. Græce παρονόμασις.

2. *Et ad idem nomen. Ad* abest ab edit. 1474. MSS nonnulli nec *idem* habent. Ern.

3. *Acceditur commutatione.* Cod. Erf. addit « vel adjectione ». Cod. Duisb. et ed. Lamb. (et Med. 1498), « vel additione ». Grævius vel unum, vel alterum necessario requiri putabat. Falso. Nam hic tantum de genere

unius literæ aut literarum[4]; aut ad res dissimiles[5] similia verba accommodantur. Ea multis et variis rationibus conficitur. Attenuatione aut complexione[6] ejusdem literæ, sic : « Hic, qui se magnifice jactat[7] atque ostentat, veniit ante[8], quam Romam venit ». Ex contrario : « Hic, quos homines alea vicit, eos ferro statim vincit[9] ». Productione ejusdem literæ, hoc modo : « Hunc avium dulcedo ducit ad avium ». Brevitate ejusdem literæ, hoc modo : « Hic tametsi videtur esse honoris cupidus, tamen non tantum curiam diligit, quantum Curiam[10]. Addendis literis, hoc pacto : « Hic sibi posset temperare, nisi amori mallet obtemperare ». Demendis literis, sic : « Si lenones vitasset[11] tamquam

loquitur auctor, cujus species deinde enumerat. Sch.

4. *Literæ aut literarum*. In vulgatis sequitur « syllabæ aut syllabarum »; quod nos delevimus : primum, quia in libris bonis, etiam nostro Lips. non reperimus, nec edd. Med. pr. Junt. Ald. etc. deinde quia in toto reliquo loco semper tantum literæ, nusquam syllabæ, commemorantur. Ern. quem Sch. sequutus est.

5. *Res dissimiles accommodantur*. Quod ut in epigrammatibus haud raro ut lectorem tale aliquid non exspectantem occupat, sic acute pungit. Wetz.

6. *Att. aut complexione.* Intell. contractione. Vid. not. 8 infra. Sed « aut complexione » abest a MS Lips. Ern. — Wetzelius neque necessaria judicat, et minus latina, quum *sive* exspectes, non *aut*, quum verba ipsa inter se non differant vi sua. Ideo uncis inclusit.

7. *Hic, qui se magnifice jactat. Magnificat* est in marg. Cratand. Et hujus quidem verbi glossemata esse opinabatur Grævius vv. « jactat atque ostentat ». Sch.

8. *Veniit ante.* Vulg. « veniit a te ante ». Sed illud « a te » recte omisit cod. Leid. Sch.

9. *Vicit.....vincit.* Hæc lectio vera est. Nam est complexio literæ *n* in altero membro. (Male enim Ernesti *complexionem* interpretatur *contractionem*). Significatur autem, aleatorem debitores suos, quos alea vicerit, statim ferro vincire, h. e. catenis ferreis tamquam ære nexos constringere. Sch. — Fateor parum lucere mihi Schützii interpretationem. Locum intellexi de aleatore qui debitores suos in vincula duci curabat. Vide apud Sallustium Mallii legatos de prætoris et fœneratorum sævitia querentes.

10. *Non tantum curiam.* Senatus conventum. *Quantum Curiam*. Curia est hic nomen feminæ.

11. *Si lenones vit. t. leones.* Hic est ordo in libris melioribus, haud dubio melior vulgato « tamquam leones vitasset »; « vitæ se tradidisset » non intelligo. Aliquid excidisse puto, ut *honestæ* aut simile quid. Ern. — Mederi corrupto loco difficile. Succurrit:

leones, vitæ se tradidisset ». Tranferendis literis, sic : « Videte, judices, utrum homini navo, an vano credere malitis ». Item, « Nolo esse laudator, ne videar adulator [12] ». Commutandis, hoc modo, « Deligere oportet, quem velis diligere ». Hæ sunt annominationes, quæ in literarum brevi commutatione, aut productione [13], aut translatione [14], aut aliquo hujusmodi genere versantur.

XXII. (XXII.) Sunt autem aliæ, quæ non habent tam propinquam in verbis similitudinem, et tamen dissimiles non sunt. Quibus de generibus unum est hujusmodi : « Quid veniam, qui sim, quare veniam, quem insimulem, cui prosim, quem postulem, brevi cognoscetis ». Nam hic est in quibusdam verbis quædam similitudo non tam affectanda, quam illæ superiores, sed tamen adhibenda nonnumquam. Alterum genus hujusmodi : « Demus operam, Quirites, ne omnino Patres conscripti circumscripti [1] putentur ». Hæc annominatio accedit magis ad similitudinem, quam supe-

« vitio se tradidisset? » Sed frigidum est.

12. *Item, Nolo esse l. n. v. adulator.* Hæc absunt a multis MSS, etiam Lips. et edd. veteribus. Habent tamen ed. 1474, Ald. Sane in ceteris generibus uno semper utitur exemplo. ERNEST.

13. *In l. brevi commutatione, aut productione.* Sic MSS et edd. omnes ante Lambin. qui edidit « in literatura brevi c. » consulto, an vitio operarum, incertum. In notis quidem nihil admonuit. Eum sequutus est Grut. alias perpetuus ejus insectator. « Brevis commutatio » est mutatio longa in brevem syllabam. ERN. — *Commutat. aut prod.* Revocavi scripturam editionum antiquarum Pall. confirmatam libris Br. et Fabr. Nam Victorius maluerat « commutatione, brevitate, aut productione ». GRUT. — Hanc Victorii lect. Sch. sequutus est.

14. *Aut translatione.* Sic edd. 1474, 1475, Med. 1498, Junt. Ald. etc. At Med. 1474 et MSS plures « transjectione », quod Oudend. præferebat. ERN.

XXII. 1. *Circumscripti.* Quorum potestas circumscripta est, v. c. a tribunis pl. ut proprie Popilius Antiochum circumscripsit virga quam in manu gerebat, dicens: « Priusquam hoc circulo excedas redde responsum », apud Liv. XLV, 12. WETZEL. — At, puto, J. V. L. melius : « aliqua fraude decepti ». — Potest etiam esse : « circumventi, oppressi ».

rior; sed minus, quam illæ superiores : propterea quod non solum additæ, sed uno tempore demptæ quoque literæ sunt. Tertium genus est, quod versatur in casuum commutatione, aut unius, aut plurium nominum. Unius nominis, hoc modo : « Alexander Macedo summo labore animum ad virtutem a pueritia confirmavit[2]. Alexandri virtutes per orbem terræ cum laude et gloria sunt pervulgatæ[3]. Alexandro si vita longior data esset, Oceanum manus[4] Macedonum transvolasset. Alexandrum omnes, ut maxime metuerunt, item plurimum dilexerunt». Varie hic unum nomen in commutatione casuum volutatum est[5]. Plura nomina casibus commutatis, hoc modo facient annominationem[6]. « Ti. Gracchum[7], rempublicam admi-

2. *Confirmavit*. Sic scr. et edd. omnes. Græv. malebat *conformavit*, quod et placebat Oudend. Eo et ipse inclino. Ante et dedi *virtutem*, quod habent MSS plures et meliores, item ed. 1474 et aliæ veteres, et est in hac forma usitatius. Ern. — Sch. *conformavit.* In hoc, inquit, Lamb. conjectura inciderat. Est autem in codice Duisb.

3. *Cum laude et gl. s. pervulgatæ.* Ante Grut. omnes, « vulgatæ sunt ». Et sic fere MSS. Quidam etiam, ut Voss. 2, « sunt pervulgatæ », quod placet Oudend. et est sane numerosius et oratori aptius. Sequentes duas formas transponunt MSS quidam, ut dativus prior sit accusativo. Recte, ut opinor. Ceterum « ut...item » supra jam habuimus; nec delevi, ut Oudend. volebat; membra melius nectuntur. Ern.

4. *Oceanum manus Macedonum tr.* Sic dedit Gruter. ex Pall. secundo ac tertio. Vere, inquit; legatur modo Suasoria I Senecæ patris. Libri autem alii habent *nomen*, alii *gloria*, alii *fama;* nullum alii substantivum. Gruterum Ernestius et Schützius sequuti sunt. — Si quid mutandum, inquit Schützius, præferrem cum Oudend. « Oceanum Macedo transvolasset ». Quod et Ernestio placebat.

5. *Varie.....volutatum est.* Versatum est; et sic, doctissime præceptor, ostendisti te omnes secundæ declinationis casus tenere, et qui ista perceperit, egregium e schola tua egressurum esse oratorem. Wetz.

6. *Facient annominationem.* Sic MSS et edd. pr. usque ad Aldum. Quod sine dubio melius est quam vulgatum *faciunt.* Ern.

7. *Tiberium Gracchum.* Hoc exemplo secundum temporum ordinem referuntur tribunorum nomina quos abstulit civilis æstus, ab anno Urb. cond. 620 ad 665, quo circiter tempore scriptos fuisse hosce libros attestor. Imitatur rhetor ac veluti transcribere videtur eas orationes, quæ tum populum accendebant. J. V. L.

nistrantem, indigna prohibuit nex[8] diutius in ea commorari. C. Graccho similiter occisio oblata est[9], quæ virum reipublicæ amantissimum subito de sinu civitatis eripuit. Saturninum, fide captum malorum[10], perfidiæ scelus vita privavit. Tuus, o Druse, sanguis domesticos parietes[11], et vultum parentis aspersit. Sulpicium, cui[12] paullo ante omnia concedebant, eum brevi spatio non modo vivere, sed ĕtiam sepeliri prohibuerunt». (XXIII). Hæc tria genera proxima exornationum, quorum unum in similiter cadentibus, alterum in similiter desinentibus verbis, tertium in an-

8. *Indigna prohibuit nex.* «Prohibuit indigna nex» ed. Med. 1498.

9. *C. Graccho s. occisio oblata est, quæ virum r. amant.* Ita quidem nonnulli e Pall. Sed plerique tamen «occiso, ablata est respubl. quæ virtutis amantissimum». Aldus Nepos expressit, «occasio oblata est, quæ virum, etc.» Nec omnino displicet. GRUT.— *Oblata fuit.* I. e. obstaculo, ut ita dicam *data est.*

10. *Fide capt. malorum, perfidiæ scelus. Malorum* mihi semper suspectum fuit; captus est fide publica, contra quam interfectus est, quum ea fretus de Capitolio descendisset. Fidem, quam senatus dederat, non putem dici posse «fidem malorum». Scr. et edd. quidam, ut 1474, 1475 Junt. habent «majorem natu»; primusque induxit Aldus *malorum*. Suspicari cœpi auctorem scripsisse *majorum* int. nostrorum, quod Noster addere non solet; inde glossatores addidisse *natu*. Sed fortasse totum spurium est. In seqq. alii habent «perfidia, per scelus»; alii, «perfidia et scelus». ERN. — Schütz. «fide captum, malorum perfidia per scelus». Sic locus hic, inquit, adjuvante edit. Aldina et codd. aliquot Palat. et Leidd. melius est constitutus quam ut vulgo. — Nisi Ciceronem, Mario affinem, auctorem hujus libri esse concedas, non est cur *malorum* suspectum sit. Oratio enim illa popularis, quæ tribunorum interemptorum nomina commendat, et quorum fraude ceciderunt, senatores, consules, malos judicat. Perfidos certe dicere poterat. De re vide Flor. III, 16, 12; Vell. II, 12. Occisus est anno Urb. 653.

11. *Domesticos parietes.* Oudend. conj. «dom. penates», quod sane efficacius foret; *parentis* int. de matre. ERN. — Sch. *penates* ex Oud. conj. — De Druso trib. pl. anno 662, adi Vell. II, 13. WETZ.

12. *Sulpicium, cui paullo ante omnia concedebant.* MSS plures, etiam Lips. et edit. pr. pleræque, «Sulpicio, cui»: quod defendit Gronov. exemplo non satis simili: et edd. 1474 et Med. pr. servant «Sulpicium»: quod et melius puto. ERN. — De Sulpicii morte vide Velleium, II, 19. De figura, conf. de Orat. III, 54, ubi casibus in multis positum verbum; et Orat. 39, ubi ejusdem nominis casus sæpius commutatur.

nominationibus positum est, perraro sumenda sunt, quum in veritate dicemus[13]: propterea quod non hæc videntur reperiri posse sine elaboratione et consumptione operæ.

XXIII. Ejusmodi autem studia ad delectationem, quam ad veritatem[1], videntur accommodatiora. Quare fides[2], et gravitas, et severitas oratoria minuitur his exornationibus frequenter collocatis[3]. Et non modo tollitur auctoritas dicendi: sed offenditur quoque in ejusmodi oratione auditor[4]; propterea quod est in his lepos et festivitas, non dignitas, neque pulchritudo. Quare, quæ sunt[5] ampla et pulchra, diu placere possunt: quæ lepida et concinna, cito satietate[6] afficiunt aurium sensum fastidiosissimum. Quo modo igitur, si crebro his generibus utemur, puerili videbimur elocutione delectari: ita si raro has interseremus exornationes, et in causa tota varie dispergemus, commode luminibus distinctis illustrabimus orationem.

(XXIV). Subjectio[7] est, quum interrogamus adversa-

13. *Quum in ver. dicemus.* Quum dicemus de vera causa, non de fictis, ut in declamando. Ern.

XXIII. 1. *Ad veritatem*, ad veram utilitatem, ad forenses usus. Vide cap. 22, not. 13.

2. *Quare fides.* Sch. edidit «quippe fides», quod vulg. *quare* orationis nexum turbat. — *Fides*, fiducia.

3. *Frequenter collocatis.* Oudend. in duobus scr. reperit *collatis*. Sic et ed. 1474, non bene: id ortum e compendio scripturæ: *frequenter collatis* esset, magno numero in uno loco positis: quod est a sententia alienum. Ernest.

4. *Oratione auditor. Auditor* abest a pluribus MSS. Non tamen assentior Grævio, id recte abesse. Sch.

5. *Quare, quæ sunt ampla et pulchra, diu pl. possunt. Quare* sine dubio vitiosum est. Non hic est conclusio ex antecedentibus: sed ratio firmans dicta. Puto auctorem dedisse *quippe*, aut *quare* delendum. Ern. — Servavit Schützius, quod mirum videtur, quum supra correxerit, loco certe minus poscente.

6. *Cito satietate afficiunt.* «Cita satietate» Gruterus e MS Bruilerensi notavit. Sch.

7. *Subjectio.* Conf. Quintil. IX, 2, ubi interrogandi, inquit, se ipsum, et respondendi sibi solent esse non ingratæ vices. Wetz. — Præclarum subjectionis exemplum ex orat. Ciceronis pro lege Manilia habet in notis J. V. L.

rios, aut quærimus ipsi, quid ab illis, aut quid contra nos dici possit : deinde subjicimus id, quod dici oportet, aut non oportet[8], aut nobis adjumento futurum sit, aut obfuturum illis e contrario, hoc modo : « Quæro igitur, unde iste tam pecuniosus sit factus. Amplum patrimonium relictum est? at patris bona venierunt. Hereditas aliqua obvenit[9]? non potest[10] dici, sed etiam a necessariis omnibus exheredatus est. Præmium aliquod ex lite aut judicio cepit? non modo id non fecit, sed etiam insuper ipse grandi[11] sponsione vinctus est[12]. Ergo si his rationibus locupletatus non est, sicut omnes videtis; aut isti domi nascitur aurum, aut, unde licitum non est, pecunias accepit[13] ».

XXIV. Item, « Sæpe, judices, animadverti, multos aliqua ex honesta re, quam ne inimici quidem criminari possint, sibi præsidium petere : quorum nihil

8. *Aut non oportet.* Delevimus *quod*, post *aut*, de consensu librorum scr. plerorumque : mox pro « aut nobis » videtur legendum « quid nobis » : nam alias modus verborum, « futurum sit », non convenit. Ern.—Quid sibi velint istæ voces, « aut non oportet », parum intelligo, et spuria crediderim. Mox pro « aut nobis... aut », vide an melius legendum sit « seu nobis..... seu », vel si mavis, « ut nobis..... aut, etc. »

9. *Aliqua obvenit?* Oud. in MSS tribus reperit *venit*. Idque verum judicat. Sed et *obvenit* est verbum hereditarium. Varro de Re Rust. I, 3 : « hereditate obvenit, etc. » In quo etiam usitatius est *venit*. Ernest. — Sch. *venit*, cod. Erfurt. et Duisb. sequutus.

10. *Non potest dici, sed.* Hæc mihi spuria videntur, additaque a glossatore inepto. Ea si deleantur, admodum elegans fit oratio. Ernest. — Schützius omnino delevit; et pro *sed* dedit *at*.

11. *Grandi sponsione.* H. l. est mulcta grandi, quæ perdita lite, ex sponsione numeranda fuit; nam alias « grandis sponsio » potest etiam significare rem ipsam, magnæ pecuniæ, super qua sponsione certatum est. Ita autem capiendum esse, docent superiora. Nam opponitur præmio e lite, si causa privata. Ern.

12. *Vinctus est.* Sch. Ernest. Grut. « victus est ». Melius fortasse, quum opponatur præcedentibus, « præmium aliquod ex lite aut judicio cepit ».

13. *Pecunias accepit.* Oudend. in libris tribus reperit *cepit*, et edd. quædam pr. habent *cœpit* : utraque lectio, præsertim prior, arridet. Sed vulgatum præfero, quia verbum pendet ex « unde licitum non est », in qua forma *capere* nondum reperi. Sic c. 27, « pecunias a sociis accepisse »; ubi pariter cod. Voss. *cepisse*. Ern.

potest adversarius facere. Nam utrum ad patris virtutem confugiet? at eum vos jurati capite [1] damnastis. An ad suam revertetur antiquam vitam [2], alicubi honeste tractatam? at hic quidem ante oculos vestros quomodo vixerit, scitis omnes. An cognatos suos enumerabit, quibus vos conveniat commoveri? at hi quidem nulli sunt. Amicos proferet? at nemo est, qui sibi non putet turpe, istius amicum nominari». Item, «Credo, inimicum, quem nocentem putabas, in judicium adduxisti? non; nam indemnatum [3] necasti. Leges, quæ id facere prohibent, veritus es? at ne scriptas quidem judicasti [4]. Quum ipse te veteris amicitiæ commonefaceret, commotus es? at nihilo minus, sed etiam studiosius occidisti. Quid? quum tibi pueri ad pedes volutarentur, misericordia motus es? at eorum patrem crudelissime sepultura quoque prohibuisti». Multum inest acrimoniæ et gravitatis in hac exornatione, propterea quod, quum quæsitum est, quid oporteat, subjicitur id non esse factum. Quare facillime fit, ut exaugeatur [5] indignitas negotii. Ex eodem genere, ut ad nostram quoque personam referamus subjectio-

XXIV. 1. *Jurati capite.* Schütz. «jurati legibus capite». Ita Voss. 1.

2. *An ad suam r. a. vitam, al. h. tractatam? at hic quidem.* Multi MSS etiam edit. 1474, Med. 1498, Junt. Ald. «nam hic quidem»: quod est sane elegans, intellecta præcedente negatione: quæ etiam in codice aliquo Vossiano additur. Sed tamen non ausus sum recipere, quia in omnibus ceteris est *at.* Ern. — Sch. «An ad suam revertetur antiquam vitam alicubi honeste tractatam? quam? Nam hic»: textu conformato ad lectionem cod. Erf. in quo legitur: «antiquam vitam; quam? aut ubi honeste tractatam. Nam hic quidem ante, etc.»

3. *Nam indemnatum.* Grævius *nam* delendum censet, quum absit a codice Erf. Sch. — Tota res ad aliquam causam referenda videtur, in qua civilium bellorum sicarius aliquis ante judices sistatur.

4. *At ne scriptas quidem judicasti.* Intelligendum videtur, etsi durum profecto est: «ne esse quidem leges de ea re meministi», vel «tamquam scriptæ non essent, eas contempsisti».

5. *Ut exaugeatur.* Hic quoque recepi hoc verbum pro simplici *augeatur*, e libris scr. et edd. pr. Vide ad

nem, sic : « Nam quid me facere convenit[6], quum a tanta Gallorum multitudine circumsederer? An dimicarem? at quum parva manu tum prodiremus[7], locum quoque inimicissimum habebamus. Sederem in castris? at neque subsidium, quod exspectarem, habebamus[8], neque erat, qui vitam produceremus[9]. Castra relinquerem? at obsidebamur. Vitam militum negligerem? at ea videbar eos accepisse conditione, ut, quoad possem, incolumes patriæ et parentibus[10] conservarem. Hostium conditionem repudiarem? at salus antiquior est militum, quam impedimentorum». Hujusmodi consequuntur identidem subjectiones, ut ex omnibus ostendi videatur, nihil potius, quam quod factum sit, faciendum fuisse.

XXV. (xxv.) Gradatio[1] est, in qua non ante ad consequens verbum descenditur, quam ad superius con-

cap. 14. Ern. — Quem Schützius sequitur.

6. *Sic : Namquid me fac. convenit.* Sic MSS multi et edd. veteres, a 1474 Med. pr. Omnib. Med. 1498 (nisi quod habet « sic facimus : nam quid me facere convenit »), Junt. Primus Aldus dedit « conveniret », veluti hoc desiderarent tempora sequentia : quod non est. *Convenit* est temporis perfecti : quid facere debui? Ern. — Hæc ad causam Popilii referenda, de quo resp. I, cap. 15.

7. *Quum p. m. tum prodiremus.* Nescio quare viris doctis tantopere arrideat « quum prod. » quod sane est in scr. et ed. Mediol. 1474. Mihi ne sensus quidem commodus videtur. *Prodiremus* est prodituri eramus : nisi plane legendum *prodissemus*. Ern.— *Prodissemus* putat Wetzelius non convenire cum seq. *habebamus.*

8. *Quod exspectarem, habebamus.* « Habebamus, quod exsp. » ed. Med. 1498, et prætulerim, ne bis continuo sedeat vox in verbo *habeamus.*

9. *Neque erat, qui vitam produceremus. Qui* recepi e MSS pluribus, edd. 1474, 1475, Med. pr. pro *quo :* nam eleganter dicitur hac in forma et sententia. Ern. — « Quo vitam producerem » ed. Med. 1498. Fortasse *quo*, deleto *habebamus;* ut sit : Neque subsidium quod exspectarem, neque quo vitam producerem (subsidio) erat.

10. *Patriæ et parentibus.* « Et parentibus » abest a cod. Duisb. Recte fortassis. Sch.

XXV. 1. *Gradatio* (κλίμαξ Quint. IX, 3) non idem est quod recentiores hoc nomine intelligunt. Proprium illius est, nonnisi repetito superiore verbo ad aliud transire. Profert exemplum ex oratione pro Roscio Am. cap. 27. J. V. L.

scensum est, hoc modo : « Nam quæ reliqua[2] spes manet libertatis, si illis, et quod libet, licet; et quod licet, possunt; et quod possunt, audent; et quod audent, faciunt; et quod faciunt, vobis molestum non est? » Item, « Non sensi hoc, et non suasi; neque suasi, et non ipse statim facere cœpi; neque facere cœpi, et non perfeci; neque perfeci, et non probavi ». Item, « Africano industria virtutem, virtus gloriam, gloria æmulos comparavit ». Item, « Imperium Græciæ fuit penes Athenienses[3], Atheniensium potiti sunt Spartiatæ, Spartiatas superavere Thebani, Thebanos Macedones vicerunt, qui ad imperium Græciæ brevi tempore adjunxerunt Asiam bello subactam ». Habet in se quemdam leporem superioris cujusque crebra repetitio verbi, quæ propria est hujus exornationis.

Definitio est[4], quæ rei alicujus proprias amplectitur potestates[5] breviter et absolute, hoc modo : « Majestas reipublicæ est, in qua continetur dignitas et amplitudo civitatis ». Item, « Injuriæ sunt, quæ aut pulsatione corpus, aut convicio aures, aut aliqua turpitudine vitam cujuspiam violant ». Item, « Non est ista diligentia, sed avaritia; ideo quod diligentia est accurata conservatio suorum : avaritia, injuriosa appetitio alienorum ». Item, « Non est ista fortitudo, sed temeritas; propterea quod fortitudo est contemptio laboris et

2. *Nam quæ reliqua spes.* Verba esse videntur ex populari oratione adversus optimatum licentiam. Quamquam et multis usurpari possunt et adversus multos.

3. *Fuit penes Athenienses*, pro *apud* MSS plures Oudend. et nostri, denique edd. pr. quædam. Ern.

4. *Definitio est.* De qua conf. Top. V, VI, VII, VIII. Monet J. V. L. duplex esse definitionum genus, aliud logicæ proprium, quod brevitate valet; cui generi affinis ea de qua hic agitur : aliud rhetoricæ et illud quidem descriptioni simillimum; quales sunt definitiones in orat. pro Sextio, cap. 45; qualis est descriptio exercitus apud nostratem Flexerium in laudatione Turennii.

5. *Proprias...potestates.* Quid res possit, quo pertineat. Gallice : *les propriétés.*

periculi cum ratione utilitatis et compensatione commodorum : temeritas est cum inconsiderata laborum perpessione[6] gladiatoria periculorum susceptio». Hæc ideo commoda putatur exornatio, quod omnem rei cujuspiam vim et potestatem ita dilucide proponit, et breviter explicat, ut neque pluribus verbis oportuisse dici videatur, neque lucidius potuisse dici putetur[7].

XXVI. (XXVI.) Transitio[1] vocatur, quæ quum ostendit breviter, quid dictum sit, proponit item brevi, quid sequatur, hoc modo : «In patriam cujusmodi[2] fuerit, habetis : nunc in parentes qualis exstiterit, considerate». Item, «Mea in istum beneficia cognoscitis : nunc, quomodo iste mihi gratiam retulerit, accipite». Proficit hæc aliquantulum[3] exornatio ad duas res : nam et quid dixerit commonet, et ad reliquum comparat auditorem.

Correctio est[4], quæ tollit id, quod dictum est, et pro eo id, quod magis idoneum videtur, reponit, hoc pacto : «Quod si iste suos hospites rogasset, immo innuisset modo[5], hoc facile perfici posset». Item, «Nam

6. *Laborum perpessione.* «Dolorum perpessione» MSS quidam, probante Oudend. Sch.

7. *Neque pluribus verbis oportuisse dici videatur, neque lucidius potuisse dici putetur.* Sch. ea sic contraxit : «Neque pluribus verbis oportuisse, neque lucidius potuisse dici videatur».

XXVI. 1. *Transitio.* Hic agitur de exornatione illa quam Græci μετάστασιν vocant, quæ differt a metastasi, translatione criminis, de qua Quint. VII, 4. J. V. L. — De eadem resp. II, 15.

2. *Hoc modo : in patriam cujusmodi.* Sic libros nostros MSS sequimur : vox addenda est una; altera transponenda : Pall. enim omnes et Bruil. «hoc pacto : modo in patriam». Grut.—Quæ lectio placebat Oudend. Vulgatam veram esse Sch. profitetur.

3. *Aliquantulum* Hoc pro *aliquantum* e MSS quibusdam et edd. antiquis dedi; quia est aptius rei. Nam *aliquantum* plus significat quam sequentia patiuntur. Dicuntur enim tantum commonendi et præparandi vim habere. Ern.

4. *Correctio.* Græce ἐπανόρθωσις, cujus exempla vide Cic. pro Rosc. Am. 46; pro Rosc. com. 6; pro Sext. 51; pro Planc. 20; pro Domo sua, 46; pro Ligario, 9; Philipp. II, 4, 17, etc. J. V. L.

5. *Immo innuisset modo.* Fatue editi a Lambino «si invenisset»; stultius

postquam isti vicerunt, atque adeo victi sunt : eam quomodo [6] victoriam appellem, quæ victoribus plus calamitatis, quam boni, dederit?»—« O virtutis[7] comes invidia, quæ bonos insequeris plerumque, atque adeo insectaris?» Commovetur hoc genere animus auditoris. Res enim communi verbo elata, tantummodo dicta videtur : ast ea post ipsius[8] oratoris correctionem, magis idonea[9] fit pronuntiatione. Non igitur satius esset [10], dicet aliquis, ab initio, præsertim quum scribas, ad optimum et electissimum verbum devenire? Est, quum non est satius, si commutatio verbi id erit demonstratura, ejusmodi rem esse, ut, quum eam communi verbo appellaris, levius dixisse videaris; quum ad electius verbum accedas, insigniorem rem facias. Quod si continuo venisses ad id verbum, nec rei, nec verbi gratia animadversa esset.

XXVII. (xxvii.) Occupatio est [1], quum dicimus, nos

adhuc, nescio quis Cæpola emendat, « si invenisset modum ». Nostrum hæret in plerisque impressis, firmantque Pall. nisi quod nonnulli « immo annuisset modo »; nihil pejus. Grut.

6. *Nam postquam isti vicerunt... eam quomodo*. Pro *eam* forma legitima talis correctionis desiderat *nam*, et vix manum abstinui a correctione: nempe potest hic discessisse ab ea, quia statim præcessit *nam*. Ern. — Sch. *nam* ante *postquam* delevit, et pro *eam* dedit *nam*, quod aptius, inquit, ac rotundius vulgata.

7. *O virtutis comes*. Sch. « item, o virtutis comes ». *Item*, inquit, inserui. Est enim aliud exemplum, quod sequitur.

8. *Ast ea post ipsius*. Reposuit illud *ast* Gruterus e MSS. Contra Lambinus detraxit voculam *ea*. Gruterum Ern. sequutus est. Sch. Lambinum, quo modo, ut sit, brevior est lectio et efficacior.

9. *Magis idon. fit pronuntiatione*. Sch. « magis insignis idonea fit pronuntiatione ». Quod inserui *insignis*, inquit, facile probabit quicumque nexum orationis perspexerit. *Idonea* jam fit ablativus.

10. *Non igitur satius esset*. Hoc sapit librarios recentioris ævi. Auctor dedit *est*. Statim post in responsione: « est, quum non est satius ». Ern. — Sch. *est* protulit.

XXVII. 1. *Occupatio est*. Schütz. *occultatio*. Sic legendum esse, inquit, sagaciter odoratus est Cl. Spaldingius, Quintiliani editor, eamque emendationem, tum ipso h. l. contextu, tum Quintil. IX, 3, 98, confirmavit. — J. V. L. putat v. *occupatio* in sensum v. *præteritio* trahi posse, ut nihil textui immutari necesse sit :

præterire, aut non scire, aut nolle dicere id, quod tunc maxime diximus, hoc modo: « Nam de pueritia[2] quidem tua, quam tu omni intemperantiæ[3] addixisti, dicerem, si hoc tempus idoneum putarem: nunc consulto relinquo. Et illud prætereo, quod te tribuni rei militaris infrequentem tradiderunt[4]: deinde quod injuriarum satisfecisti L. Labeoni, nihil ad rem pertinere puto. Horum nihil dico: revertor ad illud, de quo judicium est ». Item, Non dico te ab sociis pecunias accepisse: non sum in eo occupatus, quod civitates, regna, domos omnium depeculatus es: furta, rapinas tuas omnes omitto ». Hæc utilis est exornatio, si aut rem, quam non pertineat aliis ostendere, occulte admonuisse prodest, aut si longum est, aut ignobile, aut planum non potest fieri[5], aut facile potest reprehendi; ut utilius sit occulte fecisse suspicionem[6], quam hujusmodi intendisse orationem, quæ redarguatur.

Disjunctio[7] est, quum eorum, de quibus dicimus,

præsertim si recorderis vocem *præteritio* nondum in usu fuisse Ciceronis ætate, sed in sermonis usum adductam fuisse a rhetore Aquila de figuris sententiarum.

2. *Nam de pueritia.* Hoc exemplum sumptum esse patet e causa nobili. Ern.

3. *Omni intemperantiæ.* « Omnium intemperantiæ » ed. Med. 1498.

4. *Quod te tr. rei militaris in freq. tradiderunt.* Emendavit Gruterus e sex MSS. Antea erat in libris « quod rei militaris te infrequentem reddidisti », vel *tradidisti.* Gruterum Sch. et Ern. sequuti sunt.

5. *Aut planum non potest fieri.* Hic auctoribus MSS et edd. vett. delevi *aut* ante *non*, quod nescio quo casu irrepserit, quum sensum manifeste corrumpat. Ern. — Quem Schütz. sequitur.

6. *Fecisse suspicionem.* Lambinus conj. *jecisse.* Sch.

7. *Disjunctio.* Græce διεζευγμένον. Quum non unum aliquid de pluribus rebus dicit orator, sed suis unamquamque rem verbis notat, ut patet e seqq. « P. R. Numantiam delevit, Carthaginem..... sustulit, Corinthum ... disjecit, Fregellas... evertit. Nihil Numantinis... vires corporis... auxiliatæ sunt; nihil Carthaginiensibus... scientia rei militaris..... adjumento fuit, etc. » Errasse igitur in nota mihi videtur doctissimus vir J. V. L. quum hic de conjunctiva particula vel addita vel sublata dixit. Ea esset et Quin-

aut utrumque, aut unumquodque certo concluditur verbo, sic : « Populus romanus Numantiam delevit, Carthaginem sustulit, Corinthum disjecit, Fregellas evertit. Nihil Numantinis vires corporis auxiliatæ sunt; nihil Carthaginiensibus scientia rei militaris adjumento fuit; nihil Corinthiis erudita calliditas præsidii tulit; nihil Fregellanis morum et sermonis societas opitulata est ». Item, « Formæ dignitas aut morbo deflorescit, aut vetustate exstinguitur ». Hic utrumque, et in superiore exemplo unamquamque rem certo verbo concludi videmus.

Conjunctio[8] est, quum interpositione verbi et superiores orationis partes comprehenduntur, et inferiores, hoc modo : « Formæ dignitas aut morbo deflorescit, aut vetustate ».

Adjunctio est, quum verbum, quo res comprehenditur, non interponimus, sed aut primum, aut postremum collocamus. Primum, hoc pacto : « Deflorescit formæ dignitas aut morbo, aut vetustate ». Postremum sic : « Aut morbo, aut vetustate formæ dignitas deflorescit ». Ad festivitatem disjunctio est apposita; quare rarius utemur ea, ne satietatem pariat : ad brevitatem conjunctio; quare sæpius adhibenda est. Hæ tres exornationes de simplici genere manant [9].

tiliani et Nostri *dissolutio*, Græcorum ἀσύνδετον, non autem *disjunctio*. Quod exemplum dedit «disjunctionis», «conjunctio» est. *Adjunctio* autem ea quam putavit *conjunctionem*.

8. *Conjunctio.* Contraria *disjunctioni*, *adjunctioni* ita finitima, ut nonnisi mira subtilitate distinguantur; quum altera interponat id quod altera primum aut postremum collocet. Ambo de pluribus rebus enumeratis unum aliquid, una eademque significatione verbi efferant. Conjunctio est, alio sensu, opposita dissolutioni. Partit. or. cap. 4.

9. *Hæ tres exornationes de simpl. g. manant.* Hæc verba Schütz. delevit, quæ, inquit, sensu idoneo prorsus carent. Nam quid est in exornationibus tribus, quæ proxime antecedunt, « correctione, occultatione, disjunctione », cur eæ dicantur de

XXVIII. (XXVIII.) Conduplicatio est[1], cum ratione amplificationis, aut commiserationis[2], ejusdem unius, aut plurium verborum iteratio, hoc modo : « Tumultus Gracchi, Gracchi tumultus domesticos et intestinos comparant[3] ». Item, « Commotus non es, quum tibi mater pedes[4] amplexaretur, non es commotus? » Item, « Nunc etiam audes in horum conspectum venire, proditor patriæ[5], proditor, inquam, patriæ, venire audes in bonorum conspectum? « Vehementer auditorem commovet ejusdem redintegratio verbi; et vulnus majus efficit in contrario[6] causæ, quasi aliquod telum sæpius perveniat in eamdem partem corporis. Interpretatio[7] est, quæ non iterans idem redintegrat verbum, sed id commutat, quod positum est, alio verbo, quod idem valeat, hoc modo : « Rempublicam radicitus evertisti, civitatem funditus dejecisti ». Item, « Patrem nefarie verberasti, parenti ma-

simplici genere manare? Et quid significat h. l. « simplex genus? » Sed scilicet ista glossatori debentur, qui, quod jam sequitur *conduplicationis* figura, somniabat aliquid de simplici genere, nescio quo. Sch. — Erravit procul a sententia doctissimus vir. « De simplici genere manant », hoc est, « unius generis variæ species sunt ».

XXVIII. 1. *Conduplicatio est.* Græce ἐπίζευξις, ἐπαναδίπλωσις, παλιλλογία. J. V. L. — Cf. Quint. IX, 3; Ciceroni de Orat. III, 54, « geminatio verborum ». Orat. 39 : « quum duplicantur verba ».

2. *Commiserationis.* Sch. *miserationis* e cod. Erf. et Pith.

3. *Tumultus Gracchi, Gracchi tum. d. et int. comparant.* Sic Sch. edidit ex optima, ut inquit, Grævii correctione, qui emendaverat vulgatum : « Tumultus C. Gracchi, tumultus d. et intestinos comparat ». Ernest. et Grut. vulgatum servaverunt. Quod magis placet apud auctorem Gracchis ubique faventem, ut sint verba popularis oratoris, occiso C. Graccho, tumultus inde futuros denuntiantis.

4. *Quum tibi mater pedes amplexaretur.* Verba esse puto ex eadem causa desumpta, ex qua cap. 24 : « quum tibi pueri ad pedes volutarentur ». At J. V. L. intelligit « mater tua ».

5. *Proditor patriæ.* Sumpta verba ex eadem causa, de qua sup. cap. 8.

6. *In contrario causæ.* Hoc non intelligo. Ern. — Intelligit Wetzelius : in eo quod causæ nostræ contrarium est; ergo in adversarii causa.

7. *Interpretatio.* Quid sit, facile disces ab exemplo.

nus scelerate intulisti ». Necesse est ejus, qui audit, animum commoveri, quum gravitas prioris dicti renovatur interpretatione verborum.

Commutatio est [8], quum duæ sententiæ inter se discrepantes ex transjectione ita efferuntur, ut a priore posterior, contraria priori, proficiscatur, hoc modo: « Esse oportet, ut vivas; non vivere, ut edas ». Item, « Ea re poemata non facio, quia, cujusmodi volo, non possum; cujusmodi possum, nolo ». Item, « Quæ de illo dicuntur, dici non possunt; quæ dici possunt, non dicuntur [9] ». Item, « Si poema loquens pictura est; pictura tacitum poema debet esse [10] ». Item, « Quia stultus es [11], ea re taces; non tamen, quia taces, ea re stultus es ». Non potest dici, quam commode [12] fiat, quum contrariæ sententiæ translatione verba quoque convertantur. Plura subjecimus exempla, ut, quoniam difficile est hoc genus exornationis inventu, dilucidum esset; ut, quum bene esset intellectum [13], facilius in dicendo inveniretur.

XXIX (XXIX.) Permissio [1] est, quum ostendimus

8. *Commutatio*, ἀντιμεταβολή, de qua Quintil. IX, 13. Quid sit, facile intelligitur exemplis.

9. *Quæ de illo dicuntur*, etc. Id est, quæ vulgo dicuntur de illo, mihi propter pudorem dici non possunt; sed ea quæ dici possunt, quæ honesta factu dictuque sunt, de eo non dicuntur; nempe quia nihil honeste facit.

10. *Si poema loquens pictura est; ....esse*, etc. Simonidis dictum esse discimus a Plutarcho, de aud. poet. cap. 3; cl. quæst. conviv. IX, 15. Wetz.

11. *Quia stultus es.* MSS plerique, etiam edd. vett. ut 1474 habent « si stultus.....non tamen si taces ». Et forte optimum sit, utramque lect. conjungere: « si, quia stultus es, etc. » Ern.

12. *Quam commode fiat.* Sic MSS 3 apud Oud. et edd. Omnib. (1475), Junt. Nam vulgatum *quin* vix commode explicari potest. Ern.

13. *Ut, quum bene esset explicatum.* Non dubito pro *ut* legendum esse *ut.* Ern. — Sch. expunxit verba quæ præcedunt, « dilucidum esset, ut », quæ interpolatorem sibi olere videntur.

XXIX. 1. *Permissio.* Gr. ἐπιτροπή. Plurimum differt a *concessione.* Altera nempe causæ confisa, de jure suo remittit, ut concedat aliquid adversario; est igitur cum fiducia impu-

in dicendo, nos aliquam rem totam tradere et concedere alicujus voluntati, sic : « Quoniam omnibus rebus ereptis, solus superest animus[2] et corpus, hæc ipsa, quæ mihi de multis sola relicta sunt, vobis et vestræ condono potestati. Vos me, quo pacto[3] vobis videbitur, utamini, atque abutamini licebit impune : in me, quidquid libet, statuite : dicite, atque obtemperabo ». Hoc genus tametsi alias quoque nonnumquam tractandum est, tamen ad misericordiam commovendam vehementissime est accommodatum.

Dubitatio[4] est, quum quærere videtur orator, utrum de duobus potius, aut quid de pluribus potissimum dicat, hoc modo : « Obfuit eo tempore plurimum reipublicæ consulum sive stultitiam, sive malitiam dicere oportet, sive utrumque ». Item, « Tu istud ausus es dicere, homo omnium mortalium...? Nam[5] quo te, digno moribus tuis, appellem nomine ? »

Expeditio[6] est, quum, rationibus compluribus enumeratis, quibus aliqua res aut fieri aut non fieri potuerit, ceteræ tolluntur, una relinquitur, quam nos intendimus, hoc modo : « Necesse est, quum constet istum fundum nostrum[7] fuisse, ostendas, te aut va-

gnantis : altera vero arma veluti tradentis, quæ se sive judicis, sive adversarii voluntati et misericordiæ permittit.

2. *Solus superest animus.* Restitui *solus*, quod MSS plerique habent et edd. 1474, 1475, Med. utraque Junt. Ald. etc. nisi quod fere *solum* habent, usitato ævo inferiori errore. Ern.

3. *Vos me, quo pacto.* Sch. « Vos me vestro ». *Vestro*, inquit, quod a ceteris abest, probante Oudendorp. e MSS adjecimus.

4. *Dubitatio.* Græce ἀπορία. De qua conf. Quintil. IX, 2 ; Cic. de Cl. Orat. III, 53 et 54.

5. *Nam quo te.* Hæc est vera lectio loci corrupti in « quæro quonam te » : quod est languidissimum. Sic Gruter. reperit in MSS Pal. sic Lips. nisi quod addit *alio* Voss. 2. Ern.

6. *Expeditio.* Quam male vult *intentionem* appellari Wetzelius, quum exornatio non tam eo constet quod intenditur, quam iis quæ removentur, quibus sublatis *expeditur* illa ratio quæ superest.

7. *Istum fundum nostrum.* Hic

cuum possedisse[8], aut usu tuum fecisse, aut emisse, aut hereditate tibi venisse. Vacuum, quum ego adessem, possidere non potuisti : tuum usu fecisse etiamnum non potes : emptio nulla profertur : hereditate tibi, me vivo, mea pecunia venire non potuit. Relinquitur ergo, ut me vi de meo fundo dejeceris ». Hæc exornatio plurimum juvabit conjecturales argumentationes; sed non erit, tamquam in plerisque, ut, quum velimus, ea possimus uti : nam facere id non poterimus, nisi nobis ipsa negotii natura dabit facultatem.

XXX. (xxx.) Dissolutio[1] est, quæ, conjunctionibus verborum e medio sublatis, partibus separatis effertur, hoc modo : « Gere morem parenti, pare cognatis, obsequere amicis, obtempera legibus ». Item, « Descende in integram defensionem, noli quidquam recusare, da servos in quæstionem, stude verum invenire ». Hoc genus et acrimoniam habet in se, et vehementissimum est, et ad brevitatem accommodatum.

Præcisio[2] est, quum, dictis quibusdam, reliquum, quod cœptum est dici, relinquitur in audientium judicio[3] sic : « Mihi tecum præcertatio non est, ideo quod populus romanus me.... nolo dicere, ne cui forte arrogans videar : te autem sæpe ignominia dignum

ordo est in edit. 1474. Recte. Ern.

8. *Vacuum possedisse*, i. e. occupasse. Vide ad I, 2. Ern.

XXX. 1. *Dissolutio*, ἀσύνδετον, διάλυτον, βραχυλογία. Qua re a disjunctione differat ostendimus c. 27. Cf. Quintil. IX, 3; Cic. Part. Or. 6; de Orat. III, 54, or. 39.

2. *Præcisio*. Græce ἀποσιώπησις, gallice *réticence*. Est infra, cap. 54, *abscissio*. Quintil. IX, 2, græco nomine usus, testatur apud Ciceronem esse reticentiam. Quam vocem semel reperi de Orat. III, 53, nulla definitione. Sed apud Quintil. ἀποσιώπησις plura complectitur genera quam Nostri præcisio.

3. *Quod c. est dici, r. in audient. judicio*. Pall. aliquot, item Tosanus, Br. Brab. et vett. nonnullæ editt. « relinquitur inchoatum sic mihi ». Non probem. Grut. — Sch. « relinquitur inchoatum in audientium judicio sic ». Ita Voss. 1 et edit. Omniboni.

putavit ». Item, « Tu ista nunc audes dicere, qui nuper alienæ domui[4]?.... non ausim dicere, ne, quum te digna dixero, me indignum quidpiam dixisse videar ». Hic atrocior tacita suspicio, quam diserta explanatio facta est.

Conclusio[5] est, quæ brevi argumentatione ex iis, quæ ante dicta sunt, aut facta, conficit id, quod necessario consequatur, hoc modo : « Quod si Danais datum erat oraculum, non posse capi Trojam sine Philoctetæ sagittis, hæ autem nihil aliud fecerunt, nisi Alexandrum perculerunt : hunc exstinguere, id nimirum capi fuit Trojam[6] ».

XXXI. (XXXI.) Restant etiam decem exornationes verborum, quas idcirco non vage dispersimus, sed a superioribus separavimus, quod omnes in uno genere positæ sunt. Nam earum omnium hoc proprium est, ut ab usitata verborum potestate recedatur[1], atque in aliam rationem cum quadam venustate oratio conferatur.

De quibus exornationibus nominatio[2] est prima,

4. *Qui nuper alienæ domui.* Sic rursus infra, cap. 54. Sed MSS duo apud Oudend. item ed. Med. 1474, « alienæ domi », ut « suæ domi, istius domi » apud Ciceronem in Verrinis : quod fortasse melius. Sed sententiam integram quia nescimus, judicare certi nil possumus. Ern.

5. *Conclusio.* Inter ornamenta dicendi cur conferatur non satis video, et numquam alias reperio.

6. *Capi fuit Trojam.* Sch. « capere fuit Trojam. E conj. Lambini, multo aptius. Hujus oraculi mentionem aliquoties facit in Philocteta suo Sophocles, ut vers. 68. Wetz. — *Alexandrum*, Paridem.

XXXI. 1. *Ab usit. verb. potestate recedatur.* Hi sunt igitur quos græco nomine tropos vocant, quos inter Quintilianus ipse « nominis effictionem », seu « onomatopœiam », numerat.

2. *Nominatio.* Ὀνοματοποιΐα. De qua vide Quintil. I, 4; III, 6 et 7. Nos *onomatopœiæ* nomine eam tantum intelligimus fictionem vocis quæ imitationis causa est. Auctoris definitio eam quoque amplectitur quæ significandæ rei causa est. Quin posteriori exemplo suspicari licet eodem nomine comprehendere et quæ Quintil. vocat παραγόμενα, et aliquod translationis genus. Nisi forte in voce *inprimis* latet librariorum error, qui effictam aliquam vocem sustulit.

quæ nos admonet, ut, cui rei nomen aut non sit, aut satis idoneum non sit, eam nosmet idoneo verbo nominemus, aut imitationis, aut significationis causa. Imitationis, hoc modo, ut majores rudere, et vagire, et mugire, et murmurare, et sibilare appellaverunt. Significandæ rei causa, sic : « Postquam iste in rempublicam fecit impetum, fragor civitatis[3] inprimis est auditus ». Hoc genere raro utendum est, ne novi verbi assiduitas odium pariat : sed si commode quis eo utatur, et raro, non modo non offendet novitate, sed exornabit etiam orationem.

Pronominatio[4] est, quæ sicuti cognomine quodam extraneo demonstrat id, quod suo nomine appellari non potest[5], ut, si quis, quum loquatur de Gracchis: « At non Africani nepotes, inquiet[6], istiusmodi fuerunt ». Item, si quis de adversario quum[7] dicat : « Videte nunc, inquiet[8], judices, quemadmodum me Plagiosippus iste[9] tractarit ». Hoc pacto non inornate poterimus et in laudando, et in lædendo, aut corpore,

3. *Fragor civitatis inprimis.* Hoc non satis intelligo, propter illud *inprimis*. Sed non tanti est in his laborare, ut nec proxime in *Plagiosippo*. Ern. — *Inprimis.* Est Wetzelio *maximus*. Malim intelligi, si possit, *protinus*.

4. *Pronominatio*. Quintiliano antonomasia, VIII, 6.

5. *Appellari non potest.* Sch. « appellari non placet ». Quomodo recte dicatur, inquit, aliquid suo nomine appellare non *posse?* Immo semper potest : sed non placet semper. — At sæpe non placet, quia est aliqua causæ necessitas quæ fieri vetat, quia fieri non potest.

6. *Nepotes, inquiet.* Edd. veteres, « n. inquit ».

7. *De adversario quum dicat.* Addidimus *quum* e MSS Gron. et Oud. nam alias *inquit* delendum foret, quod nihil haberet, quo referretur. Ern. — *Quum* abest ab edit. Mediol. 1498, Grut.

8. *Videte nunc, inquiet.* « Videte n. inquit » ed. Med. 1498, Grut.

9. *Plagiosippus iste.* Ita maxima pars Pall. quippe unus atque alter *Plagioxyppus*, quomodo Br. et Petreiani : sed unico per Fab. *Plagioxyphus*, quod placuisse Turnebo, refert quidem hic Lambinus : sed tacet ipsemet lib. XX Adversar. cap. 25, ubi alias potius conjecturas suas producit. Grut. — Πλάγιος ἵππος videtur significare hominem deformem et violentum.

aut animo[10], aut extraneis rebus dicere, sicuti cognomen, quod pro certo nomine collocemus[11].

XXXII. (xxxii.) Denominatio[1] est, quæ a propinquis et finitimis rebus trahit orationem, qua possit intelligi res, quæ non suo vocabulo sit appellata. Id aut ab inventore[2] conficitur, ut si quis de Tarpeio loquens, eum Capitolinum nominet : aut ab invento, ut si quis pro Libero[3] vinum, pro Cerere frugem appellet : aut ab instrumento dominum[4], ut si quis Macedonas appellarit, hoc modo : « Non tam cito sarissæ[5] Græcia potitæ sunt » ; aut idem, Gallos significans, dicat : « Nec tam facile ex Italia materis[6] Transalpina depulsa est » : aut id, quod fit, ab eo, qui facit ; ut, si quis, quum bello velit ostendere aliquid quempiam fecisse, dicat : « Mars istud te facere necessario coegit » : aut si, quod facit, ab eo[7], quod fit, ut, quum

10. *Aut corpore, aut animo, aut extraneis.* Ter delevimus *in*, auctoribus MSS multis et bonis, ut fecit Lambinus et Grævius, idque et sensus flagitat. Etiam edd. Mediol. 1498, Junt. non habent in secundo et tertio. Ern.

11. *Collocemus*, pro *collocamus*, e MSS pluribus et edd. pr. Etiam latinitas sic jubet. Ern.

XXXII. 1. *Denominatio*, μετωνυμία. De qua Cic. Orat. 27, et Quintil. VIII, 6.

2. *Id aut ab inventore.* MSS quidam *ista*. Intel. vel denominatio, vel oratio. Sic et edd. 1475, Med. 1498, Junt. Ern. — *Aut ab inv.* Intellexi : « hominis denominatio trahitur ex eo quod inventor est alicujus rei ». Durum ! sed ubique est et neminem offendit. Vellem esset alicubi *ab inventione.*

3. *Aut ab invento...pro Libero*, etc. Intelligendum videtur *vinum* dici pro *Libero*, *frugem* pro *Cerere*, quod fateor nusquam reperisse. Contra *Liberum* pro *vino* dici, *Cererem* pro *fruge* interpretatur J. V. L.

4. *Aut ab instrumento dominum.* Sch. « aut ab instrumento dominus nominatur ». In vulg. inquit, nec constructio, nec nexus cum sequentibus constat.

5. *Sarissæ.* Hastæ prælongæ quibus utebatur Macedonum phalanx. Wetz.

6. *Ex Italia materis Transalpina.* « Ex Italia armatura Transalpina » ed. Mediol. 1498. — *Materis* hasta erat gallica. Hoc verbum Nonius Marcellus refert ex duobus Sisennæ locis. Hoc reponi vult Turneb. in Cæs. Bell. Gall. I, 26, ubi erat *mataras*. Hoc repositum est in Liv. VII, 24, ubi *machæra* legebatur, sed contra MSS auctoritatem. J. V. L.

7. *Quod facit, ab eo.* MSS multi *qui*, placetque Oudendorp. sed *quod*

desidiosam artem dicemus, quia desidiosos facit; et frigus pigrum, quia pigros facit. Ab eo, quod continet, id, quod continetur, hoc modo denominabitur : « Armis Italia non potest vinci, nec Græcia disciplinis ». Nam hic pro Græcis et Italis, quæ continent, notata sunt. Ab eo, quod continetur, id, quod continet; ut, si quis aurum, vel argentum, aut ebur nominet, quum divitias velit nominare. Harum omnium denominationum magis in præcipiendo divisio, quam in quærendo difficilis inventio est, ideo quod plena consuetudo est non modo poetarum et oratorum, sed etiam quotidiani sermonis, hujusmodi denominationum.

Circuitio[8] est oratio, rem simplicem assumpta[9] circumscribens elocutione, hoc pacto : « Scipionis providentia Carthaginis opes fregit ». Nam hic, nisi ornandi ratio quædam esset habita, Scipio potuit et Carthago simpliciter appellari.

Transgressio[10] est, quæ verborum perturbat ordinem perversione[11], aut transjectione[12]. Perversione, sic : « Hoc vobis deos immortales arbitror dedisse pietate pro vestra ». Transjectione, hoc modo : « Instabilis in istum plurimum fortuna valuit ». Item, « Omnes invidiose eripuit tibi bene vivendi casus fa-

aptius, quia de re sermo est, non de personis. Ern.

8. *Circuitio*, περίφρασις, « circuitus loquendi » apud Quint. VIII, 6. Latinis rhetoribus, ut ille testatur, *circumlocutio*.

9. *Rem simplicem assumpta*, pro *assumptam* : quod et MSS plures boni habent, et res flagitat. Non enim res simplex assumitur, sed id, quod circumscriptionem efficit, i. e. verbum, quod elocutionem appellat auctor, ut h. l. « providentia, opes ». Ern.

10. *Transgressio*, ὑπερβατὸν, ex verbo ὑπερβαίνω, figura syntaxeos quæ transponit vel invertit verba. Conf. Cicer. locum de Orat. III, 54; Quint. IX, 4. J.V.L.

11. *Perversione*. Perversio est quum quod sequi deberet verbum, id præmittitur, ut infra, *pietate pro vestra*, quum ordo sit : « pro vestra pietate ».

12. *Transjectione*. Transjectio est quum ea quæ continuo dici deberent, interjectis aliquot verbis, separantur, ut in exemplo sequenti, « instabilis fortuna », ut infra, « omnes facultates ».

cultates». Hujusmodi transjectio, quæ rem non reddit obscuram, multum proderit ad continuationes [13], de quibus ante dictum est, in quibus oportet verba sint ad poeticum quemdam exstructa numerum [14], ut perfecte et perpolitissime possint esse absolutæ.

XXXIII. (XXXIII.) Superlatio [1] est oratio superans veritatem, alicujus augendi [2] minuendive causa. Hæc sumitur separatim, aut cum comparatione. Separatim sic : « Quod si concordiam retinebimus [3], imperii magnitudinem solis ortu atque occasu metiemur ». Cum comparatione, aut a similitudine, aut a præstantia [superlatio sumitur [4]]. A similitudine sic : « Corpore niveum candorem; aspectu [5] igneum ardorem assequebatur ». A præstantia, hoc modo : « Cujus ore sermo melle dulcior [6] profluebat ». Ex eodem genere [7] hoc est : « Tantus erat in armis splendor, ut solis fulgor obscurior videretur ».

13. *Continuationes.* Resp. cap. 19 quid sit continuatio.

14. *Oportet verba sint ad poet. q. exstructa numerum.* Sic reposuimus e MSS pluribus et edd. 1474, Med. pr. 1475, Med. sec. Junt. Lectio vulgata, « sicut a poetis in quemdam exstruere numerum », est ab Aldo. Ern. — Gruterus, qui vulgatam dedit, notat : Gulielmius malebat cum Lambino « sicut ad poeticum » : et vero in Pal. secundo et Fab. erat « sint ad poeticum quemdam exstructa numerum », quod maluerim : si modo quid venit mutandum.

XXXIII. 1. *Superlatio.* Quæ est Ciceroni de Orat. III, 53, 6, « superlatio veritatis », qua utitur orator supra rem ferens, quam fieri possit; ut ait Orat. 40; de Cl. Orat. II, 66 : quam eamdem Quintilian. VIII, 6, vocat « superjectionem ementientem », et VIII, 4, « hyperbolen ». Wetzel.

2. *Alicujus augendi. Alicujus* friget, sive ad veritatem, sive ad sequentia referas, et alibi simpliciter est « augendi aut mutandi causa », ut cap. 34. Ernest. — Schützius delevit.

3. *Retinebimus. Retinebitis* edit. Med. 1498. — Libri publicati adjiciunt « in civitate », quod exclusi, quod abesset a Pal. quart. sext. Br. ac Fabr. Gaut.

4. *Superlatio sumitur.* Hoc spurium est; nuspiam in partitione tali, auctor tale quid addit. Itaque uncis inclusi. Ern. — Sch. delevit.

5. *Aspectu*, oculorum ardore.

6. *Sermo melle dulcior.* Id Homerus de Nestore, Iliad. I, 249.

7. *Ex eodem genere. Ex* addidi e MS Cort. Leid. edd. 1474, 1475, Med. sec. Junt. Aldus omisit. Ern.

Intellectio[8] est, quum res tota parva de parte cognoscitur, aut de toto pars[9]. De parte totum si intelligitur : « Non illæ te nuptiales tibiæ[10] ejus matrimonii commonebant? » Nam hic omnis sanctimonia nuptiarum, uno signo tibiarum intelligitur. De toto pars, ut si quis ei, qui vestitum aut ornatum sumptuosum ostentet, dicat : « Ostentas mihi divitias, et locupletes copias jactas ». Ab uno plura intelliguntur hoc modo[11] : « Pœno fuit Hispanus auxilio, fuit immanis ille Transalpinus : in Italia quoque idem nonnemo togatus sensit ». A pluribus unum sic intelligitur[12] : « Atrox calamitas pectora mœrore pulsabat. Itaque anhelans ex imis pulmonibus præ cura spiritus ducebatur ». Nam in superioribus plures Hispani, et Galli, et togati, hic unum pectus et unus pulmo intelligitur, et erit illic diminutus numerus festivitatis, hic adauctus gravitatis gratia.

Abusio[13] est, quæ verbo simili et propinquo pro certo et proprio abutitur, hoc modo : « Vires hominis breves sunt, aut parva statura, aut longum in homine consilium; — aut oratio magna, — aut uti pauco ser-

8. *Intellectio*, συνεκδοχή. Quintil. IX, 3.

9. *Aut de toto pars.* Sch. addit, « aut ab uno plura, aut a pluribus unum ». Hæc, inquit, absunt a codd. MSS et edd. Sed necessario inserenda fuerunt, ne manca esset partium, quæ deinde tractantur, enumeratio. — Nihil mutandum. Quum uno multos significas, nonne partem pro toto ponis?

10. *Nuptiales tibiæ.* Referunt ad tibias in carminibus Fescenninis : sed in his nulla sanctitas intelligi potest. Immo pertinent ad sacrificium nuptiale, in quo tibicen adhibetur. Sacrificii nuptialis mentio sæpe apud Veteres, ut apud Tacit. lib. XI, cap. 28. Ern.

11. *Ab uno pl. intelliguntur hoc modo.* Oudend. placet deleri « intelliguntur », quod abest ab edit. 1475. Abest etiam a Mediol. 1498, Junt. Ego malim in altero partitionis membro deleri « intelligitur » : nam in primo solet verbum repeti, et « intelligitur » pariter abest a MS Leid. Ernest.

12. *A pluribus unum sic intell.* Sch. delet « intelligitur », quod, inquit, debet a præcedentibus intelligi, non scribi.

13. *Abusio.* Ea est catachresis. De qua Quint. VIII, 6.

mone ». Nam hic facile est intellectu, finitima verba rerum dissimilium, ratione abusionis esse traducta.

XXXIV. (XXXIV.) Translatio[1] est, quum verbum in quamdam rem transfertur ex alia re, quod propter similitudinem recte videbitur[2] posse transferri. Ea utimur rei ante oculos ponendæ causa, sic : « Hic Italiam tumultus expergefecit terrore subito ». Brevitatis causa, sic : « Recens adventus exercitus subito civitatem exstinxit ». Obscœnitatis vitandæ causa, sic : « Cujus mater quotidianis nuptiis delectatur ». Augendi causa, sic : « Nullius mœror et calamitas istius explere inimicitias, et nefariam saturare crudelitatem potuit ». Minuendi causa, sic : « Magno se prædicat auxilio fuisse, quia paullulum in rebus difficillimis aspiravit ». Ornandi causa, sic : « Aliquando reipublicæ rationes, quæ malitia nocentum exaruerunt, virtute optimatum revirescent[3] ». Translationem dicunt pudentem esse oportere, ut cum ratione in consimilem rem transeat, ne sine delectu temere et cupide videatur in dissimilem transcurrisse.

Permutatio[4] est oratio, aliud verbis, aliud sententia demonstrans. Ea dividitur in tres partes, similitudinem, argumentum, contrarium. Per similitudinem sumitur, quum translationes, una, aut plures, frequenter ponuntur a simplici ratione[5] ductæ, sic :

XXXIV. 1. *Translatio*, metaphora. Quint. VIII, 6.

2. *Recte videbitur*, pro *videtur*, e MSS pluribus, edd. 1474, Med. pr. Ernest.

3. *Exaruerunt... revirescent.* Sic e MSS et ed. pr. reposuimus pro « exaruerant... reviruere ». In lectione vulgata deberet esse ab initio : « tandem aliquando ». Ern.

4. *Permutatio.* Quintiliano, VIII, 6, allegoria est, vel inversio. Quæ quum a similitudine ducitur, proprie *allegoria* est ; quum ab argumento, sive, ut ait Quint. loc. cit. ab exemplo, *ænigma*, teste eodem, vocatur ; quum autem a contrario, *ironia* est.

5. *A simplici ratione ductæ.* I. e. ex uno eodemque fonte oriundæ. « A simili oratione » ed. Med. 1498.

« Nam quum canes funguntur[6] officiis luporum, cui præsidio pecua credemus[7]? » Per argumentum[8] tractatur, quum a persona, aut a loco, aut a re aliqua, similitudo, augendi aut minuendi causa, ducitur : « Ut si quis Drusum, Gracchum, Numitorem obsoletum[9] dicat ». Ex contrario ducitur sic : « Ut si quis hominem prodigum et luxuriosum illudens, parcum et diligentem appellet ». Et in hoc postremo, quod ex contrario sumitur: et in illo primo, quod a similitudine ducitur, per translationem argumento[10] poterimus uti. Per similitudinem, sic : « Quid ait hic rex, atque Agamemnon noster, sive, ut crudelitas est, potius Atreus ? » Ex contrario : « Si quem impium, qui patrem verberaverit, Æneam vocemus; intemperantem et adulterum, Hippolytum nominemus ». Hæc

6. *Funguntur.* Sic Gruterus e duobus MSS. Invenit in aliis, « fungerentur, fungentur ». Editi prius, *fungantur.*

7. *Cui præsidio pecua credemus?* MSS plures et edd. plures « cuinam pr. » quod placet Oudend. Sed etiam *præsidio* mihi frigere videtur. Ern.

8. *Argumentum.* Id est, indicium quo arguitur, significaturque id quod volumus, non exprimitur.

9. *Gracchum, Numitorem obsoletum.* Gruterus, « Gracchum, nitorem obsoletum », ex Pal. quarto et Bruilerensi. Pal. sext. *nitorem.* Turnebus, lib. XX, cap. 25, legendum credidit « munitoremque obsoletum ». — Ern. Gruteri lectionem sequutus est. Grævius, inquit, nesciebat, quid esset « nitor obsoletus », aut quare Dr. et Gracchus sic appellarentur. Credo esse expressum e græco πίνος : in quo inest significatio nitoris et antiquitatis, atque inde alicujus vetusti squaloris (Vid. Clav.) in Græv. v. εὐπινής. Hoc bene convenit illis, quorum gloria obsoleverat, sed tamen non exstincta erat, ut essent apud multos in honore. — Sch. « Gracchi nitorem obsoletum ». Ita, inquit, his verbis sensum et elegantiam restitui. Vulgatam enim, « Gracchum, nitorem obsoletum », quid sit, nemo dixerit.

10. *Per translationem argumento.* Schütz. « permutatione per argumentum ». Hoc sensus, inquit, necessario postulat, qui in vulgata « per transl. arg. » prorsus obliteratus est. — Vulgatam servari posse exemplum monet. *Atreus* enim permutatione ponitur, pro alio nescio quo; et est permutatio per similitudinem, nam illum Atreo similem esse significamus; et est argumentum, nam Atreum vocamus quem crudelem ostendere volumus; et translatio videbitur, si respexeris quid sit auctori nostro *translatio.*

sunt fere, quæ dicenda videbantur de verborum exornationibus. (xxxv.) Nunc res ipsa monet, ut deinceps ad sententiarum exornationes transeamus.

XXXV. Distributio [1] est, quum in plures res aut personas [2], negotia quædam dispertiuntur, hoc modo, « Qui vestrum, judices, nomen senatus diligit, hunc oderit necesse est : petulantissime enim semper iste oppugnavit senatum. Qui equestrem locum splendidissimum cupit esse in civitate, is oportet istum maximas pœnas dedisse velit [3], ne iste sua [4] turpitudine ordini honestissimo maculæ atque dedecori sit. Qui parentes habetis, ostendite istius supplicio, vobis homines impios non placere. Quibus liberi sunt, statuite exemplum, quantæ pœnæ in civitate sint hominibus istiusmodi comparatæ [5] ». Item, « Senatus officium est, consilio civitatem juvare; magistratus officium est, opera et diligentia consequi voluntatem senatus; populi officium est, res optimas, et homines idoneos maxime, suis sententiis deligere et probare [6] ». — « Accusatoris officium est, inferre crimina; defensoris,

XXXV. 1. *Distributio est.* Exempla distributionis vid. pro Mur. 41 ; pro Marcell. 2; pro Cœl. 1; pro Leg. Manil. 10, etc. J. V. L. — Videtur illa exornatio enumerationi partium, inter oratorios locos, simul et inductioni, inter argumenta, affinis. Distributio est etiam I, 10 divisionis pars, et III, 13, vocis contentionis pars. Wetz.

2. *Aut personas, negotia.* Delevi *certas*, quod personis non convenit. Intelligitur enim in iis *plures*. MSS et edd. pr. habent dein « negotia certa quædam » : sed quidam etiam *certa* omittunt, ut Med. pr. quos sequutus sum : recte, nisi valde fallor. Ern.

3. *Is oportet... velit.* Vox *velit* non est in Pal. quarto aut sexto; mutatque *oportet* in *optet*. Neque secus Br. forsan melius. Grut.

4. *Ne iste sua turpitudine.* Schütz. pronomen *iste*, ut male repetitum, delevit.

5. *Istiusmodi comparatæ.* Sic dedi pro *hujusmodi* e MSS et edd. vett. 1474, Med. pr. Estque sine dubio melius. Ern. — Hoc exemplum ad ea tempora pertinet, quibus senatum inter equestremque ordinem erant de judiciis dissidia.

6. *Deligere et probare.* Dedi *del.* pro *eligere*, jubentibus libris, etsi nihil admodum interest : mox eadem de causa *sciat* pro *scierit*, ut est etiam paullo post. Ern.

diluere et propulsare; testis est, dicere, quæ sciat, aut audierit; quæsitoris est, unumquemque horum in officio suo continere. Quare, L. Cassi[7], si testem, præterquam quod sciat, aut audierit, argumentari, et conjecturà prosequi patieris; jus accusatoris cum jure testimonii commiscebis, testis improbi cupiditatem confirmabis, reo duplicem defensionem parabis». Est hæc exornatio copiosa. Comprehendit enim brevi multa, et suum cuique tribuens officium, separatim res dividit plures.

XXXVI. (XXXVI.) Licentia est[1], quum apud eos, quos aut vereri, aut metuere debemus, tamen aliquid pro jure nostro dicimus, quod eos minime offendat, aut quos ii diligunt[2], quum in aliquo errato vere reprehendi posse videantur, hoc modo: « Miramini, Quirites, quod ab omnibus vestræ rationes[3] deserantur? quod causam vestram nemo suscipiat? quod se nemo vestri defensorem profiteatur? Id tribuite vestræ culpæ; atque desinite mirari. Quid enim est, quare non omnes istam rem[4] fugere ac vitare debeant? Recordamini, quos habueritis defensores; studia eorum vobis ante oculos proponite[5]; deinde exitus omnium considerate. Tum vobis veniet in mentem, ut vere

7. *L. Cassi.* Incorruptus ille severusque judex, de quo Tullius pro Roscio Am. 30.

XXXVI: 1. *Licentia est*, παῤῥησία, quam non figuram, sed schema existimari vult Fabius, IX, 2. WETZ. — Exempla vide in Verr. VII, 59; pro Mil. 12; de Leg. Agr. 7; pro Domo sua, 37; Philipp. X, 9, etc. J. V. L.

2. *Aut quos ii diligunt...rep. posse videantur.* Cod. Cauch. et Duisb. « aut quos ii diligunt aliquo in errore vere reprehendere videamur ». SCH.

3. *Miramini, Quirites, quod ab o. vestræ r. deserantur?* Similis fere locus in oratione Memmii apud Sallust. Jug. Itemque in Livii libro VII, ubi plebeii suam sibimet ignaviam exprobrant.

4. *Istam rem.* Scil. causam vestram suscipere, et se vestri defensorem profiteri.

5. *Ante oculos proponite.* Pro simplici *ponite*. Nam et libri scr. meliores atque edd. pr. sic habent, et est elegantius et Veteribus usitatius, ut Cic. N. D. I, 41, et alibi. ERN.

dicam, negligentia vestra, sive ignavia potius illos omnes ante oculos vestros trucidatos esse, inimicos eorum vestris suffragiis in amplissimum locum pervenisse ». Item, « Nam quid fuit, judices, quare in sententiis ferendis dubitaveritis, aut istum hominem nefarium ampliaveritis[6]? Non apertissimæ res erant crimini datæ? Non omnes hæ testibus comprobatæ? Non contra tenuiter et nugatorie responsum? Hic vos veriti estis, si primo cœtu[7] condemnassetis, ne crudeles existimaremini? Dum eam vitastis vituperationem, quæ longe a vobis erat abfutura, eam invenistis, ut timidi atque ignavi putaremini. Maximas, et privatas, et publicas calamitates accepistis: quum etiam majores impendere videantur, sedetis et oscitamini. Luce noctem, nocte lucem exspectatis. Aliquid quotidie acerbi atque incommodi nuntiatur; et eum, cujus opera vobis hæc accidunt, remoramini diutius et alitis; ac reipublicæ perniciem[8] retinetis, quoad potestis, in civitate ».

XXXVII. (XXXVII.) Ejusmodi licentia si nimium videbitur acrimoniæ habere, multis mitigationibus lenietur. Nam continuo aliquid hujusmodi licebit inferre: « Hic ego virtutem vestram quæro, sapientiam desidero, veterem consuetudinem requiro »; ut quod erit commotum licentia, id mitigetur laude[1]; ut altera

6. *Ampliaveritis*. Male interpretatur Wetzelius ad amplitudinem, dignitatem, honores extuleritis. Recte J. V. L. « sententiam et damnationem in aliam diem distulistis ». Cui respondet quod sequitur, « si primo cœtu condemnassetis ».

7. *Si primo cœtu*. Quo primo die conveneritis.

8. *Ac reipublicæ perniciem*. Non abhorret hominem appellari « perniciem reipublicæ », sicut *pestem* alibi sæpe. Sed tamen libri vett. quidam habent vel *ad*, vel *ac ad* etiam *atque*, ut ed. Mediol. 1498. Primum copula necessaria est, si *ad* verum est. *Ac ad* non dicunt Latini. Credo *atque* vitiose scriptum esse pro *adque*. Ern. — Libri nostri tres « ad reipublicæ perniciem », quod satisfaciebat Gulielmio. Grut.

XXXVII. 1. *Ut quod erit c. l. id*

res[2] ab iracundia et molestia removeat, altera ab errato deterreat[3]. Hæc res, sicut in amicitia, ita in dicendo, si loco fit, maxime facit, ut et illi, qui audient[4], a culpa absint, et nos, qui dicimus, amici ipsorum et veritatis esse videamur[5].

Est autem quoddam genus licentiæ in dicendo[6], quod astutiore ratione comparatur : quum aut ita objurgamus eos, qui audiunt, quomodo ipsi se cupiant objurgari[7] : aud id, quod scimus facile omnes audituros, dicimus nos timere, quomodo accipiant; sed tamen veritate commoveri, ut nihilo secius dicamus. Horum amborum generum exempla subjiciemus. Prioris, hujusmodi : « Nimium, Quirites, animis estis simplicibus et mansuetis[8]; nimium creditis unicuique. Existimatis unumquemque eniti, ut perficiat, quæ vobis pollicitus sit. Erratis, et frustra falsa spe jam diu detinemini. Stultitia vestra id, quod erat[9] in vestra potestate, ab aliis petere, quam ipsi sumere maluistis ». Posterioris

mitigetur laude. Hic ordo verborum est in edit. 1474, qui est sine dubio elegantior vulgato : « laude mitigetur ». Ern. — Sch. « et quod erit c. l. id comprimetur laude », auctore cod. Medic.

2. *Altera res*, scil. laus.

3. *Altera ab errato deterreat.* Nempe licentia, reprehensio.

4. *Qui audient.* Gruter. « qui audiunt ».

5. *Amici ipsorum et veritatis esse vid. Ipsorum* dedi pro *eorum* e MSS et nostris, et aliis, et ed. 1474, sicut et latinitas postulabat, et Grævius judicabat. — *Et veritatis.* Addit *assertores* MS et Lips. et Leid. nam in Erf. non esse testatur Græv. quod non absurdum est, sed non necessarium. Estque omnino hic locus in libris scr. et edd. vett. valde interpolatus. Ern. — Sch. « tam ipsorum quam veritatis amici ». Ita, inquit, cod. Erf.

6. *Est autem quoddam genus licentiæ in dicendo.* De hoc genere, sub cujus specie sæpe latet adulatio, ut ait Quint. vide ipsius lib. IX, c. 2.

7. *Se cupiant objurgari.* Sine libris correxi *cupiunt* e latinitatis lege. Ern.

8. *Simplicibus et mansuetis.* Sic scr. et edd. Unus Leidensis habet « et omissis », i. e. negligentibus, et lentis. Quod est Terentianum verbum et exquisitum, et valde h. l. aptum. Nec id a librario natum esse potest, ut bene Oudendorpius judicat. Ern. — Sch. « simp. et omissis ».

9. *Stultitia vestra, id quod erat.* Sic hunc locum ducibus libris scr. et edd. vett. refinximus ex vulgato « st. vestra est, qui, quod erat » : quod nemini perito satis placeat. Ern.

licentiæ hoc erit exemplum. « Mihi cum isto, judices, fuit amicitia; sed ista amicitia, tametsi vereor quomodo accepturi sitis, dicam tamen, vos me[10] privastis. Quid ita? Quia, ut vobis essem probatus, eum, qui vos oppugnabat, inimicum, quam amicum habere malui». Ergo hæc exornatio, cui licentiæ nomen est, sicuti demonstravimus, duplici ratione tractabitur; acrimonia, quæ si nimium fuerit aspera, mitigabitur laude, et assimulatione, de qua posterius diximus, quæ non indiget mitigationis, propterea quod imitatur licentiam[11], et sua sponte ad animum auditoris se accommodat.

XXXVIII. (XXXVIII.) Deminutio[1] est, quum aliquid esse in nobis, aut in iis, quos defendimus, aut natura, aut forma, aut industria dicemus egregium: quod, ne qua significetur arrogans ostentatio, deminuitur et attenuatur oratione, hoc modo: « Nam hoc pro meo jure, judices, dico, me labore et industria curasse, ut disciplinam militarem non in postremis tenerem ». Hic si quis dixisset, ut optime tenerem, tametsi vere dixisset, tamen arrogans visus esset. Nunc et ad invidiam vitandam, et ad laudem comparandam satis dictum est. Item, « Utrum igitur avaritiæ causa, an egestatis, accessit ad maleficium? Avaritiæ?

10. *Sed ista amicitia... sitis, dicam tamen, vos me privastis*. In vulgatis: « sed ista tamen amicitia... sitis, vos me privastis ». At in MSS pluribus et melioribus, etiam Lips. et edd. pr. ut 1474, Med. pr. Omnib. Med. sec. Junt. sic est ut edidi: eaque est legitima et usitata in hoc genere forma. Vulgatum primus dedit Aldus; sed de scriptis libris. Nam plane sic est in MS Cort. Ern.

11. *Imitatur licentiam*. Sch. « insinuationem ». *Licentiam*, inquit, ferri non potest. Nam si assimulatio est modus licentiæ, quomodo dici potest assimulatio licentiam imitari? Immo cum hac ratione comparatur genus exordii, quod supra dicebatur *insinuatio*. Ergo hoc recepimus.—Infelix emendatio. Etsi aliquid certe in textu claudicat, nihil mutandum.

XXXVIII. 1. *Deminutio*, λιτότης. Hujus figuræ exempla sunt in Horat. de Pythagora: « non sordidus auctor

at largissimus fuit in amicos; quod signum liberalitatis est, quæ est contraria avaritiæ[2]. Egestatis? at huic quidem pater (nolo nimium dicere) non tenuissimum patrimonium reliquit». Hic quoque vitatum est, ne magnum aut maximum diceretur. Hoc igitur in nostris, aut eorum, quos defendemus, egregiis commodis proferendis observabimus. Nam ejusmodi res et invidiam contrahunt in vita, et odium in oratione, si inconsiderate tractes. Quare, quemadmodum ratione in vivendo[3] fugitur invidia, sic in dicendo, consilio vitatur odium.

XXXIX. (XXXIX.) Descriptio[1] nominatur, quæ rerum consequentium continet perspicuam et dilucidam cum gravitate expositionem, hoc modo: « Quod si istum, judices, vestris sententiis liberaveritis, statim sicut e cavea leo missus, aut aliqua teterrima bellua soluta ex catenis, volitabit et vagabitur in foro, acuens dentes multos[2], in cujusque fortunas, in omnes amicos atque inimicos, notos atque ignotos incursans; aliorum famam depeculans, aliorum caput oppugnans, aliorum domum atque omnem familiam[3] perfringens,

Naturæ verique ». In Virgil. « Nec sum adeo informis ». J. V. L.

2. *Quod signum l. est, quæ est c. avaritiæ*. Sch. hæc verba ut turpissimum emblema ejecit.

3. *Ratione in vivendo*. Restitui veterem et veram lectionem e MSS et edd. vett. cui Gruterus e Pal. pr. sec. substituit « ratione vivendi », deceptus assuetudine hujus formæ. « Ratione in vivendo » et « consilium in dicendo » concinne sibi respondent. Ern. — Quem Sch. sequutus est.

XXXIX. 1. *Descriptio*. Quæ rhetoribus in sex partes distribuitur : « chorographiam, topographiam, prosopographiam, ethopœiam, effigiem et hypotyposin. J. V. L.

2. *Acuens dentes multos*. *Multos* sine dubio vitiosum est. Unam lectionem variam reperi in libris: *inultos*, quod habet ed. Med. pr. venitque nonnullis in mentem per conjecturam. Sed id non habet commodum sensum. Optimum fortasse fuerit delere verbum, ut fecit Lambinus. Inf. cap. 29 sunt « dentes adunci » : sed hi non satis apti verbo *acuendi* videantur. Ern. — Sch. delevit *multos* cum Lambino.

3. *Domum atque omnem familiam perfringens*. Feræ instar claustra om-

rempublicam funditus labefactans. Quare, judices, ejicite eum de civitate, liberate omnes formidine: vobis denique ipsis consulite. Nam si istum impunitum dimiseritis, in vosmet ipsos, mihi credite, feram et truculentam bestiam immiseritis[4] ». Item, « Nam si de hoc, judices, gravem sententiam tuleritis, uno judicio simul multos jugulaveritis. Grandis natu parens, cujus spes senectutis[5] omnis in hujus adolescentia posita est, quare velit in vita manere, non habebit: filii parvi, privati patris auxilio, ludibrio et despectui paternis inimicis erunt oppositi: tota domus hujus indigna concidet calamitate: at inimici statim sanguinolenta palma, crudelissima victoria potiti, insultabunt[6] in horum miserias, et superbi re simul et verbis invehentur ». Item, « Nam neminem vestrum[7] fugit, Quirites, capta urbe, quæ miseriæ consequi soleant: arma qui contra tulerint, statim crudelissime trucidantur; cæteri, qui possunt per ætatem et vires[8] laborem ferre, rapiuntur in servitutem; qui non possunt, vita privantur: uno denique atque eodem tempore domus hostili flagrat incendio[9], et quos natura, aut voluntas necessitudine, aut benivolentia conjunxit, distrahun-

nis perrumpentis, viamque sibi per confertos viros cæde sternentis.

4. *Bestiam immiseritis*. Auctoribus libris scr. et edd. delevi medium verbum *judices*: quod sua sponte apparebat redundare non bene. Ern.

5. *Cujus spes senectutis*. Sch. « cui spes senectutis », e cod. Erfurt.

6. *Insultabunt*. MS Lips. « exsultabunt ». Ern.

7. *Neminem vestrum*. Pro *nostrum* MSS plures et edd. pr. omnes habent *vestrum*: quod sine dubio aptius est. Ern.

8. *Per ætatem et vires laborem ferre*. « Heri laborem » cod. Bruil. Pal. Cauch. « herilem laborem » conj. Oud. Sch.

9. *Flagrat incendio*. Sic latinitatis lege dudum correxeram, quum inter var. lect. Grævianas idem reperi, tamquam ex edd. sumptum. Quas ego ignoro: nisi quod Lambinum reperi edidisse *flagrant* reprehensum propterea a Grutero. Sciendum est, in his licenter variasse librarios. Velut in MS Lips. hoc ipso in loco est etiam *trucidabuntur*. Itaque nisi legem latinitatis sequamur, nihil certi erit. Vulg. *flagrabit*. Ern.

tur : liberi partim e gremiis parentum diripiuntur[10], partim in sinu jugulantur, partim ante pedes[11] constuprantur. Nemo, judices, est, qui possit satis rem consequi verbis, nec referre[12] oratione magnitudinem calamitatis ». Hoc genere exornationis, vel indignatio, vel misericordia potest commoveri, quum res consequentes comprehensæ universæ[13] perspicua breviter exprimuntur oratione.

XL. (XL.) Divisio[1] est, quæ rem semovens ab[2] re, utramque absolvit, ratione subjecta, hoc modo : « Cur ego nunc tibi quidquam objiciam? Si probus es, non meruisti : sin improbus, non commoveris[3] ». Item, « Quid nunc ego de meis promeritis[4] prædicem? Si

10. *Diripiuntur* Insulse hic Lambinus *deripiuntur;* alterum enim hic proprium est, ut exemplis aliquot palam fecimus, ante viginti aliquot annos, in Animadversionibus ad Senecam. GRUTER.

11. *Partim ante pedes constuprantur*. MSS, edd. fluctuant inter *ædes*, *patres*, etc. Item viri docti conjecturis inter *lares*, *penates*, quod Oudend. placebat : inscitia aut negligentia. Aptissima ista junguntur *gremium*, *sinus*, *pedes*, qui non sunt divellendi. *Ante pedes* est coram, in conspectu. ERNEST.

12. *Nec referre.* Legendum est *nec*, *qui referre*, ut recte se habeat oratio. Pro *referre*, MSS duo apud Oudend. *efferre*, quod placet Oudend. ERN.

13. *Res consequentes comprehensæ universæ*. Semper me offendit hic locus duritie sua. Sed libri nec scripti, nec editi juvant, qui in hac lectione consentiunt. Prima suspicio est de verbo *consequentes :* in quo potest esse glossa verbi *comprehensæ*, quod de rebus nexis inter se dicitur exquisite, ut de periodis : unde apud Ciceronem, de Nat. Deor. lib. II, cap. 59, *comprehensio rerum* est *nexus rerum.* Sin malis *comprehensæ* accipere, unum in locum congestæ et collatæ, *universæ* supervacuum erit. Sed nihil hic certi, aut satis probabile esse potest, sine libris. ERN.

XL. 1. *Divisio.* Nihil de hac figura Quint. Quæ Noster dat exempla, sunt pleraque dilemmatis.

2. *Semovens ab re.* Sic *ab* pro *a* MSS plures et edd. pr. estque melius. ERNEST.

3. *Commoveris*. Lambinus conjicit *commoveberis*. Ed. Med. 1498, *commovere*.

4. *De meis promeritis*. Delevi *propriis* post *meis :* in quo manifestus Germani librarii partus, et dedi cum Grævio e cod. Erf. *promeritis*. ERN. — Schütz. *de meis meritis*. Grævius, inquit, prætulit *promeritis*. Sed antiquum non esse *promeritis* substantive positum, docuit Wolf. ad orat. post Reditum ad Quirites Ciceroni falso tributam.

meministis, obtundam : sin obliti estis, quum re nihil egerim[5], quid est, quod verbis proficere possim? » Item, « Duæ res sunt, quæ possunt homines ad turpe compendium[6] commovere, inopia atque avaritia. Te avarum in fraterna divisione cognovimus : inopem atque egentem nunc videmus. Qui potes igitur ostendere causam maleficii non fuisse? » Inter hanc divisionem, et illam, quæ de partibus orationis tertia est, de qua in libro primo diximus secundum narrationem, hoc interest : illa dividit per enumerationem, aut per expositionem, quibus de rebus in tota oratione disputatio futura sit; hæc se statim explicat, et brevi duabus aut pluribus partibus subjiciens rationes, exornat orationem.

(XLI.) Frequentatio[7] est, quum res in tota causa dispersæ coguntur in unum[8], quo gravior, aut acrior, aut criminosior oratio sit, hoc pacto : « A quo tandem abest iste vitio? Quid est, judices, cur velitis eum liberare? Suæ pudicitiæ proditor est, insidiator alienæ; cupidus, intemperans, petulans, superbus; impius in parentes, ingratus in amicos, infestus in cognatos[9], in superiores contumax, in æquos et pares fastidiosus, in inferiores crudelis, denique in omnes intolérabilis ».

XLI. Ejusdem generis est illa frequentatio, quæ

5. *Sin obliti estis, quum re nihil egerim*. Nihil in obtinenda vestra benivolentia profecerim.

6. *Turpe compendium*, sc. turpem quæstum.

7. *Frequentatio*. Seu *accumulatio*. Quintil. VIII, 4, est συναθροισμὸς, seu *congeries*.

8. *Coguntur in unum*. *Unum in locum* al. quod probat Oud. et exemplis firmat. Sed *in unum* codd. Gruteri, it. Pith. et Erf. Scn. — *Unum in locum* ed. Med. 1498.

9. *Infestus in cognatos*. Quod Gronovius e MSS suis notat et præfert, *inf. cognatis*, etiam Grævius in Erf. reperit, estque et in veteribus edd. Grævius quidem recipit in textum : ego vulgatum servo : est enim concinnius propter similitudinem cum ceteris membris. Ern. — Schütz. *infestus cognatis*.

plurimum conjecturalibus causis [1] opitulatur, quum suspiciones, quæ separatim dictæ, minutæ et infirmæ erant, unum in locum coactæ rem videntur perspicuam facere, non suspiciosam, hoc pacto : « Nolite igitur, nolite, judices, ea, quæ dixi, separatim spectare; sed omnia colligite, et conferte in unum. Si et commodum ad istum ex illius morte veniebat, et vita hominis est turpissima, animus avarissimus, fortunæ familiares attenuatissimæ [2], et res ista bono nemini præter istum fuit; neque alius quisquam æque commode, neque iste aliis [3] commodioribus rationibus facere potuit; neque præteritum quidquam est ab isto, quod opus fuerit ad maleficium; neque factum, quod opus non fuerit [4]; et quum locus idoneus maxime quæsitus, tum occasio aggrediendi commoda, tempus adeundi opportunissimum, spatium conficiendi longissimum sumptum est, non sine maxima occultandi et perficiendi maleficii spe [5]; et præterea ante, quam occisus homo is est, iste visus est in eo loco, in quo occisio facta, solus; paullo post in [6] ipso

XLI. 1. *Conjecturalibus causis.* De conjecturali causa resp. I, 11; II, 2.

2. *Fortunæ familiares attenuatissimæ.* Sic fere libri scr. et edd. vett. quod sine dubio melius est vulgato « fortuna rei familiaris attenuatissima ». Nam de pecuniis non *fortuna*, sed *fortunæ* dicuntur. Quidam etiam libri *familiares* omittunt, ut ed. Med. pr. quod etiam magis placet. Conjectura Gronovii « fortunæ rei familiaris attenuatissimæ » est in ed. Aldi : mihi non placet : nec exempla similia sunt. Ernest. quem Schütz. sequutus est.

3. *Neque iste aliis commodioribus rationibus.* Si iis rationibus occisus est homo, quibus nulla alia commodior esse reo potuit occidere volenti. — Suspicatus sum *ipse*, quia opponitur, *nec alius quisquam.* Ern. — Schützius edidit *ipse* eadem ratione, et quod *iste* jam paullo ante occurrit.

4. *Neque factum, quod opus non fuerit.* Ea Schützius delet auctoritate codd. Erf. et Duisb.

5. *Non sine maxima occultandi et perficiendi maleficii spe. Et perficiendi* absunt a pluribus libris scr. quod valde placet. Saltem ordo verborum *occultandi et perficiendi* mutandus cum Lambino. Ern. — Schütz. delevit *et perficiendi.*

6. *In ipso maleficio.* Necesse habui istud admittere, ob consensum om-

maleficio, vox illius, qui occidebatur, audita [7]; deinde post occisionem, istum multa nocte domum rediisse constat; postera die titubanter et inconstanter de occisione illius loquutum; hæc partim testimoniis, partim quæstionibus et argumentis omnia comprobantur, et rumore populi, quem ex argumentis natum, necesse est esse verum: vestrum est, judices, his in unum locum collatis [8], certam sumere scientiam [9], non suspicionem maleficii. Nam unum aliquid, aut alterum potest in istum casu cecidisse suspiciose [10]: ut omnia inter se a primo ad postremum conveniant [maleficia [11]], necesse est [12] casu non posse fieri». Vehemens est hæc exornatio, et in conjecturali constitutione causæ ferme semper necessaria, et in ceteris generibus causarum, et in omni [13] oratione adhibenda nonnumquam.

XLII. (XLII.) Expolitio [1] est, quum in eodem loco manemus, et aliud atque aliud dicere videmur. Ea dupliciter fit, si aut eamdem plane rem dicemus, aut de eadem re. Eamdem rem dicemus, non eodem modo

nium Pall. et Bruil. nam alioqui non absurde impressi: « in ipso loco maleficii ». GRUT. — Schütz. *in ipso*, nullo addito verbo. Scilicet, inquit, int. *loco*.

7. *Audita*. Delevi *est*, quod abest libris melioribus. ERNESTI.

8. *His in unum locum collatis*. MSS quidam boni addunt *ex* non male, ut judicabat Grævius, sed tamen non necessarium puto. ERN.

9. *Certam sumere scientiam*. Sic passim omnes edd. at enim MSS nostri persistunt in *sumere sententiam*. GRUTER.

10. *Cecidisse suspiciose* Ita cecidisse, ut suspicionem afferant.

11. *Maleficia*. Hoc rectum esse non potest: *maleficio*, quod in paucis scr. reperitur, est a correctore. Itaque sequor Lambinum, qui pro spurio repudiat. Sed tamen in textu reliqui uncis inclusum. ERN. — Schützius omnino delevit.

12. *Necesse est*. Schütz. *certum est*. Vulgatum, inquit, non bene coit cum *non posse fieri*.

13. *Et in cet. gen. causarum, et in omni oratione*. I. e. non modo in causis, sed et in deliberativo et in demonstrativo genere.

XLII. 1. *Expolitio*. Quam non esse vanam, ut nonnulli opinantur, loquacitatem, testatur Racinii nostri locus Iphigen. act. IV, scen. 4, ubi Clytæmnestra Agamemnonem interrogat quid pro servanda filia egerit.

(nam id quidem obtundere auditorem est, non rem expolire), sed commutate. Commutabimus tripliciter, verbis, pronuntiando, tractando[2]. Verbis commutabimus, quum, re semel dicta, iterum, aut sæpius aliis verbis, quæ idem valeant, eadem res proferetur, hoc modo : « Nullum tantum est periculum, quod sapiens pro salute patriæ vitandum arbitretur. Quum agetur incolumitas perpetua[3] civitatis, qui bonis erit rationibus præditus, profecto nullum vitæ discrimen sibi pro fortunis reipublicæ fugiendum putabit; et erit in ea sententia semper, ut pro patria studiose, quamvis[4] in magnam descendat vitæ dimicationem ». Pronuntiando commutabimus, si tum in sermone, tum in acrimonia[5], tum in alio atque alio genere vocis atque gestus, eadem verbis commutando, pronuntiationem[6] quoque vehementius immutabimus. Hoc neque commodissime scribi potest, neque parum est apertum : quare non eget exempli. (XLIII.) Tertium genus est commutationis, quod tractando conficitur[7], si sententiam trajiciemus aut ad sermocinationem, aut ad exsuscitationem.

2. *Tractando. Traducendo* Schütz. Cf. not. ad c. 43.

3. *Quum agetur incolumitas perpetua*. Sic Noster quartus; non *augetur*, quod in vulgatis posterioribus et plerisque MSS. Gauter. — Valde friget epitheton *perpetua*, itaque a glossatore additum credo. Precari incolumitatem perpetuam possumus, sed non in hac forma addi convenit hoc epitheton. Ern. — Schütz. omnino delevit.

4. *Pro patria studiose, quamvis*. Haud aliter omnes nostri; ii tamen quos contulit Suffridus noster, addunt vocem « studiose laboret, quamvis » non necessario. Gaut.

5. *Tum in sermone, tum in acrimonia*. Id est : sive remissa voce loquimur, sive cum magna contentione agimus.

6. *Pronuntiationem*. Accusativum pro ablativo reposui e libris scr. apud Oud. et nostris, edd. 1474, Mediol. pr. quod in primis verbum *vehementius* requirit, quod ad pronuntiationem necessario refertur. Ern.—Quem Schützius sequutus est. Equidem fatebor ablativum magis placere. Ceterum quoquo modo scripseris, *pronuntiando commutari* ea quæ *pronuntiatione immutantur*, ita verum et planum est, ut parum dicto opus fuerit.

7. *Quod tractando conficitur*. Sch. *quod traducendo conf.* Vulg. inquit,

XLIII. Sermocinatio[1] est (de qua planius[2] paullo post suo loco dicemus, nunc breviter ad hanc rem, quod satis sit[3], attingemus), in qua constituetur alicujus personæ oratio accommodata ad dignitatem, hoc modo (ut, quo facilius res cognosci possit, ne ab eadem sententia[4] recedamus) : « Sapiens, qui omnia[5] reipublicæ causa suscipienda pericula putabit, sæpe ipse secum sic loquetur[6] : Non mihi soli, sed etiam, atque adeo multo potius, natus sum patriæ : vita, quæ fato debetur, saluti patriæ potissimum solvatur[7]. Aluit hæc me : tute atque honeste produxit usque ad hanc ætatem : muniit meas rationes bonis legibus, optimis moribus, honestissimis disciplinis. Quid est, quod a me satis ei persolvi possit, unde hæc accepta sunt ? Quia hæc loquitur secum sapiens, sæpe ego in periculis reipublicæ nullum ipse periculum fugi[8] ». Item mutatur res tractando[9], si traduci-

prorsus sensu caret. Nam omnes figuræ tractandæ sunt. Ex loco qui infra sequitur, « item commutatur res » facile patet, legendum esse hic et ibi : *traducendo*. — De traductione vide cap. 14. Ceterum inutilis videtur correctio. Vid. inf. not. 9.

XLIII. 1. *Sermocinatio* non satis apte doctissimo viro gallico interpreti dicitur *le dialogisme*, quum sit non solum inter se loquentium, sed et unius viri secum loquentis.

2. *De qua planius*. *D. q. plenius* ed. Med. 1498.

3. *Breviter ad hanc rem, quod satis sit, att.* « Breviter quod ad hanc rem satis sit, att. » ed. Med. 1498.

4. *Ab eadem sententia*. Ab eodem orationis argumento, unde prius exemplum desumpsi.

5. *Sapiens, qui omnia*. Pal. quart. excludit pronomen *qui*, forsan recte.

6. *Ipse secum sic loquetur*. Sic edidi e perpetua consuetudine Latinorum in hac figura. Vidit Lambinus, qui addidit *ita*. Illud usitatius, et facilius excidere potuit. Pro *loquitur*, etiam *loquetur* ed. Mediol. sec. Junt. quod sane propter *putabit* necessarium est. *Loquitur* desiderat *putat* vel *putet*. Decepit librarios vel correctores, quod infra est *loquitur*. Ernest.

7. *Vita, quæ fato debetur, saluti patriæ potissimum solvatur*. Hoc prope ad verbum habet Philippica XIV: « O fortunata mors, quæ naturæ debita, pro patria est potissimum reddita ».

8. *Quia hæc loquitur... periculum fugi*. Ridiculus hic est pannus, quem assuit interpolator nescio quis. Sch. qui hanc sententiam delevit.

9. *Res tractando*. Schütz. ut supra *traducendo*. Quæ correctio vana videtur; nam *tractando* aptissimum sen-

tur ad exsuscitationem, quum et nos commoti dicere videmur, et auditoris animum commovemus, sic : « Quis est tam tenui cogitatione præditus, cujus animus tantis angustiis invidiæ continetur, qui non hunc hominem studiosissime laudet, et sapientissimum judicet, qui pro salute patriæ, pro incolumitate civitatis, pro reipublicæ fortunis quamvis magnum atque atrox periculum studiose suscipiat, et libenter subeat? Equidem hunc hominem magis cupio satis laudare, quam possum; idemque hoc certo scio vobis omnibus usu venire ».

Eadem res igitur[10] his tribus in dicendo commutabitur rebus[11], verbis, pronuntiando, tractando : sed tractando dupliciter, sermocinatione, et exsuscitatione. (XLIV). Sed de eadem re quum dicemus, pluribus utemur commutationibus. Nam quum rem simpliciter pronuntiaverimus, rationem poterimus subjicere : deinde dupliciter[12], vel sine rationibus, vel cum rationibus, pronuntiare sententiam[13] : deinde afferre contrarium[14]; de quibus omnibus diximus in verborum exornationibus : deinde simile et exemplum[15], de quo suo loco plura dicemus : deinde conclusionem[16], de qua in secundo libro, quæ opus

sum habet. Significat enim quum mutatur orationis habitus.

10. *Eadem res igitur . . . sermocinatione, et exsuscitatione*. Sch. hanc phrasin delevit, ut glossatori debitam et inutilem.

11. *Commutabitur rebus*. Gruterus habet *comm. modis*; credo quia parum placebat, *res* commutabitur tribus *rebus*. Equidem utrumque et *rebus* et *modis* deleverim.

12. *Deinde dupliciter*. Pro *duplicem* e melioribus MSS apud Oud. et Græv. quod res ipsa flagitabat. Respondet enim verbo *simpliciter*. Nec minus delevi *sententiam* post *pronuntiare* iisdem causis. Edd. veteres omnes in vulgata consentiunt, nisi quod a Med. pr. abest *sententiam*. ERNEST. —Totus hic locus valde mihi obscurus et majori labore quam utilitate explanandus.

13. *Pronuntiare sententiam*, de qua resp. cap. 14.

14. *Contrarium*, de quo resp. c. 18.

15. *Simile et exemplum*. De his vide cap. 46-49.

16. *Conclusionem*. De qua resp in lib. II, cap. 30.

fuerunt, diximus, demonstrantes, argumentationem quemadmodum concludere oporteat. In hoc libro[17] docuimus, cujusmodi esset exornatio verbi, cui conclusioni nomen est.

XLIV. Ergo hujusmodi vehementer ornata poterit esse expolitio, quæ constabit ex frequentibus verborum exornationibus et sententiarum. Hoc modo igitur septem partibus[1] tractabitur. Sed ab ejusdem sententiæ non recedemus[2] exemplo, ut scire possis, quam facile præceptione rhetorica res simplex multiplici ratione tractetur. « Sapiens nullum pro republica periculum vitabit; ideo quod sæpe fit, ut, quum pro republica perire noluerit, necessario cum republica pereat. Et quoniam sunt omnia commoda a patria accepta, nullum incommodum pro patria grave putandum est. Ergo qui fugiunt id periculum, quod pro republica subeundum est, stulte faciunt. Nam neque effugere incommoda possunt, et ingrati in civitatem reperiuntur. At, qui patriæ pericula suo periculo expetunt[3], hi sapientes putandi sunt, quum et eum, quem debent, honorem reipublicæ reddunt, et

17. *In hoc libro... nomen est.* Hæc ejecit Lambinus : nec alienus sum ab ejus sententia. Si genuina sunt, saltem *verbi* delendum est, quamquam est in genere exornationis verborum. Ern. — Schütz. hoc delevit, injusto postliminio, ut ait, a recentioribus reductum.—Non puto, nam hæc ad quarti libri cap. 30 respiciunt; superiora ad librum secundum.

XLIV. 1. *Septem partibus tractabitur.* Scilicet, subjecta ratione, pronunciata sententia, cum sententiæ ratione, allato contrario, simili, exemplo, conclusione.

2. *Non recedimus.* Sic et MSS et edd. 1474 Mediol. pr. idque melius quam *recedamus*, ut facile quisque sentiet. Ernest. — *Ab ejusdem sententiæ exemplo.* Id est, ab ea sententia quæ superiori capite exemplo fuit : nempe patriæ utilitati omnia esse posthabenda.

3. *Suo periculo expetunt.* Hæret Grævius in hoc verbo, et recipi vult lectionem alteram librorum scr. *excipiunt.* Sed non arbitror esse ita necessarium, ut ille putabat. Si possumus « offerre nos periculis » pro patria, ea etiam *expetere*, adire, capessere possumus. Vide viros doctos ad Livium, lib. XXX, 18. Ernest.

pro multis perire malunt, quam cum multis. Etenim vehementer est iniquum, vitam, quam a natura acceptam propter patriam conservaveris, naturæ, quum cogat, reddere; patriæ, quum roget, non dare[4]; et quum possis cum summa virtute et honore pro patria interire, malle per dedecus et ignaviam vivere; et[5], quum pro amicis et parentibus et ceteris necessariis adire periculum velis, pro republica, in qua et hæc, et illud[6] sanctissimum nomen patriæ continentur[7], nolle in discrimen venire. Itaque uti contemnendus est, qui in navigando se, quam navim, mavult incolumem : ita vituperandus, qui in reipublicæ discrimine, suæ plus, quam communi saluti, consulit. Nave enim fracta, multi incolumes evaserunt : ex naufragio patriæ salvus nemo potest enatare. Quod mihi bene videtur Decius intellexisse, qui se devovisse dicitur, et pro legionibus in hostes immisisse medios[8] : unde amisit vitam[9]; at non perdidit : re enim vilissima certam, et parva[10] maximam redemit. Dedit vitam, accepit patriam : amisit animam, potitus est gloria, quæ cum summa laude prodita ve-

4. *Est iniquum, vitam... naturæ... reddere; patriæ... non dare.* Monet Wetzelius similiter loqui solere Isocratem, quo scimus Ciceronem in primis gaudere. — *Propter patriam.* H. e. patriæ munere.

5. *Et.* Abest *et* ab ed. Med. 1498, quæ *quum* posuit ante *velis.*

6. *In qua et hæc, et illud. Hæc* int. parentes, liberi, conjuges, etc. Sententia est valde usitata Veteribus. In vulgatis est *hoc:* sed illud boni codices et ed. 1474 habent. Ernest.

7. *Continentur. Continetur* ed. Mediol. 1498, Gruter. apud quos erat *hoc* pro *hæc.*

8. *In hostes immisisse medios. Se in hostes* ed. Med. 1498. Schütz. *intulisse* e cod. Leid. 2.

9. *Unde amisit vitam.* Restitui *unde*, quod et scripti pæne omnes et edd. pr. habent. Abrupta oratio non convenit huic loco. Ernest.

10. *Re enim vilissima certam, et parva maximam.* Sic cum Grævio et Oudend. e libris optimis rescripsi pro vulg. « r. e. vilissima et perparva maximam », ut et ed. Cratandri habet, et sunt ista sine dubio meliora, ut quivis sentire potest. Sed tamen *vilissima* et *certa* res non accurate opponuntur. Ernest. — Schütz. « re enim vanissima certam, et parva maximam ». Sic vim oppositionis servavit.

tustate quotidie magis enitescit. Quod si, pro republica debere accedere ad periculum[11], et ratione demonstratum est, et exemplo comprobatum, ii sapientes sunt existimandi, qui nullum pro salute patriæ periculum vitant.» In his igitur generibus expolitio versatur, de qua producti sumus[12], ut plura diceremus, quod non modo, quum causam dicimus, adjuvat et exornat orationem, sed multo maxime per eam exercemur ad elocutionis facultatem. Quare[13] conveniet extra causam in exercendo rationes adhibere expolitionis, in dicendo uti, quum exornabimus argumentationem[14], de qua diximus in libro secundo.

XLV. (XLV.) Commoratio[1] est, quum in loco firmissimo, quo tota causa continetur, manetur diutius, et eodem sæpius reditur. Hac uti maxime convenit, et id est oratoris boni maxime proprium. Non enim datur auditori potestas animum de re firmissima[2] dimovendi. Huic exemplum satis idoneum subjici non potuit, propterea quod hic locus non est a tota causa separatus, sicuti membrum aliquod, sed tamquam sanguis, perfusus est per totum corpus orationis.

11. *Pro republica debere accedere ad periculum*. Lambinus, « debere accedi ad peric. » sed præter MSS, qui mirifice hic variant. Bruil. servat *decere*, quod placuit Gulielmio. Pal. pr. habet, « pro republ. debere suscipere per. » Sec. « pro rep. deberemus accedere, suscipere per. » Tert. « pro rep. dixerit suscipere periculum. Prope debere accedere ad periculum » : quod et fuit initio in sexto. Sed mutatum ad faciem vulgatæ. Quintus : « pro republ. debere vel suscipere vel adire per. » GAUT. — Schutz. « pro rep. decere acc. ad per. »

12. *De qua producti sumus, ut plura diceremus*. I. e. longius, ut alibi dicit, oratione sumus provecti. WETZ.

13. *Quare conveniet... in libro secundo*. Hæc omnia Schutz. delevit ut interpolatori debita.

14. *Argumentationem*. *Argumentatione* ed. Med. 1498. Vulg. sic intellige: Uti rationibus expolitionis, quum exornabimus argumentationem.

XLV. 1. *Commoratio*. Gr. ἐπιμονή. Hinc Ciceroni Inv. I, 49, rem augere et in ea commorari sunt synonyma : quod est Or. 15 : « Orator hæret in bonis, habitat in suis ». WETZ.

2. *De re firmissima*. In qua insunt argumentationes firmissimæ. WETZ.

Contentio[3] est, per quam contraria referuntur[4]. Ea est in verborum exornationibus, ut ante docuimus, ejusmodi : « Inimicis te placabilem, amicis inexorabilem præbes ». In sententiarum, hujusmodi : « Vos hujus incommodis lugetis, iste reipublicæ calamitate lætatur. Vos vestris fortunis diffiditis, iste solus suis eo magis confidit ». Inter hæc duo contentionum genera hoc interest : illud ex verbis celeriter relatis constat ; hic sententiæ contrariæ ex comparatione referantur oportet.

(XLVI.) Similitudo est oratio traducens ad rem quampiam aliquid ex re dispari simile. Ea sumitur aut ornandi causa, aut probandi, aut apertius dicendi, aut ante oculos ponendi. Et quomodo quatuor[5] de causis sumitur, ita quatuor modis dicitur : per contrarium, per negationem, per brevitatem, per collationem[6]. Ad unamquamque sumendæ causam similitudinis, accommodabimus singulos modos pronuntiandi[7].

XLVI. Ornandi causa sumitur per contrarium, sic : « Non enim, quemadmodum in palæstra, qui tædas[1]

3. *Contentio est.* Græcis ἀντίθετον. Fabio est etiam « contrapositum », lib. IX, cap. 4.

4. *Contraria referuntur.* Schützius, *contraria contrariis ref. Contrariis*, inquit, addidimus ; quod nisi addatur, alius plane sensus exoritur, quam quem hic locus postulat. *Contraria* enim *referre* est narrare ; hic autem agitur de oppositione contrariorum.

5. *Et quomodo quatuor.* Sic MSS plures, etiam duo nostri, recte. Nam vulgata : « quomodo igitur quatuor » parum convenit. Non enim aliquid e præcedentibus colligitur, sed eis aliquid simile additur. ERNEST.

6. *Per brevitatem, per collationem.* Id est, per comparationem sive brevius sive fusius expressam.

7. *Ad unamquamque s. c. s. accommodabimus singulos modos pronuntiandi.* Non significat Noster singulos tantum modos singulis causis accommodari posse ; nuntiat tantum quid in exponendis exemplis facturus sit.

XLVI. 1. *Tædas ardentes.* Recepi *ardentes* pro *candentes* e scr. libris et ed. 1474, Med. utraque, Junt. etc. Fortasse varietas est e varietate glossæ ; unum tædarum verbum satis est, nec opus epitheto, quod etiam in proverbio intelligitur *lampada tradere*, et sæpe solum dicitur. Sic mox simpliciter est *facem tradere*. Ceterum

ardentes accipit, celerior est in cursu continuo[2], quam ille, qui tradit[3]; ita melior imperator novus, qui accipit exercitum, quam ille, qui decedit: propterea quod defatigatus cursor integro facem, hic peritus imperator imperito exercitum tradit ». Hoc, sine simili, satis plane, et perspicue, et probabiliter dici potuit, hoc modo[4]: « Minus bonos imperatores a melioribus exercitum accipere solere »: sed ornandi causa simile sumptum est, ut orationi dignitas quædam compararetur[5]. Dictum est autem per contrarium. Nam tunc similitudo sumitur per contrarium, quum ei rei, quam nos probamus, aliquam rem negamus esse similem, ut paullo ante, quum de cursoribus disserebamus[6]. Per negationem dicetur, probandi causa,

non ignoro etiam *tædas ardentes* esse apud Ciceron. pro R. Am. Sed ibi res postulabat addi. Ern. — Gruterus *candentes. Ardentes*, inquit, exstat in Pall. aliquot. Sed alii retinent item *candentes*. Quintus præterea ac Bruil. præferunt *cadentes*, quod rectum esse posse annotavit Gulielmius. Grut.

2. *Celerior est in cursu continuo*. Schützius delet *continuo*. Quam vim, inquit, habeat h. l. epitheton? An quis de cursu interrupto cogitare possit? Sed hoc vocabulum librariorum vitio huc retractum est e versu sequente, ubi locum suum tuetur inter *ita* et *melior*. Nempe *continuo* hic est adverbium, quod sæpe cum *non* copulatur. « Non continuo melior est imperator », h. e. non statim sequitur meliorem esse imperatorem.

3. *Quam ille, qui tradit*. De hoc cursu tædas ferentium vide Gallicum scriptorem Itineris juvenis Anacharsis, cap. 24. Lucretius, lib. II, vers. 77: « si rerum summa novatur Semper, et inter se mortales mutua vivunt... Inque brevi spatio mutantur secta animantum; Et, quasi cursores, vitai lampada tradunt ».

4. *Hoc modo: « Minus bonos*. Delevi *dicitur*. Nam nec bene latinum esset, et a libris pluribus scriptis, Grut. Oud. et nostris abest. Ernest. — Gruterus *dicitur* reliquit quasi invite. Adest etiam in ed. Med. 1498.

5. *Compararetur*. Sic scripsi, non *comparetur*; nam præcessit *sumptum est*. Ern. — Defendit Wetzelius vulgatam; puto, non bene.

6. *Ut paullo ante, quum de cursoribus disserebamus*. Joculare est, inquit Schütz. quod hic adscripsit glossator, quasi simile a cursoribus desumptum dissertationis instar esset. — *Disserebamus*. Hanc lectionem male a Lambino inductam dicit Gronov. pro vetere *asserebamus*: nam est jam in ed. Victoriana prima, Hervag. Rob. et Car. Stephani, etc. Et verbum disserendi apud rhetores sic dicitur. Aliquando suspicati sumus fuisse *afferebamus* scil. similitudinem, etc. inde

hoc modo : « Neque equus indomitus, quamvis natura bene compositus sit, idoneus potest esse ad eas utilitates[7], quæ desiderantur ab equo ; neque homo indoctus, quamvis sit ingeniosus, ad virtutem potest pervenire ». Hoc probabilius factum est ; quod magis est verisimile[8], non posse virtutem sine doctrina comparari, quoniam ne equus quidem[9] indomitus idoneus possit esse. Ergo sumptum est probandi causa. Dictum est autem per negationem. Id enim perspicuum est de primo similitudinis verbo.

XLVII. (XLVII.) Sumetur et, apertius dicendi causa, similitudo per brevitatem[1], hoc modo : « In amicitia gerenda, sicut in certamine currendi, non ita convenit exerceri, ut, quoad necesse sit, pervenire[2] possis ; sed ut productus studio, et viribus, ultra facile procurras ». Nam hoc simile[3] est, ut apertius intelligatur, mala ratione facere, qui reprehendant eos, qui, verbi causa, post mortem amici liberos ejus custodiant,

natum *asserebamus* : hinc *disserebamus* per conjecturam viri docti. ERNEST.

7. *Ad eas utilitates.* Addit *et aptus* ed. Med. 1498. Quæ verba Gruterus se delevisse dicit, quod ab omnibus Pall. uno excepto, et Bruil. aberant.

8. *Hoc probabilius... verisimile.* Hoc intelligi non potest, nec magis intelligetur si, pro *quod magis* e libro Suffridi, corrigas *ac magis*, aut cum Lambino, *quod minus* : quamquam id paullo melius est ad intelligendum. Conjeci *eo, quod magis.* Sensus est : *hoc*, hominem sine doctrina virtutem consequi non posse, etsi per se probabile est. Ut illud superius de imperatore, « probabilius factum est eo (sc. per id) quod magis verisimile est », de equo, sc. non domito. Hinc additur : ergo hoc, de equo, sumptum est probandi causa, ut probabilius fieret illud de homine. Comparetur genus sequens similitudinis, de quo eodem modo præcipit : « nam hoc simile est, ut apertius intelligatur ». ERN.

9. *Ne equus quidem.* « Nec equus quidem » ed. Med. 1498.

XLVII. 1. *Sumetur et, apertius dicendi causa, similitudo per brevitatem.* Sequutus sum Pall. omnes. Bruil. et Persini codd. « sumitur et ap. d. c. simile et per brev. »

2. *Pervenire possis. Venire possis* ed. Med. 1498. Int. ut metam attingas, in qua tangenda victoria est.

3. *Nam hoc simile est.* Schützius, « nam hoc simile sumptum est ». Correctionem hanc, inquit, nexus cum antecedentibus requirit. Idem postea : *ut intelligeretur.*

propterea quod in cursore tantum velocitatis esse oporteat, ut efferatur[4] usque ad finem; in amico tantum benivolentiæ, ut ultra, quam amicus sentire possit, procurrat amicitiæ studio[5]. Dictum autem simile est per brevitatem. Non enim ita, ut in ceteris rebus, res ab re separata[6] est, sed utraque res conjuncte et confuse comparata. Ante oculos ponendi negotii causa sumetur similitudo, quum dicetur per collationem[7], sic : « Uti citharœdus, quum prodierit optime vestitus[8], palla inaurata indutus, cum chlamyde purpurea, coloribus variis intexta, et cum corona aurea, magnis fulgentibus gemmis[9] illuminata, citharam tenens exornatissimam, auro et ebore distinctam, ipse præterea forma et specie sit et statura apposita ad dignitatem; si, quum magnam populo commoverit his rebus exspectationem, repente silentio facto, vocem emittat acerbissimam cum turpissimo corporis motu; quo melius ornatus et magis fuerit

4. *Ut efferatur.* Int. cursu vel currendo.

5. *Tantum benivolentiæ, ut ultra, quam amicus sentire possit, procurrat amicitiæ studio.* Rescidi *studium*, quod aliis positum post *benivolentiæ*, præeuntibus Pal. pr. ac sec. Si tamen sequimur Pal. quartum et sextum necnon Bruil. tunc rescribendum erit, « tamen benivolentiæ studium, ut efferatur ultra finem », ceteris omissis omnibus, neque displicet. GRUT.

6. *Non... res ab re separata*, etc. Sensus est : non similitudo separatim ab eo, quod similitudine illustrari debet, ponitur, ut alias, v. c. sic : non ut cursor, ita amicus facere debet : nam in illo satis est, etc. in hoc etiam desideratur, ut ultra finem vitæ amicum se præstet; sed similitudo cum altero permixta est. Ceterum MSS quidam habent pluralem *utræque... comparatæ*, pro quo etiam *pronuntiatæ* reperitur, idque præfert Oudend. MS Erf. ed. 1474, *pronuntiata.* Vulgatum *comparata* mihi exquisitius videtur. ERN.

7. *Quum dicetur per collationem.* Addidimus *quum dicetur* e MSS et edd. pr. quod et res et sensus postulat. Sensus est, quum distincte comparatio exprimitur, per *ut... ita*, membris omnibus in utraque parte sibi respondentibus, non confuse, ut ante, et velut implicite. ERN.—*Quum dicetur* abest a Gruter.

8. *Optime vestitus.* Christius noster legi volebat *opime.* ERNEST.

9. *Magnis fulgentibus gemmis.* Pal. quartus et sextus, Bruil. *magna.* Vox ea non visitur in Pal. tertio : nimisque petulans Lambinus qui obtrusit lectori *magni fulgoris gemmis ill.* GRUT.

exspectatus, eo magis derisus et contemptus, ejicitur[10]: ita si quis in excelso loco, et in magnis ac locupletibus copiis collocatus, fortunæ muneribus, et naturæ commodis omnibus abundabit; si virtutis, et artium, quæ virtutis magistræ sunt, egebit; quo magis ceteris rebus copiosus erit, et illustris[11], et exspectatus, eo vehementius derisus et contemptus, ex omni conventu bonorum ejicietur». Hoc simile, exornatione utriusque rei, et alterius inertiæ artificis alterius stultitia[12] simili ratione collata, sub aspectum omnium rem subjecit. Dictum autem est per collationem, propterea quod, proposita similitudine, paria sunt omnia relata.

XLVIII. (XLVIII.) In similibus observare oportebit[1] diligenter, ut, quum rem afferamus similem[2], cujus rei

10. *Ejicitur*. *Ejicietur* ed. Mediol. 1498.

11. *Copiosus erit, et illustris*. Reposui primum e MSS et edd. vett. *inlustris*, quod mutavit Gruterus e MSS suis (habet et ed. 1474) in *industrius*, sed huic loco nullo modo convenit. Deinde *et exspectatus* cum Oudend. delendum puto, et tractum huc e superioribus. Est enim hic alienum. Indicat etiam copula *et* omissa in libris MSS et edd. vett. Ernest. — Schütz. delevit *et exspectatus*. Ed. Med. 1498 *erit copiosus*. Grut. «erit copiosus et industrius».

12. *Et alterius inertiæ artificis alterius stultitia*. Sic reposui pro *stultitiæ* e MSS aliquot apud Oud. et edd. 1474, Mediol pr. Et sic res postulat. Ordo verborum est: «et alterius stultitia, simili ratione, collata inertiæ alterius artificis». Malim etiam aut *alterius* primum deleri, vel potius *artificis*, quod a libro Leid. abest, et glossam sapit satis perspicue. Ernest. — Gruterus, «et alterius inertiæ artificii alterius stultitiæ». Hæc lectio, inquit, Pal. quarti, quinti, sexti, item Bruil. quorum duo quum habeant *artificis scilicet* et punctis notarit Bruil. illud *scilicet*, suspicor adhuc abjiciendum alterum *artificis*, ut locus sit perpurgatus, quem mire corruperat de suo Lambinus. Inertia hic est ἀτεχνία. Grut. — Non displiceat *inerti artificio*, si liber aliquis faveat.

XLVIII. 1. *In similibus observare oportebit*. Hæc admonitio admodum necessaria est et utilis studiosis eloquentiæ, præsertim, quum hodie scriptores admodum negligentes sint regulæ hujus. Ern.

2. *Quum rem afferamus similem, cujus rei causa similitudinem attulerimus, verba*, etc. Id est, quum aliquid afferimus, quod sit in collatis rebus simile; ut in sequenti exemplo hoc simile habent amici et hirundines ut commodis temporibus præsto sint, duris aufugiant.

causa similitudinem attulerimus, verba quoque ad similitudinem habeamus accommodata. Id est hujusmodi : « Ut hirundines[3] æstivo tempore præsto sunt, frigore pulsæ recedunt ». Ex eadem similitudine nunc per translationem verba sumimus[4] : « Ita falsi amici sereno vitæ tempore præsto sunt; simul atque hiemem fortunæ viderint, devolant omnes ». Sed inventio similium facilis erit, si quis sibi omnes res animatas et inanimatas, mutas et loquentes, feras et mansuetas, terrestres et cælestes et maritimas, artificio, casu, natura comparatas[5], usitatas atque inusitatas, frequenter ante oculos poterit ponere, et ex his aliquam venari similitudinem[6], quæ aut ornare, aut docere, aut apertiorem rem facere, aut ponere ante oculos possit. Non enim res tota toti rei necesse est similis sit, sed ad ipsum[7], ad quod conferetur, similitudinem habeat oportet.

XLIX. (XLIX.) Exemplum[1] est alicujus facti, aut dicti [præteriti[2]], cum certi auctoris nomine propositio. Id sumitur iisdem de causis, quibus similitudo. Rem ornatiorem facit, quum nullius rei, nisi dignitatis, causa sumitur : apertiorem, quum id, quod sit obscurius, magis dilucidum reddit : probabiliorem, quum magis

3. *Ut hirundines.* Olim, *ita ut hirund.* Sed recte *ita* deleverunt Lambinus et Gruterus. Sch.

4. *Verba sumimus. V. sumamus* ed. Med. 1498. Non male.

5. *Artificio, casu, natura comparatas.* Cod. Erf. « artificiosas una natura comparatas ». Cauch. MS, « artificiosas et una natura comparatas ». Unde Cauchius corrigendum putabat « artificio et a natura comparatas ». Sch.

6. *Aliquam venari similitudinem.* Proprie dictum *venari*, sive malis, *aucupari*. At utilius sit multarum rerum notitiam sibi comparare quam magnam similitudinum copiam.

7. *Sed ad ipsum, ad quod.* Abest *ad* ab ed. Med. 1498. Multo melius, ut in aperto est.

XLIX. 1. *Exemplum est alicujus facti.* De exemplis vide Quintilian. lib. V, cap. 11.

2. *Aut dicti præteriti.* Ita friget epitheton *præteriti*, quod numquam his verbis additur a bonis scriptoribus, ut vix me abstinuerim a delendo. Uncis tamen inclusi. Ernest. — Schütz. omnino delevit.

verisimilem facit : ante oculos ponit, quum exprimit omnia perspicue, ut res prope dicam manu [3] tentari possit. Uniuscujusque generis singula subjecissemus exempla, nisi exemplum, quod genus esset, in expolitione [4] demonstrassemus, et causas sumendi in similitudine [5] aperuissemus. Quare noluimus [6], neque pauca, quo minus intelligeretur, neque, re intellecta, plura conscribere [7].

(L.) Imago [8] est formæ cum forma cum quadam similitudine collatio. Hæc sumitur aut laudis, aut vituperationis causa. Laudis causa, sic : « Ibat in prælium [9], corpore [10] tauri validissimi, impetu leonis acerrimi similis ». Vituperationis, ut in odium, aut in invidiam, aut in contemptionem adducat. Ut in odium, hoc modo : « Iste quotidie per forum medium, tamquam jubatus draco serpit, dentibus aduncis, adspectu venenato, spiritu rabido [11], circumspectans huc et illuc,

3. *Ut res prope dicam manu tentari.* Sic reposui e MS Erf. pro « ut res dicta prope m. tent. » in quo olim *dicta* delendum putabam. Adjuvat etiam hoc, quod in MS Wincl. est *prope dicta*, ut in Voss. apud Oudend. Admodum elegans est illud « prope dicam m. t. » Alias dicitur *manu teneri.* Sed *tentari* etiam bonum, est pro *contrectari.* Ernest.

4. *In expolitione.* De qua antea, cap. 42.

5. *In similitudine.* De qua paullo ante, cap. 46.

6. *Quare noluimus.* Ed. 1474 Med. sec. *voluimus*, ut ipse aliquando conjeceram. Junt. *voluimus*, sed « noluimus neque... neque », melius. Ern. — Ed. 1498, *volumus.*

7. *Conscribere.* MSS quidam et edd. Mediol. pr. et Omnib. *scribere*, quod præferunt Grævius et Oudend. Mihi *conscribere* aptius *exemplis* videtur : et dicitur etiam pro simplici *scribere*, etiam passim in his libris. Ern.

8. *Imago.* Hæc figura nihil aliud est, quam quod Aristoteles vocat παραβολὴν, Rhet. lib. II, cap. 20. Conf. Cic. Inv. I, 30; Quint. IV, 2, V, 11. J. V. L.

9. *Ibat in prælium.* Sic Pall. omnes, nisi quod pr. *inibat prælium*, quod et in suis reperit Petreius. Lambinus invenit in antiquis, *ibat Turnus in prælium.* Vellem nobis antiquos illos digito quasi indicasset : sed non erat scilicet tanti : at tanti tamen mihi videtur significare in quarto non inveniri illud *similis*, immo ne quidem in sexto, mea sententia. Recte. Gaut.

10. *Corpore tauri.* Sch. *pectore t.* Hoc præbuit cod. Voss. 1, utique melius vulgata.

11. *Adspectu venenato, spiritu rabi-*

si quem reperiat, cui aliquid mali faucibus afflare [12] [ore attingere [13]], dentibus insecare, lingua aspergere possit ». Ut in invidiam adducat, hoc modo : « Iste, qui divitias suas jactat, sicut Gallus e Phrygia, aut hariolus quispiam, depressus et oneratus auro, clamat, et dejerat [14] ». Ut in contemptionem adducat [15], sic : « Iste, qui [16] tamquam cochlea, abscondens et retentans sese tacitus, cum domo sua totus, ut comedatur, aufertur ».

(LI.) Effictio [17] est, quum exprimitur et effingitur verbis corporis cujuspiam forma, quod satis sit [18] ad intelligendum, hoc modo : « Hunc dico, judices,

do. Ita omnes Pall. nisi quod unus et alter *rapido*. Nam Victorius ediderat « serpit aspectu rabido circumspectat »: alii, « adspectu rabido, spiritu venenato », non male, nisi contradicerent exemplaria tenebricosa, quibus tamen item sua ratio. GRUT.—Hanc ultimam lectionem Schütz. prætulit e Leid. 3, 4, jamque Oudendorp. probatam, et quidem, licet Wetzelio contradicente, verum puto.

12. *Afflare*. Ed. Med. 1498 *efflare*.

13. *Ore attingere*. Hoc spurium est, additum ab interpolatore ut partitio plenior fieret. Nam nec sensum commodum habet, et tollit æqualitatem antecedentis et consequentis. In primo sunt tria, dentes, aspectus, spiritus: hic ergo pariter tria esse debent, quamquam cum aliqua varietate : « fauces, dentes, lingua ». ERNEST. —Aliæ edd. *quem ore att*. Sed dictio ea non exstat in Pall. quatuor aut Bruil. GRUTER. — Schützius omnino delevit *ore attingere*.

14. *Clamat, et dejerat*. Sic quoque Victoriana, respondentque Pal. quart. et sext. Alii tamen *delirat*, quod et in primitus impressis. GRUT.

15. *Ut in contemptionem adducat*. Schütz. delevit *adducat*.

16. *Iste, qui*, etc. Hic locus in scriptis et edd. mire variat. Itaque edidi quod est in edd. 1474, cui consentiunt fere ed. Omnib. et aliæ. ERN.—Quem Schütz. sequutus est. Quo in loco Gruterus retulit suorum MSS variantes Pal. pr. « Iste qui tamquam testudo se cochlea abscondens et retentat sese tacitus cum in domo sua totus, etc. » Pal. sec. « Iste qui tamquam cochlea abscondens retentat se tacitus cum domo tutus comeditur et aufertur ». Tert. « Tacite quomodo sit tutus comeditur et aufertur ». Quart. et sext. « Abscondens et retentans sese tacitus, quomodo ut tutus comeditur et aufertur ». Sicque item Bruil. nisi quod is *et auferatur* a manu prima. Gruterus ipse obtulit, « abscondens retentat sese tacitus, quo sit tutus, comeditur cum domo sua et aufertur ».

17. *Effictio*. Id esse videtur quod gallice dicimus *le signalement*. Vertit J. V. L. *le portrait*.

18. *Quod satis sit*. Scr. et edd. plures *quoad*. Sed *quod* eo sensu dicitur, estque elegantius. ERN.

rubrum, brevem, incurvum, canum, subcrispum, cæsium, cui sane magna est in mento cicatrix, si quo modo potest vobis in memoriam redire ». Habet hæc exornatio quum utilitatem, si quem velis demonstrare [19], tum venustatem, si breviter et dilucide facta est.

L. Notatio [1] est, quum alicujus natura certis describitur signis, quæ, sicuti notæ quædam, naturæ sunt attributa. Ut si velis non divitem, sed ostentatorem pecuniæ [2] describere : « Iste, inquies, judices, qui, se dici divitem, putat esse præclarum, primum nunc videte, quo vultu nos intueatur. Nonne vobis videtur dicere : Darem, si mihi [3] molesti non essetis ? Quum vero sinistra mentum sublevat, existimat se gemmæ nitore et auri splendore [4] aspectus omnium præstringere [5]. Quum puerum respicit hunc unum, quem ego novi (vos non arbitror novisse [6]), alio no-

19. *Si quem velis demonstrare.* Sic pro *ostendere* edidi, tum quia plures et meliores libri scripti sic habent, et edd. pr. 1474, Med. pr. tum, quia est verbum proprium hac in re. Ern.

L. 1. *Notatio*. Gallice dici potest *le caractère.*

2. *Non divitem, sed ostentatorem pecuniæ.* Sic plane MS Lips. ut Memmius et Auratus conjecerant, quamquam illi volebant *pecuniæ suæ;* male: quia ille ostentator non dives est. *Pecuniosum* propter hanc ipsam caussam locum non habet, et *ostentator. pecuniosi*, id est, qui simulat pecuniosum, quod in MSS quibusdam est, placetque Grut. est ita contortum et durum, ut nullo modo probari possit. Ern.— De re ipsa confer Theophrasti Char. 23, ubi est ἀλαζὼν, gloriosus. Wetz. — *Non divitem*. Id est, *non dico divitem, sed*, etc. Alii interpretantur, « eum qui non sit dives ».

3. *Darem, si mihi. Darem*, quid sit, docet glossa cod. Wincl. qui habet, « darem vobis de divitiis » : nam hoc est in ostentatione pecuniæ et divitiarum. *Molesti* dicuntur qui petunt, flagitant. Ern. — *Darem ;* nempe ut pauperi aut clienti egeno. Gallicus interpres, *je paierais*, quod non intelligo. Pal. pr. quart. sext. « Daretis mihi locum, sic mihi molesti non essetis », et ita quoque Bruil. Melius forte, ait Gruterus; sed nemo sequutus est, neque erit credo qui sequatur.

4. *Se gemmæ nitore et auri splendore.* Splendore annuli quem sinistra ad mentum admota, admirationi circumstantium proponere videtur. — Sch. « gemmæ nitorem et auri splendorem » e cod. Erf.

5. *Præstringere.* Sic edd. 1474, 1475, 1498, Junt. Primus Aldus *perstringere.* Ern.

6. *Vos non arbitror novisse.* Illud *novisse* non restat in Pal. quarto aut sexto, et satis subintelligeretur. Gaut.

mine appellat, deinde alio atque alio. Heus tu, inquit, veni, Sannio, ne quid isti barbari[7] turbent: ut ignoti[8], qui audiunt, unum putent eligi de multis. Ei dicit in aurem, aut ut domi lectuli sternantur, aut ab avunculo rogetur Æthiops[9], qui ad balneas veniat, aut asturconi[10] locus ante ostium suum detur, aut aliquod fragile[11] falsæ choragium gloriæ comparetur. Deinde exclamat, ut omnes audiant: Videto, ut diligenter numeretur[12], si potest, ante noctem. Puer, qui jam bene hominis naturam novit, Tu illo plures mittas oportet, inquit, si hodie vis transnumerari. Age, inquit, duc tecum Libanum et Sosiam. — Sane. Deinde casu veniunt hospites homini, qui istum splendide, dum peregrinaretur, receperant[13]. Ex ea re homo

7. *Isti barbari.* Intellige: de servis meis. *Turbent* pro *perturbent*; est enim proprium verbum in hac re. Ernest. — Non assentior doctissimo interpreti qui dedit: *Prends garde que ces nouveaux venus ne dérangent quelque chose*. Sensus esse videtur totius loci: Nominat plurimos servos, quamvis unum habeat, quasi dubitet quo utatur. Postremo Sannionem vocat, quasi eligat e multis sagacissimum. Veni, inquit, potius quam isti barbari quos priores nominaveram, ne quid de mandatis meis turbent, id est, perperam interpretentur et exsequantur. Putet qui audiat de magna re agi; minime; sed ut domi lectuli sternantur, etc. Sic intellexisse Ernestium ex ipsius nota judico, ideoque dedisse *turbent*.

8. *Ignoti.* Active ignorantes, ut supra III, 6. Wetz.

9. *Æthiops.* Servus ex Æthiopia, plerumque spado.

10. *Aut asturconi*, etc. Abest *aut.* Grut. — Asturco, equus hispanus ex Asturiis.

11. *Aut aliquod fragile falsæ choragium gloriæ. Aliquod*, i. e. *aliud quod*, ut supra: cujus ignoratio hic turbavit librarios vel correctores. Ernest. — Choragium, χορήγιον, instrumentum splendidum, quale in scenis choragi apparare solebant. Cf. Ern. ad Xenoph. Mem. III, 4. Wetz.

12. *Numeretur. Numerentur* ed. Med. 1498. — Int. pecunia numeretur. *Numerare* enim hic est pro *tradere*, *solvere*. *Diligenter* autem non minus ad tempus quam ad summam respicit. Gallice: *Veille à ce que les fonds soient comptés, remis sans négligence.*

13. *Homini, qui istum splendide, dum peregrinaretur, receperant.* Videtur prius fuisse *invitarant*, cujus vocis ignorantia mire torsit librarios. Nam Pal. pr. « homini, quos iste, dum splendide peregrinantur, invitat »; ubi forte legendum, « quos iste, dum splendide peregrinaretur, invitarat ». Pal. sec. « qui istum splendide receperunt, dum peregrinaretur, invitat ».

hercle[14] sane conturbatur : sed tamen a vitio naturæ non recedit. Bene, inquit, facitis, quum venitis : sed rectius fecissetis, si ad me domum recta abiissetis. Id fecissemus, inquiunt illi, si domum novissemus. At istud quidem facile fuit undelibet invenire[15]. Verum ite mecum[16]. Sequuntur illi. Sermo interea hujus consumitur omnis in ostentatione. Quærit, in agris[17] cujusmodi frumenta sint : negat se, quia villæ incensæ sint, accedere posse[18], nec ædificare etiam nunc audere ; tametsi in Tusculano quidem cœpi insanire, et in iisdem fundamentis ædificare ».

LI. « Dum hæc loquitur, venit in ædes quasdam, in quibus sodalitium erat eodem die futurum : quo iste, pro notitia domini ædium ingreditur cum hospitibus. Hic, inquit, habito. Perspicit argentum[1], quod erat expositum, triclinium stratum : probat. Accedit servulus : dicit homini clam dominum[2] jam venturum,

Quart. et Bruil. « homini, quos iste dum splendide peregrinaretur ex ea re », sine alio verbo. Grut. — *Receperant.* In MSS quibusdam *invitandi* verbum hoc loco occurrit : unde Oud. probat *invitarant.* Sed ex hoc nemo *receperant* fecisset. *Hospitem splendide recipere* bene dicitur, ut *excipere.* Exempla sunt in Lexicis. Ernest. — Schütz. *invitarant.* Hujus, inquit, lect. vestigia sunt in codd. apud Græviun et Oud. Et sic equidem prætulerim ; nam hominis naturæ optime convenit.

14. *Hercle. Hercule* ed. Med. 1498.

15. *At istud quidem facile fuit undelibet invenire.* Notissimum se in urbe significat.

16. *Verum ite mecum. Sequuntur illi.* A MSS pluribus etiam duobus nostris absunt *ite mecum* : quod Gron. et Oud. placebat. Mibi vulgatum venustius videtur : illud nimis abruptum, i. e. obscurius est, quam pro sermone tali. Ern.

17. *Quærit, in agris.* Quasi multos fundos habeat.

18. *Accedere posse.* Rus visum ire posse. Fortasse, *abscedere.*

LI. 1. *Perspicit argentum ... triclinium s. probat.* Sic Pall. (nisi quod addunt *visit tricl.*) inepte igitur Lambinus : « perspiciunt argentum, visunt, probant ». Pertinent enim isthæc ad ostentatorem, non ad hospites. Grut. — Delevi *visit*, quod in vulgatis est : nam nec sic latine dicitur, ut hic accipiendum foret, nec est in libris quibusdam MSS, ut Leid. (apud Oud.) Cort. Erf. 1474 pro eo habet *ut sit*, ut MSS quidam. *Triclinium stratum* intellige lectos et vestes stragulas. Ern.

2. *Clam dominum.* Sic pro *clare* MSS Pithœi et alii apud Oud. Lips. item ed. Med. utraque. In MS aliquo

si velit exire. Itane? inquit, eamus, hospites; frater venit ex Salerno[3] : ego illi obviam pergam : vos huc decuma venitote[4]. Hospites discedunt. Iste se raptim domum suam conjicit : illi decuma, quo jusserat, veniunt. Quærunt hunc. Reperiunt domus cuja[5] sit: in diversorium derisi conferunt sese. Vident hominem[6] postera die : narrant, expostulant, accusant. Ait iste, eos[7], similitudine loci deceptos, angiporto toto deerrasse : se contra valitudinem[8] suam ad noctem multam exspectasse. Sannioni puero[9] negotium dederat, ut vasa, vestimenta, pueros corrogaret. Servulus non inurbanus satis strenue et concinne comparat : iste hospites domum deducit. Ait se ædes maximas cuidam amico ad nuptias commodasse. Nunciat puer[10], argentum repeti (pertimuerat enim, qui commodarat). Apagete, inquit, ædes commodavi, familiam dedi : argentum quoque vult? Tametsi hospites habeo, tamen utatur licet; nos Samiis[11] delectabimur. Quid ego, quæ deinde efficiat[12], narrem?

Leid. etiam est *in aurem*. Res quidem poscit plane *clam* : nam quod ille dicebat servulus, pertinebat ad periculum contumeliæ : itaque clam dicendum erat. Ern.

3. *Salerno*. MSS quidam et edd. 1474, Med. pr. *Falerno*. In re ficta nil refert utrum probetur. Ern.

4. *Decuma venitote*. Quæ hora cœnandi Romanis erat. Gifanius maluit *ad decumam*, quomodo exstare in aliquot suis testatur Lambinus, et reperi in Pal. tertio : sed ideo tamen nihil muto. Grut.

5. *Domus cuja sit*. *Domum c. s.* ed. Med. 1498. Non male.

6. *Vident hominem*. *Viderunt hominem* ed. 1498, quod non displicet.

7. *Ait iste, eos*. Pal. quart. sext. Bruil. a manu secunda, *at iste eos* : quod Grutero placet, mihi non.

8. *Se contra valit*. *Se* addidi e MSS et ed. 1474, et aliis multis. Ern. — Quem Schütz. sequutus est.

9. *Sannioni puero*. Hic desideranda mihi videtur connexio, ut excidisse suspicer conjunctionem *interea*, vel aliud quid.

10. *Nunciat puer*. Vulgati addunt *interea*, quod auctoribus MSS pluribus et edd. vett. delevi. Ernest. — Quem Schütz. sequutus est; et hic certe minus necessarium videtur verbum quam supra.

11. *Samiis*. Vasa quæ erant fictilia. Plin. XXXV, 12.

12. *Efficiat*. Delenda fortasse vox, ut e linea sequenti fortasse repetita.

ejusmodi est hominis natura, ut, quæ singulis diebus efficiat gloria atque ostentatione, ea vix annuo sermone enarrare possim». Hujusmodi notationes, quæ describunt, quid consentaneum sit uniuscujusque naturæ, vehementer habent magnam delectationem. Totam enim naturam cujuspiam ponunt ante oculos, aut gloriosi, ut nos, exempli causa, cœperamus, aut invidi, aut timidi, aut avari, ambitiosi, amatoris, luxuriosi, furis, quadruplatoris: denique cujusvis studium protrahi potest in medium tali notatione.

LII. (LII.) Sermocinatio[1] est, quum alicui personæ sermo attribuitur, et is exponitur cum ratione dignitatis, hoc pacto: «Quum militibus urbs[2] redundaret, et omnes[3] timore oppressi domi continerentur[4], venit iste cum sago, gladio succinctus, tenens jaculum: quinque adolescentes hominem simili ornatu subsequuntur. Irrumpit in ædes subito, deinde magna voce: Ubi est iste beatus, inquit, ædium dominus? Quin mihi præsto fit[5]? Quid tacetis? Hic alii omnes stupidi timore obmutuerunt. Uxor illius infelicissimi cum maximo fletu ad istius pedes abjecit sese. Parce, inquit, et per ea[6], quæ tibi dulcissima sunt in vita, miserere

LII. 1. *Sermocinatio.* Alii dialogum vocant, teste Quint. IX, 2. Alii prosopopœiæ genus.

2. *Quum militibus urbs redundaret.* Totum hoc exemplum ad Sullana tempora pertinere clarum est.

3. *Et omnes. Et omnes cives* ed. Med. 1498. Non male, ut armatis cives opponantur.

4. *Continerentur. Tenerentur* eadem, mox *irrupit* pro *irrumpit*: hoc quidem satis bene.

5. *Præsto fit.* Pall. fere *fuit*, nisi quod sec. «is quomodo mihi præsto fuit»: unde forsan hæret in Gembl. Tosano (edit. Mediol. 1498) et Lib. «qui non mihi præsto fuit». GRUT. — Ernesti *præsto sit*, non probante J. V. *Leclerc.*

6. *Parce, inquit, et per ea.* MSS et edd. plures «parce, parce, inquit», vel «parce, inq. parce, etc.» Alterum Græv. alterum Oudend. probat. Mihi neutrum, nec vulgatum placet. MS Wincl. «per te, inquit, ea quæ, etc.» id elegantissimum foret. Et *parce* in sequentibus, «miserere nostri, noli exstinguere». Apud Livium, XXIII, 9, Calavius filium sic obtestatur, «Per ego te, inquit, fili, quæcumque jura

nostri : noli exstinguere exstinctos. Fer mansuete fortunam : nos quoque fuimus beati : nosce te esse hominem[7]. At ille : Quin illum mihi datis, ac vos auribus meis opplorare desinitis? non abibit. Illi nuntiatur interea venisse istum, et clamore maximo mortem minari. Quod simul ut audivit, Heus, inquit, Gorgia, pediseque[8] puerorum, absconde pueros : defende : fac, ut incolumes ad adolescentiam[9] perducas! Vix hæc dixerat, quum ecce iste præsto[10], Sedes, inquit, audax? Non vox mea tibi vitam ademit? Exple inimicitias meas, et iracundiam satura tuo sanguine! Ille cum magno spiritu, Metuebam, inquit, ne plane victus essem[11]. Nunc video[12] : in judicio mecum contendere non vis, ubi superari turpissimum, et superare[13] pulcherrimum est : interficere me vis. Occidar equidem, sed victus non peribo. At iste[14], In extremo vitæ tempore etiam sententiose loqueris[15]?

liberos parentibus jungunt». Et sic alii in simili oratione. Ern.

7. *Nosce te esse hominem.* Hæc omnia plane adolescentis; nihil viri; omnia vulgaria, obsoleta. Mera denique declamatio.

8. *Pediseque puerorum.* Hoc spurium videtur et ex interpretatione natum.

9. *Ut incolumes ad adolescentiam perducas. Ut incolumis sit adolescentia* ed. Med. 1498.

10. *Quum ecce iste præsto, Sedes, inquit, audax?* Nihil variant Pall. nisi quod tertius addit *etiam sedes.* Quintus vero destituitur illo *sedes.* Sed enim non displicet quod restat in Liliensi : «Quum ecce, inquit iste, præsto sum. Sed is ait, audax». Grut. — Valde placet lectio MS Erf. *etiam sedes.* Ern. — Quam lectionem Sch. protulit, probante J. V. L.

11. *Metuebam, inquit, ne plane victus essem.* Pal. sext. non agnoscit vocem *metuebam*, habetque *esset*, quod ultimum etiam in quarto, sed is loco alterius vocis præfert *verba :* ceteri, retento *metuebam*, præmittunt *verba*, quidam etiam adjiciunt vel *emittens*, vel *dedit.* Grut.

12. *Nunc video : in jud.* Sic interpungi debet : non enim illud conjungi potest cum sequentibus. Ern.

13. *Et superare.* Abest *et* ab edit. Med. 1498.

14. *At iste.* Correxi *iste* pro *ille :* nam sic antecedentia et similitudo orationis desiderat : nisi quis malit unde *at*, ut est in libris quibusdam scr. et edd. vett. at illud melius. Ern.

15. *Etiam sententiose loqueris.* Pal. quartus, sextus, *sententias loqueris*, ut habet Bruil. Videndum tamen num venustius Pal. pr. *etiam sententias?*

neque ei, quem vides dominari, vis supplicare? Tum mulier: Immo quidem ille rogat et supplicat. Sed tu, quæso, commovere; et tu[16], per deos, inquit, hunc examplexare. Dominus est; vicit hic te, vince tu nunc animum. Cur non desinis[17], inquit, uxor, loqui, quæ me digna non sunt? Tace, et quæ curanda[18] sunt, cura. Tu cessas[19] mihi vitam, tibi omnem bene vivendi spem mea morte eripere? Iste mulierem repulit ab se lamentantem: illi, nescio quid incipienti dicere, quod dignum videlicet illius virtute esset, gladium in latere defixit». Puto in hoc exemplo datos esse unicuique sermones ad dignitatem accommodatos: quod oportet in hoc[20] genere observare. Sunt item sermocinationes consequentes, hoc genus: « Nam quid putamus illos dicturos, si hoc judicaveritis? Nonne hac omnes utentur oratione?» Deinde subjicere sermonem.

LIII. (LIII.) Conformatio[1] est, quum aliqua, quæ non adest, persona confingitur, quasi adsit, aut quum res muta, aut informis, fit eloquens et formata[2], et ei

ut subintelligatur id verbi, quod mihi quidem videtur. GRUT. — Valde placet lectio MSS *sententias loqueris* secundum illud Terentii, « sententias loquitur carnifex ». ERN. — Quam lect. Schütz. protulit.

16. *Tu, quæso, commovere; et tu*, etc. Alterum *tu*, ad sicarium, alterum ad conjugem, ut facile intelligitur.

17. *Cur non desinis.* Oud. e lect. MS Leid. *quid non*, conjicit *quin desinis*, eleganter. ERN. — Quam lectionem Schütz. dedit.

18. *Quæ curanda sunt.* Quæ res postulat, quæ officium a te tuum reposcit.

19. *Tu cessas.* Hæc vir bonus ad sicarium.

20. *Quod oportet in hoc.* Schütz. « id quod oportet i. h. » Ita legendum esse, inquit, vidit Oud. *Id* adest in ed. Med. 1498.

LIII. 1. *Conformatio.* Quam Græci προσωποποιΐαν vocant. De qua vide Quint. IX, 2.

2. *Fit eloquens et formata.* MSS Erf. et Cauch. item Lips. « fit loquens, et ei forma et oratio » : quod recepit Grævius. Ego *loquens*, quod et MS Wincl. et ed. Mediol. pr. habet, non repudiem: etsi *eloqui* pro *loqui* apud Nostrum etiam alibi est. Sed *formata* retineri debet, quia respondet verbo *informis.* Deinde subjicitur *oratio* et *actio* : quorum illud ad *eloquens*, hoc ad *formata* refertur. Plurimum refert in talibus considerare totius orationis formam. ERN. — Schütz. « fit loquens et formata ».

oratio attribuitur ad dignitatem accommodata, aut actio[3] quædam, hoc pacto : « Quod si nunc hæc urbs invictissima vocem mittat, non hoc pacto loquatur? Ego illa plurimis tropæis ornata, triumphis ditata certissimis, clarissimis locupletata victoriis, nunc vestris seditionibus, o cives, vexor? quam dolis malitiosa Carthago, viribus probata Numantia, disciplinis erudita Corinthus labefactare non potuit, eam patiemini nunc ab homunculis deterrimis proteri atque conculcari? » Item, « Quod si nunc L. ille Brutus reviviscat, et hic ante pedes vestros[4] adsit, non hac utatur oratione? Ego reges ejeci; vos tyrannos introducitis : ego libertatem, quæ non erat, peperi; vos partam servare non vultis : ego capitis mei periculo patriam liberavi; vos liberi sine periculo esse non curatis! » Hæc conformatio, licet in plures res[5] mutas atque inanimas transferatur, proficit tamen plurimum in amplificationis partibus[6] et commiseratione[7].

LIV. (LIV.) Significatio[1] est, quæ plus in suspicione relinquit, quam positum est in oratione. Ea fit per exuberationem[2], ambiguum, consequentiam, abscissionem, similitudinem. Per exuberationem, quum plus dictum est, quam patitur veritas, augendæ suspicionis causa[3], sic : « Hic de tanto patrimonio tam

3. *Actio quædam*. Insectatio, accusatio, *partes*.

4. *Ante pedes vestros*. In conspectu vestro, ut supra cap. 39.

5. *In plures res mutas*. Interpretatur J. V. L. quasi sit : plerumque in res mutas : nec quomodo aliter intelligatur video.

6. *In amplificationis partibus*. De qua II, 30.

7. *Et commiseratione*. De qua lib. II, cap. 31.

LIV. 1. *Significatio est*, etc. Quam vocat *emphasim* Quintilianus, lib. VIII, cap. 3, et lib. IX, cap. 2. Sed minus lato sensu.

2. *Per exuberationem*. Placuit istud ex Pal. quint. et Bruil. Hactenus *exsuperationem*. GRUT. — Quem Ernest. et Schütz. sequuti sunt.

3. *Augendæ suspicionis causa*. Ut accusatio magis verisimilis videatur, quod Cicero adv. Verrem de signis dicit : « accusatorie loqui ».

cito testam, qua sibi petat ignem, non reliquit ». Per ambiguum, quum verbum potest in duas pluresve sententias accipi, sed accipitur in eam partem, quam vult is, qui dixit; ut de eo si dicas[4], qui multas hereditates adierit : « Prospice tu, qui plurimum[5] cernis ». Ambigua quemadmodum vitanda sunt, quæ obscuram reddunt orationem ; ita hæc consequenda, quæ conficiunt hujusmodi significationem. Ea reperientur facile, si noverimus et animadverterimus verborum ancipites aut multiplices potestates. Per consequentiam significatio fit, quum res, quæ sequuntur aliquam rem, dicuntur, ex quibus tota res relinquitur in suspicione, ut si salsamentarii filio dicas : « Quiesce tu, cujus pater cubito se emungere solebat ». Per[6] abscissionem, si, quum incipimus aliquid dicere, præcidimus[7], et ex eo, quod jam diximus, satis relinquitur suspicionis, sic : « Qui ista forma et ætate nuper alienæ domui...... nolo plura dicere ». Per similitudinem, quum, aliqua re simili allata, nihil amplius dicimus, sed ex ea significamus, quid sentiamus, hoc modo : « Noli, Saturnine, nimium populi frequentia fretus esse. Inulti jacent Gracchi[8] ». Hæc exornatio plurimum festivi-

4. *Ut de eo si dicas. Ut si de eo d.* ed. Med. 1498.

5. *Qui plurimum cernis.* I. e. plures hereditates adiisti. Proprie enim cernere hereditatem, explicante Ern. in Clave, est deliberare de hereditate utrum eam adire velimus, necne; deinde, quod fere hanc deliberationem solet sequi, eam adire. Conf. ad Div. IX, 14; ad Attic. XI, 2. Hoc loco autem quum præcedat *prospicere*, facile illud accipi potest vi videndi. Wetz.

6. *Per abscissionem.* Bruil. exemplar *abscisionem*, quod mire probat tueturque e scriptis item suis Gifanius in Observationibus suis linguæ Latinæ, ubi ostendit Veteribus fuisse in usu « abscisum, abscidere, abscisionem ». Grut.

7. *Si, quum incipimus aliquid dicere, præcidimus.* Schütz. Oudendorp. sequutus, « si q. incepimus al. dicere, deinde præc. » *Deinde* adest in ed. Med. 1498.

8. *Inulti jacent Gracchi.* Sic Pall. in Italia scripti : at quart. sext. « stultitiæ C. Gracchi memento », quintus, « stultitiam cerne Gracchi »; mediumque illud expressum item in Gembl.

tatis habet interdum, et dignitatis: sinit enim quiddam, tacito oratore, ipsum auditorem suspicari.

Brevitas[9] est rès ipsis tantummodo verbis necessariis expedita, hoc modo: « Lemnum præteriens cepit[10]: inde Thasi præsidium[11] reliquit: post urbem in Bithynia sustulit: inde pulsus in[12] Hellespontum, statim potitur Abydo ». Item, « Modo consul, quondam tribunus, deinde primus erat civitatis[13] ». — « Tum proficiscitur[14] in Asiam, deinde exsul et hostis est dictus, post imperator, postremo consul factus est ». Habet paucis comprehensa brevitas multarum rerum expeditionem. Quare adhibenda sæpe est, quum aut res non egent[15] longæ orationis, aut tempus non sinit commorari[16].

Lil. et Bruil. Haud probem tamen: multo minus ut admittam quod erat in exemplari Persiniano: « stultitiam nosce: inulti jacent Gracchi ». GRUT. — Ed. Med. 1498, « stultitiam nosce Gracchi ».

9. *Brevitas*. Quæ ut hoc loco inter sententiarum exornationes refertur; sic Cicero de Or. III, 53, in sententiarum figuris enumerat « distincte concisam brevitatem ».

10. *Lemnum præteriens cepit*. Qui sit ille de quo loquitur Noster haud satis scio.

11. *Thasi præsidium*. Sic reposuit Turnebus, alluduntque omnes Palat. in quorum nullo visitur vulgatum *Tharsi*. GRUT. — Quem Ern. et Sch. sequuti sunt.

12. *Pulsus in Hellespontum*. Probo Aurati conjecturam quam recepit Lambinus, *appulsus*: manifeste enim de rebus secundis sermo est. ERNEST. — *Appulsus* est in Palat. sexto. GRUT.

13. *Modo consul, quondam tribunus, deinde primus erat civitatis*. Hæc puto de Sulla cujus illa dictatoria nomine, re vero regalis potestas significari videtur hujus verbi obscuritate, *primus civitatis*. — *Deinde primus*. Ed. Mediol. 1498, *is deinde primus erat civitatis*.

14. *Tum proficiscitur*. Ernest. *tum, proficiscitur*; interpunxi, inquit, ut Gron. voluit; quia manifeste est aliud exemplum. Mox *factus est* deleri vult Oud. cum MSS suis, quibus consentit MS Cort. non bene, ut opinor. ERN. — His verbis significari Schutzio videtur Sulla, qui ann. 666 in Asiam profectus, Mithridate victo imperator ab exercitu salutatus, exsul et absens, a Marianis judicatus, alterum consulatum gessit ann. 673.

15. *Non egent*. *Non egebit* edit. Mediol. 1498. Eadem habet mox *sinet* pro *sinit*.

16. *Non sinit commorari*. Pro *immorari*, ut supra et *commoratio* dicta est. Itaque non necessarium est cum Oud. e MS Voss. rescribere *immorari*. ERN.

LV. (LV.) Demonstratio[1] est, quum ita res verbis exprimitur, ut geri negotium, et res ante oculos esse videatur. Id fieri poterit, si, quæ ante, et post, et in ipsa re facta erunt, comprehendemus[2], aut si a rebus consequentibus, aut a circumstantibus non recedemus, hoc modo : « Quod simul atque Gracchus[3] prospexit, fluctuare populum, verentem, ne ipse auctoritate senatus commotus a sententia desisteret, jubet advocari concionem. Iste interea[4] scelere et malis cogitationibus redundans, evolat ex templo Jovis, et sudans, oculis ardentibus, erecto capillo, contorta toga, cum pluribus aliis ire celerius cœpit. Illi præco faciebat audientiam : hic subsellium quoddam calce premens, dextra pedem defringit, et alios hoc idem jubet facere. Quum Gracchus deos inciperet precari, cursim isti impetum faciunt; ex aliis aliisque partibus[5] convolant; atque e populo unus, Fuge, inquit, Tiberi, fuge. Non vides? respice, inquam. Deinde vaga multitudo, subito timore perterrita, fugere cœpit. At iste spumans ex ore scelus[6], anhelans ex intimo pectore crudelitatem, contorquet brachium; et dubitanti Graccho, quid esset, neque ta-

LV. 1. *Demonstratio*. Ea est vere *hypotyposis* potius quam ea quam putavimus *descriptio*, de qua respice cap. 39.

2. *Si, quæ ante, et post, et in ipsa re facta erunt, comprehendemus*, etc. *Descriptio* contra non ea quæ ad rem ipsam attinent, sed quæ judicium sequentur attendit.

3. *Gracchus*. Tiberius Gracchus, fratrum major, quem postea nomine suo designat.

4. *Iste interea*. Int. Opimius, qui Gracchum interfecit. Ern. — Vel potius puto Scipio Nasica, quem cædis ducem fuisse Plutarchus, Florus, Velleiusque tradiderunt.

5. *Ex aliis aliisque partibus convolant*. MS Erf. « ex aliis aliis partibus convolant ». Ed. Mediol. pr. « ex aliis alii partibus convolant », quod præfert Oud. Ern. — Hanc ultimam lectionem Schütz. prætulit ex Leid. 1, Voss. 3, ed. Med.

6. *Spumans ex ore scelus*. Malui istud cum Victorianis, repertumque in Pal. quart. et sext. quam quod Manutiani sequuntur « spumam ex ore rejiciens ». Rejicit enim hanc scripturam membrum sequens. Gaut.

men locum, in quo constiterat, relinquenti, percutit tempus. Ille, nulla voce delibans insitam[7] virtutem concidit tacitus. Iste viri fortissimi miserando sanguine adspersus, quasi facinus præclarissimum fecisset, circumspectans[8], et hilaris[9] sceleratam gratulantibus manum porrigens, in templum Jovis contulit sese ». Hæc exornatio plurimum prodest in amplificanda et commiseranda re, hujusmodi enarrationibus : statuit enim totam rem, et prope ponit ante oculos.

LVI. (LVI.) Omnes rationes honestandæ elocutionis studiose collegimus, in quibus, Herenni, si te diligenter exercueris, et gravitatem, et dignitatem, et suavitatem habere in dicendo poteris, ut oratorie plane loquaris : ne nuda atque inornata inventio vulgari sermone efferatur[1]. Nunc identidem nosmet ipsi nobis instemus[2]. Res enim communis agitur, ut frequenter et assidue consequamur artis rationem[3] studio et exercitatione : quod alii cum molestia tribus de causis

7. *Nulla voce delibans insitam virtutem.* Sic Schütz. Victorii, inquit, lectionem, quam Lambinus in omnibus fere MSS et codd. invenit, restitui; quam adversus illius suspicionem optime defendit Grævius. Est enim, ut hic intp. « nulla voce, quæ se indigna esset, virtutem innatam vel levissime imminuit ». — *Nulla voce delabens insita virtute.* Ern. Sic, inquit, voluit edere Gruterus, non, ut est in exemplis, *delabans ;* quod tamen et ipsum in libris reperitur. Mihi quod Victorius edidit *delibans* poeticum et non satis conveniens tali narrationi videtur. Sententia hæc aliquoties est apud Tacitum in morte morientium jussu tyrannorum, Annal. XV, 63, de Seneca, « ne visendo ad impatientiam delaberetur ». Ergo et a patientia, virtute delabi possumus. Itaque *delabens* verum puto. — *Nulla voce delabi*, ait Gruterus, *est facere* illud quod fecit Pompeius apud Lucanum, VIII, 616 : « Continuitque animam, ne quas effundere voces, Posset, et æternam fletu corrumpere famam ». Ed. Med. 1498, *nullam vocem edens.*

8. *Circumspectans.* Hoc verbum Schütz. suasore Oud. transtulit ante *quasi.*

9. *Et hilaris.* Schütz. *et hilare* ex Leid. 2, 3, edit. Omnib. Sic et ed. Med. 1498.

LVI. 1. *Vulgari sermone efferatur.* Schütz. *vulgari sermone proferatur*, ex Voss. 1, Leid. 2, 3.

2. *Nobis instemus.* Intell. J. V. L. *nobis invigilemus.*

3. *Artis rationem.* Non assentior Grævio lect. cod. Erf. *artis orationem* probante. Scн.

maxime faciunt; aut si, cum quibus[4] libenter exerceantur, non habent; aut si sibi diffidunt; aut si nesciunt, quam viam sequi debeant: quæ a nobis absunt omnes difficultates. Nam et simul libenter exercemur propter amicitiam, cujus initium cognatio fecit, cetera philosophiæ ratio[5] confirmavit: et nobis non diffidimus, propterea quod et aliquantulum processimus; et alia meliora sunt, quæ multo intentius petimus in vita[6], ut, etiamsi non pervenerimus in dicendo, quo volumus, parva pars vitæ perfectissimæ desideretur: et viam, quam sequamur, habemus, propterea quod in his libris nihil præteritum est rhetoricæ præceptionis. Demonstratum est[7] enim, quomodo res in omnibus generibus causarum inveniri oporteret[8]: dictum est, quo pacto eas disponere conveniret: traditum est, qua ratione esset pronuntiandum: præceptum est, qua via meminisse possemus: demonstratum est, quibus modis perfecta elocutio compararetur. Quæ si exsequimur[9], acute et cito reperiemus, distincte et ordinate disponemus, graviter et venuste pronuntiabimus, firme et perpetuo meminerimus, ornate et suaviter eloquemur. Ergo amplius in arte rhetorica

4. *Cum quibus libenter exerceantur. Quicum lib. ex.* Schütz. e cod. Erf. Leid. 1, 3.

5. *Cetera phil. ratio conf.* Schütz. « cursum philos. ratio conf. » Sic edidi, inquit; nam quæ hæc est constructio « amicitiam . . . cujus cetera ratio confirmavit »?

6. *Et alia meliora sunt, quæ multo intentius petimus in vita.* Hunc librum non a rhetore scriptum compertum est, quum ex omni hac clausula, tum ex his ipsis verbis, quæ aut philosophantis sunt, aut publica munia prospicientis.

7. *Demonstratum est enim, quomodo res in omnibus.* Non agnosco aliquot sequentibus periodis Cornificium; et mirum est, nisi tota hæc recapitulatio sit magistelli alicujus trivialis, annumerantis minima maxima discipulis suis. Grut.

8. *Inveniri oporteret. Inveniri oporteat* ed. Mediol. 1498, quæ eadem *conveniat.*

9. *Quæ si exsequimur. Si sequemur* ed. Mediol. 1498. Hæc omnia verba usque ad « in arte rhetorica nihil est », Schütz. se expunxisse, jam Grutero suspecta dicit, ut a glossatore adjecta,

nihil est. Hæc omnia adipiscemur, si rationes præceptionis diligentia consequemur exercitationis[10].

quæ tamen in illius textu apparent.

10. *Hæc omnia adipiscemur, si rationes præceptionis diligentia consequemur exercitationis.* Id est, si exercitatione id assequemur, ut omnibus artis rationibus quæ in præceptis exposuimus, in dicendo uti possimus, quod dixit initio libri primi, cap. 1 : « rationem præceptionis ad exercitationem accommodare ».

M. T. CICERONIS
RHETORICORUM
SEU
DE INVENTIONE RHETORICA
LIBER PRIMUS

ARGUMENTUM

E SCHUTZII EDITIONE DESUMPTUM.

Procemium de eloquentiæ ad remp. utilitate, cap. 1, ejusque inventæ et perfectæ causis, cap. 2; deinde de invecto ejus abusu, cap. 3, disserit: nihilo secius tamen eloquentiæ studendum, eamque cum sapientia conjungendam esse docet, cap. 4.

Huic procemio subjungitur brevis disputatio de artis oratoriæ genere, officio, fine, materia et partibus, cap. 5-7. Ac materia quidem secundum Aristotelem tribus orationum generibus, demonstrativo, deliberativo, judiciali definitur; et Hermagoras, qui oratoris materiam in causam et in quæstionem diviserat, reprehenditur, cap. 6. Partes autem rhetoricæ numerantur quinque: inventio, dispositio, elocutio, memoria, pronuntiatio, cap. 7.

Sequitur locus de inventione; ubi primum quid sit constitutio, quæque sit constitutio conjecturalis, definitiva, generalis, translativa, exponitur, cap. 8, 9. Obiter Hermagoras refutatur, qui constitutioni generali partes quatuor supposuerat, deliberativam, demonstrativam, juridicialem, negotialem, cap. 10. Tum generalis constitutio dividitur in juridicialem et negotialem. Juridicialis in duas distribuitur partes, absolutam et assumptivam. Assumptivæ sunt partes quatuor: concessio, remotio criminis, relatio criminis, comparatio. Translativam constitutionem, Hermagoræ inventioni tributam, perperam a multis reprehensam esse affirmatur, cap. 11.

Constitutione causæ reperta, videndum esse, utrum causa sit simplex an conjuncta; et si conjuncta fuerit, utrum sit ex pluribus quæstionibus juncta, an ex aliqua comparatione, cap. 12; deinceps esse videndum, quæ quæstio, quæ ratio, quæ judicatio, quod firmamentum causæ sit, cap. 13.

His repertis, ordinandas esse partes orationis, quæ omnino sint sex: exordium, narratio, partitio, confirmatio, reprehensio, conclusio, cap. 14.

Primum igitur præcipitur de exordio, quod quum debeat auditorem benivolum, attentum, docilem facere, consideranda

esse genera causarum quinque; honestum, admirabile, humile, anceps, obscurum; quorum in unoquoque dispari ratione exordiendum esse, cap. 15. Ipsum autem exordium dividitur in principium et insinuationem. De principio exponitur, c. 15, 16; de insinuatione, cap. 17; deinde, cap. 18, de communibus exordiorum virtutibus et vitiis.

Secundo loco de narratione præcipitur ita, ut generibus narrationum expositis, cap. 19, fusius pertractetur narratio quæ causæ continet expositionem, cap. 20. Hanc oportere tres res habere, ut brevis, ut aperta, ut probabilis sit, cap. 20; deinde cavendum esse, ne aut quum obsit narratio, aut quum nihil prosit, tamen interponatur; aut non loco, aut non, quemadmodum causa postulat, narretur, cap. 21.

Tertio loco agitur de partitione, cap. 22; cujus duæ partes sunt; una quæ, quid cum adversariis conveniat, et quid in controversia relinquatur, ostendit; altera quæ rerum, de quibus orator dicturus est, distributam continet expositionem. Alteram hanc partitionem brevitate, absolutione, paucitate laudari; ordinemque partium in dictione eumdem esse debere, qui fuerit in partitione, docetur, cap. 23.

Quarto agitur de confirmatione, cap. 24 seqq. ubi primum ostenditur, omnes res argumentando confirmari, aut ex iis quæ personis sint attributa, qualia sunt nomen, victus, fortuna, habitus, affectio, studia, consilia, facta, casus, orationes, cap. 25; aut ex iis quæ negotiis attributa sint, quæ partim sint continentia cum ipso negotio, partim in gestione negotii considerentur, cap. 26, partim adjuncta negotio sint, partim gestum negotium consequantur, cap. 27. Deinde docetur omnem argumentationem aut necessariam, aut probabilem esse. Genus argumentandi necessarium tractari in dicendo aut per complexionem, aut per enumerationem, aut per simplicem conclusionem, cap. 28. Probabile autem esse id, quod fere fieri soleat, aut quod in opinione positum sit, aut quod habeat in se ad hæc quamdam similitudinem. Omne autem probabile, quod sumatur ad argumentationem, aut signum esse, aut credibile, aut judicatum, aut comparabile, cap. 29 extr. Sequuntur præcepta de ratione inventas argumentationes exornandi, cap. 30; ubi primum disseritur de argumentatione per inductionem, cap. 31-33; deinde de ea quæ

fit per ratiocinationem, cap. 34. Hic primum quæritur, utrum ratiocinatio in quinque partes, an in tres rectius distribuatur; ubi postquam ostensum est, quæ sit quinquepartita, quæ autem tripartita, quinquepartitam maxime probandam esse docetur, cap. 35, 36. Ejus partibus, propositione, propositionis approbatione, assumptione, assumptionis approbatione, complexione, enumeratis, cap. 37, agitur de argumentatione per ratiocinationem quadripartita et tripartita, cap. 38, 39; et an ex duabus quoque partibus vel una constare possit argumentatio, quæritur, cap. 40, 41.

Quinto loco agitur de reprehensione s. confutatione argumentorum adversarii, ejusque fontibus, cap. 42 sqq. Nimirum argumentatio reprehenditur, si aut ex iis, quæ sumpta sunt, non conceditur aliquod unum plurave, cap. 43-46; aut his concessis, complexio confici ex his negatur, cap. 47, 48; aut si genus ipsum argumentationis vitiosum ostenditur, cap. 49, 50; aut si contra firmam argumentationem alia æque firma aut firmior ponitur, cap. 51.

Ultimo loco Cicero (postquam obiter de Hermagoræ ratione, qui degressionem in partium orationis numero posuerat, cap. 52, dixit), conclusionem pertractat, ejusque partes tres, enumerationem, cap. 53, indignationem, cap. 54, conquestionem, cap. 55, uberius explicat.

M. T. CICERONIS
RHETORICORUM,
SEU
DE INVENTIONE RHETORICA,
LIBER PRIMUS.

I. (1.) SÆPE et multum hoc mecum cogitavi, bonine, an mali plus attulerit hominibus et civitatibus[1] copia dicendi, ac summum eloquentiæ studium. Nam quum et nostræ reipublicæ detrimenta considero, et maximarum civitatum veteres animo calamitates colligo, non minimam video per disertissimos homines invectam[2] partem incommodorum. Quum autem res ab nostra memoria propter vetustatem remotas ex literarum monumentis repetere instituo; multas urbes constitutas, plurima bella restincta, firmissimas societates, sanctissimas amicitias intelligo quum animi ratione[3], tum facilius eloquentia comparatas. Ac me

I. 1. *Hominibus et civitatibus*. Hominibus singulis qui defenduntur in judicio, commendantur in concione, et *civitatibus universis* quæ ad bellum, aut ad pacem, aut ad ferendas abrogandasve leges oratione trahuntur.

2. *Invectam*. Additur *esse* Venet. Camer. Lallem. Oliv. Scu.

3. *Animi ratione*. Semper hæsi in hoc loco, non quod non recte dicatur *animi ratio*; nam sic est etiam in cap. 2, pr. sed quod, quum additur *animi*, semper aliqua causa est in vicinia: ut ibi opponitur *animi ratio*, *viribus corporis*; quod hic non est, ubi ratio et oratio opponuntur. Forte *animi* verbum e cap. 2 huc venit. Ern. — Cui Schütz. assentire videtur. Equidem puto non frustra dictum *animi ratione*, quum *eloquentia* facultas sit exterius se proferens, cui recte opponatur vis interior, *ratio* sc. *animi*.

quidem diu cogitantem ratio ipsa in hanc potissimum sententiam ducit, ut existimem, sapientiam sine eloquentia parum prodesse civitatibus; eloquentiam vero sine sapientia nimium obesse plerumque, prodesse numquam. Quare si quis, omissis rectissimis atque honestissimis studiis rationis et officii, consumit omnem operam in exercitatione dicendi, is inutilis sibi, perniciosus patriæ civis alitur [4]; qui vero ita sese armat eloquentia, ut non [5] oppugnare commoda patriæ, sed pro his propugnare [6] possit, is mihi vir et suis, et publicis rationibus utilissimus, atque amicissimus [7] civis fore videtur.

(II.) Ac si volumus hujus rei, quæ vocatur eloquentia, sive studii, sive artis [8], sive exercitationis cujusdam, sive facultatis a natura profectæ considerare principium; reperiemus id ex honestissimis causis natum, atque ab optimis rationibus profectum [9].

II. Nam fuit quoddam tempus [1], quum in agris ho-

4. *Perniciosus patriæ civis alitur.* Sic plerique edd. et codd. MSS. Recte. Gruterus, et qui eum sequuntur, « perniciosus civis dicitur ». Sch.

5. *Ut non.* Schützius dat *non ut.* Transponendas, inquit, judicavi has particulas, quia sensus est hic: Qui vero se armat eloquentia, non hoc consilio, ut oppugnare... possit.

6. *Propugnare*, pro vulg. *pugnare*, eleganter MSS boni, tum per se, tum in hoc loco, ubi et concinnitati in disjunctis servit, cujus Cicero in his libris valde est studiosus. Ernest. — *Propugnare* MS Erf. Duisb. Voss. 1, Leid. 3. Sch.

7. *Atque amicissimus.* Hæc absunt a MSS Ox. ω, 1. Sch.

8. *Sive studii, sive artis.* Schützius dat « sive artis, sive studii », non admonito lectore.

9. *Atque ab opt. rat. prof.* Ernest. addidit *ab*, quod in edd. abest, quod sit scilicet consuetudinis Ciceronianæ. Sed ita secundum membrum « ab optimis rationibus profectum », nihil aliud diceret, quam quod jam dictum erat priore « ex honestissimis causis natum ». Contra si legitur « optimis rationibus profectum », hoc significat, id quod ex honestissimis causis natum esset, optima quoque ratione excultum esse. Unde forsan suspicari liceat, *perfectum* potius quam *profectum* legendum esse. Sch.

II. 1. *Nam fuit quoddam tempus.* Quibus laudibus hoc loco et Or. I, 8, eloquentiam ornat orator, iisdem fere philosophiam ornat philosophus, Tusc. V, 2, Cl. Orat. I, 9, et poesin poeta Venusinus Epist. ad Pison. 391-401, atque suo jure uterque. Nam anti-

mines passim bestiarum modo[2] vagabantur, et sibi victu fero[3] vitam propagabant; nec ratione animi quidquam, sed pleraque viribus corporis administrabant[4]. Nondum divinæ religionis, non humani officii ratio colebatur; nemo nuptias viderat legitimas[5]; non certos quisquam adspexerat[6] liberos; non, jus æquabile quid utilitatis haberet, acceperat. Ita propter errorem atque inscientiam[7], cæca ac temeraria dominatrix animi cupiditas, ad se explendam viribus corporis abutebatur, perniciosissimis satellitibus. Quo tempore quidam[8], magnus videlicet vir et sapiens, cognovit, quæ materia esset[9], et quanta ad maximas res opportunitas in animis hominum[10], si quis eam

quissimum e doctis genus apud Græcos fuit poetarum, annotante Nostro Tusc. I, 1, ut Horatius id attribuere possit poetæ suo, quod Cicero h. l. attribuit « magno viro et sapienti », sive, ut Or. III, 15, ait, « cogitandi pronuntiandique rationem excolenti », sive, « cum ratione orationem conjungenti ». Conf. Nat. Deor. II, 52, et Quint. III, 2. WETZ.

2. *Bestiarum modo*. Sic Pal. sec. ac tert. item Græv. Vulg. *more*, quod quod quis non videt interpretamentum alterius?

3. *Victu fero*. Sic correxi pro *ferino*, e MSS Cauch. Cass. et Victorino. Fuit etiam in Gu. a. m. pr. Jubet etiam latinitas; nam *victus ferinus* est, ut *lac ferinum*, *caro ferina*, e feris; at victus ferus est inhumanus, quo bestiæ utuntur in vita fera. Brutus etiam e MSS Gryph. affert *vero*, vitiose scriptum pro *fero*. ERN.

4. *Nec ratione animi quidquam... administrabant*. Non satis apte qui interpretantur: *la raison avait peu d'empire*. Aliud est rationem ducem habere, aliud ministram. Sæpe enim qui prava cupidine ducitur, animi ratione, id est, calliditate magis quam viribus corporis utitur. Et hominibus feris oportebat ostendere primum rationem utilem ministram; deinde magis assuetis, optimam vivendi magistram proponere.

5. *Nuptias vid. legitimas*. Schütz. cum Lambino prætulit « legitimas viderat nuptias », concinnitatis causa, et quod *legitimas* est notio sententiæ primaria.

6. *Adspexerat*. Sic Erf. Duisb. Cauch. et edd. pr. Vulg. *inspexerat* ex Aldo. SCH.

7. *Inscientiam*. Hoc præbent codd. Duisb. Erf. quatuor Bruti codd. MSS Ox. ω, 1, 2, et Lambin. a Schützio citati; item Pal. sec. ac tert. et Græv. a Grutero. *Inscitiam* edit. Omnib. cum aliis.

8. *Quidam, magnus videlicet vir*. Sic interpungendum, alias *videlicet* friget; quod et aberat a Pal. 2. ERN.

9. *Materia esset*. Schützius delet *esset*, additque infra *inesset* ante *in animis*.

10. *In animis hominum*. Delevi *es-*

posset elicere, et præcipiendo meliorem reddere : qui dispersos homines in agris, et in tectis silvestribus abditos, ratione quadam compulit[11] unum in locum, et congregavit, et eos in unamquamque rem inducens utilem atque honestam, primo propter insolentiam reclamantes, deinde propter rationem atque orationem studiosius audientes, ex feris et immanibus, mites reddidit et mansuetos. Ac mihi quidem videtur hoc nec tacita, nec inops dicendi sapientia perficere potuisse, ut homines a consuetudine subito converteret[12], et ad diversas vitæ rationes[13] traduceret. Age vero, urbibus constitutis, ut fidem colere, et justitiam retinere discerent, et aliis parere sua voluntate consuescerent, ac non modo labores excipiendos communis commodi causa, sed etiam vitam amittendam existimarent : qui tandem fieri potuit, nisi homines ea, quæ ratione invenissent, eloquentia persuadere potuissent? Profecto nemo, nisi gravi ac suavi commotus oratione, quum viribus plurimum posset, ad jus voluisset sine vi descendere : ut inter quos posset excellere, cum iis se pateretur æquari, et sua voluntate a jucundissima consuetudine recederet, quæ præsertim jam naturæ vim[14] obtineret propter vetustatem. (III.) Ac primo quidem sic et nata, et progressa longius eloquentia videtur; et item postea maximis in

set, quia alias in eadem propositione bis esset : primum autem *esset* verum est, quia ibi consuetudine Ciceronis elegantius ponitur. Quædam edd. vett. et MSS habent *animis inesset*, vel *in animis inesset* : quod placet Oudendorpio. Sed *in animis* rectum est, quod id et ad materiam refertur. Ern.

11. *Ratione quadam compulit*, etc. Non enim ulla vi solus multos compellere potuit, ratio igitur fuit illa quacumque usus est.

12. *Converteret.* Videtur esse debere *averteret*, tum propter præpositionem *a*, tum quod *convertere* est in verbo seq. *traducere*. Ern.

13. *Ad diversas vitæ rationes.* Leid. 1 a pr. m. omittit *vitæ*. Sch.

14. *Jam naturæ vim.* Lambinus in textu *vim naturæ jam*. Idem in notis conjicit *vicem naturæ*, frustra. Sch.

rebus pacis et belli cum summis hominum utilitatibus esse versata. Postquam vero commoditas quædam [15], prava virtutis imitatrix, sine ratione officii, dicendi copiam consequuta est; tum ingenio freta malitia, pervertere urbes, et vitas hominum labefactare assuevit.

III. Atque hujus quoque exordium mali, quoniam principium boni diximus, explicemus. Verisimillimum mihi videtur, quodam tempore neque in publicis rebus infantes et insipientes homines solitos esse versari, nec vero ad privatas causas magnos ac disertos homines accedere; sed quum a summis viris maximæ res administrarentur, arbitror alios fuisse non incallidos homines, qui ad parvas [1] controversias privatorum accederent. Quibus in controversiis quum sæpe a mendacio contra verum homines stare consuescerent, dicendi assiduitas aluit audaciam [2], ut necessario superiores illi propter injurias civium resistere [3] audacibus, et opitulari suis quisque necessariis cogerentur. Itaque quum in dicendo sæpe par, nonnumquam etiam superior visus esset is, qui, omisso studio sa-

15. *Commoditas quædam.* Quem sensum potest habere hoc loco *commoditas*, aut quomodo virtutis imitatrix dici? Scripsisse Ciceronem arbitror *calliditas*. Mox in eadem re *non incallidi* homines. Ern.—Quam conjecturam amplexus est Schützius, et in textum suum recepit. Contra Wetzelius vulgatam tuetur, explicans facultatem commode dicendi, quo sensu est Her. I, 1, « commoditas orationis », et Lysiæ orationem Socrates *commode* scriptam Or. I, 54, et orator ipse de tantis rebus *satis commode* se dicere posse negat, quum *commoditati* ingenium sit impedimento, Rosc. Amer. 4, 1.

III. 1. *Non incallidos homines, qui ad parvas controversias privatorum accederent.* In Lambini textu est *ad pravas*, forsan typographi vitio. Certe verum est *parvas*, quod maximis rebus opponitur. Sch.

2. *Aluit audaciam.* In cod. Voss. cum schol. reperit Oud. lectionem *incussit audaciam*, superscripto *aluit*. Unde suspicatur, hoc illius lectionis forsan interpretamentum esse. Nobis tamen *aluit* hoc loco aptius quam *incussit* videtur. Sch.

3. *Resistere audacibus.* Græv. *restare*, quod placuit Gulielmio: sic Terent. « confidenter restas stulta ». Grut.

pientiæ, nihil sibi præter eloquentiam comparasset, fiebat, ut et multitudinis et suo judicio, dignus, qui rempublicam gereret[4], videretur. Hinc nimirum non injuria[5], quum ad gubernacula reipublicæ temerarii atque audaces homines accesserant, maxima ac miserrima naufragia fiebant. (IV.) Quibus rebus tantum odii atque invidiæ suscepit eloquentia[6], ut homines ingeniosissimi, quasi ex aliqua turbida tempestate in portum, sic ex seditiosa et tumultuosa vita se in studium aliquod traderent quietum. Quare mihi videntur postea cetera studia recta atque honesta, per otium concelebrata ab optimis, enituisse; hoc vero a plerisque eorum desertum obsolevisse eo tempore, quo multo vehementius erat retinendum, et studiosius adaugendum. Nam quo indignius rem honestissimam et rectissimam violabat stultorum et improborum temeritas et audacia, summo cum reipublicæ detrimento; eo studiosius et illis resistendum fuit, et reipublicæ consulendum.

IV. Quod nostrum illum non fugit Catonem[1], neque Lælium[2], neque horum (vere dicam[3]) discipulum Africanum[4], neque Gracchos Africani nepotes: quibus

4. *Gereret.* Leid. 1, *regeret.* Sch.

5. *Non injuria.* Nullum sensum commodum hic habere potest: sed interpunctio vitiosa est, quæ sic fieri videtur debere: « non i. quum... fiebant, iis rebus, etc. » Ern.—Sed hoc minime admittendum jure Schützius contendit: nempe « non injuria fiebant naufragia, quum ..... accesserant », idem est ac: « æquum et consentaneum erat ex audacia gubernatorum naufragia fieri ».

6. *Quibus rebus tantum odii atque invidiæ suscepit eloquentia.* De re cf. de Orat. III, 15. Wetz.

IV. 1. *Catonem.* Censorium, de quo ad Brut. 16; eloquentissimum, de Orat. I, 37; dignitate præcipua conspicuum, de Orat. I, 49; de claris Orat. I, 48, III, 15 et 33. Wetz.

2. *Neque Lælium.* De quo ad Brut. cap. 21, et de ejus auctoritate et eloquentia, de Orat. lib. I, cap. 48; lib. II, cap. 37. Wetz.

3. *Vere dicam.* Delevi *ut*, quod in Pal. 2 non erat, et hoc sensus requirit; nam in tali sensu, qui hic esse debet, non *ut vere dicam*, sed *vere dicam* dicitur. Ern.

4. *Africanum.* Juniorem, de cujus

in hominibus erat summa virtus, et summa virtute amplificata auctoritas, et, quæ his rebus ornamento, et reipublicæ præsidio esset, eloquentia. Quare, meo quidem animo, nihilo minus eloquentiæ studendum est, etsi ea quidam et privatim, et publice perverse abutuntur[5]: sed eo quidem vehementius; ne mali magno cum detrimento bonorum, et communi omnium pernicie, plurimum possint: quum præsertim hoc unum sit, quod ad omnes res et privatas, et publicas maxime pertineat[6]; hoc tuta, hoc honesta, hoc illustris, hoc eodem vita jucunda fiat. Nam hinc ad rempublicam plurima commoda veniunt, si moderatrix omnium rerum præsto est sapientia; hinc ad ipsos, qui eam adepti sunt, laus, honos[7], dignitas confluit; hinc amicis quoque eorum certissimum ac tutissimum præsidium comparatur. Ac mihi quidem videntur homines, quum multis rebus humiliores et infirmiores sint, hac re maxime bestiis[8] præstare, quod loqui

adolescentia vide ad Brut. 21. Majorem autem Africanum non infantem fuisse refert Brut. 19. De illius auctoritate, virtute et eloquentia, Brut. 21; de Orat. I, 48, 49. Capiendum autem hoc esse de minore, non de majore docet res ipsa clarissime, quum major ille Africanus natus ann. U. fere 518, ergo uno ante Catonem, hujus discipulus dici non possit, quem ipse consul ann. 548 habuit quæstorem; dici autem potest junior Africanus, natus anno fere 569, ergo 50 annis junior Catone. Wetz.

5. *Et publice perverse abutuntur.* Scio hoc explicari posse, si *abutuntur* accipimus pro *utuntur.* Sed nuspiam *abuti* cum *male* aut *bene*, aut simili verbo reperi. Quare aut *utuntur* legendum erit, aut *perverse* delendum. Hoc malim, quia a pluribus MSS abest apud Græv. Gron. et Oudendorp. præsertim quum etiam concursus duorum adverbiorum *publice*, *perverse* durior sit. Pro *sed etiam* malim *et*, quod in hac forma augendi perpetuum est. Ern. — *Perverse* abest a duobus codd. Voss. Leid. 1. Sch.

6. *Quod ad omnes res et privatas, et publicas maxime pertineat.* De re cf. dialogum de Causis corruptæ eloquentiæ, cap. 5 et 6.

7. *Laus, honos.* Schütz. dat *laus, honor,* quod reperitur apud Victor. in Voss. Leid. 1, quod Oudend. præfert vulgatæ, « laus, honos, dignitas », ne sibila consonans nimis repetatur.

8. *Maxime bestiis.* MS Leid. 1, *maxime belluis*, quod placuit Ernestio, ne in tribus versiculis idem ver-

possunt. Quare præclarum mihi quiddam videtur adeptus is, qui, qua re homines bestiis præstent[9], ea in re hominibus ipsis[10] antecellat. Hoc si forte non natura modo, neque exercitatione conficitur, verum etiam artificio quodam comparatur; non alienum est videre, quid dicant[11] ii, qui quædam ejus rei[12] præcepta nobis reliquerunt.

(v.) Sed antequam de præceptis oratoriis dicamus, videtur dicendum de genere ipsius artis[13], de officio, de fine, de materia, de partibus. Nam his rebus cognitis, facilius et expeditius uniuscujusque animus ipsam rationem ac viam artis considerare poterit.

V. Civilis quædam ratio est[1], quæ multis et magnis ex rebus constat. Ejus quædam magna et ampla pars est artificiosa eloquentia, quam rhetoricam vocant. Nam neque cum iis[2] sentimus, qui civilem scientiam eloquentia non putant indigere; et ab iis, qui eam putant omnem rhetoris vi et artificio contineri, magnopere dissentimus. Quare hanc oratoriam facultatem in eo genere ponemus[3], ut eam civilis scientiæ

bum bis esset. Hic autem vis consequentiæ postulat, ut idem verbum repetatur. Sch.

9. *Præstent.* Schutz. *præstant*, auctore Oud. prætulit.

10. *Hominibus ipsis.* Grævius e MS edidit *ipse*: sed oppositionis vis *ipsis* requirit. Sch.

11. *Quid dicant ii, qui*, etc. pro vulg. *quæ*. Illud habent edd. pr. *Quæ* induxit Aldus: *quid* etiam melius est, quia statim sequitur *quædam*. Ernest. — Quem Schütz. sequutus est.

12. *Ejus rei.* Lambinus in textu *ejus artis*: sed *ejus rei* refertur ad *hoc*, i. e. ad eloquentiam. Sch.

13. *De genere ipsius artis.* De arte ipsa, cujus generis sit; unde originem habeat.

V. 1. *Civilis quædam ratio est.* Ὁ πολιτικὸς λόγος, ἡ πολιτικὴ ἐπιστήμη, ἡ τέχνη, id est, reipublicæ constituendæ et administrandæ scientia, vel ars, quam uno vocabulo *politicam* solemus appellare, Cicero *civilem scientiam* mox dicet. Quintilianus (edit. Paris. in-fol. 1725), lib. II, cap. 15, pag. 123, not. 130, *civilitatem* vocavit. Capperonnerius.

2. *Cum iis.* Schütz. dat *cum his*, quod recepit e codd. Oudendorp. et ed. Omnib.

3. *Hanc oratoriam facultatem in eo genere ponemus.* Id est, hunc locum ei assignabimus.

partem esse dicamus. Officium autem ejus facultatis videtur esse, dicere apposite ad persuasionem[4]; finis, persuadere dictione. Inter officium autem et finem hoc interest, quod in officio, quid fieri[5]; in fine, quid officio conveniat, consideratur : ut medici officium dicimus esse, curare ad sanandum apposite; finem, sanare curatione[6]. Item oratoris quid officium, et quid finem esse dicamus, intelligemus[7], quum id, quod facere debet, officium esse dicemus; illud, cujus causa facere debet, finem appellabimus.

Materiam artis eam dicimus, in qua omnis ars, et ea facultas, quæ conficitur ex arte, versatur. Ut si medicinæ materiam dicamus morbos, ac vulnera, quod in his omnis medicina versetur : item, quibus in rebus versatur ars, et facultas oratoria, eas[8] res materiam artis rhetoricæ nominamus. Has autem res, alii plures, alii pauciores existimaverunt. Nam Gorgias Leontinus, antiquissimus fere rhetor[9], omnibus

4. *Dicere apposite ad persuasionem.* Quod dicit Hermagoras apud Quintil. II, 15, persuasibiliter (πιθανῶς), sive ita ut auditoribus persuadeat de re proposita. Definitio ipsa petita ex Aristotele, cui (Rhet. I, 2) ῥητορικὴ est δύναμις περὶ ἕκαστον τοῦ θεωρῆσαι τὸ ἐνδεχόμενον πιθανὸν, quod ita a Quintil. II, 15, versum legimus: « vis est dicendi, quid in quaque re possit esse persuasibile ». Respice quoque ad Her. I, 2, « eloquentiæ finis persuadere dictione ». Wetz.

5. *Quod in officio, quid fieri.* Non recedunt ab hac scriptura Pall. nostri. Fulvius tamen noster Ursinus prodit in suis reperiri *quid fini:* quod non displicuit Gulielmib. Gruter. — De officio vide ad Herenn. I, 2.

6. *Ut medici officium... curatione. Item*, etc. Ernest. interpungit : « ut med. officium..... curatione : item, etc. ». Re, inquit, jubente : nam est nova sententia; qua id, quod ante dictum est, firmatur similitudine. Similiter est mox.

7. *Intelligemus ... dicemus ... appellabimus.* Hoc malim cum Pall. et MSS Suffridi Petrei nostri, quam retro vulgatum : « intelligimus..... dicimus... appellamus » : neque aliter ediderat Victorius; sed non invenit qui sequerentur. Grut.

8. *Eas res.* Addidi *res* cum Grævio e MSS ipsius et Gu. et edd. pr. nam alias *eam* esse deberet. Ern.

9. *Gorgias Leontinus, antiquissimus fere rhetor.* De Gorgia vide ind. historicum. Discipulus fuit Tisiæ, quem primum Syracusis rhetoricen professum esse anno fere U. C. 288 refert ex Aristotele Cicero. Brut. 12.

de rebus oratorem optime posse dicere existimavit. Hic infinitam et immensam huic artificio [10] materiam subjicere videtur. Aristoteles autem, qui huic arti plurima adjumenta [11] atque ornamenta subministravit, tribus in generibus rerum [12] versari rhetoris officium putavit [13], demonstrativo, deliberativo, judiciali. Demonstrativum est, quod tribuitur in alicujus certæ personæ laudem aut vituperationem. Deliberativum [14], quod positum in disceptatione [15] et consultatione ci-

Gorgias ipse, quum ad ætatem centum et viginti annorum pervenisset (Cic. Cat. 5), ultra annum Urb. 356 vitam produxit.

10. *Immensam huic artificio materiam subjicere vid.* Græv. *huic arti*, et concinnum Gulielmio visum, etiamsi paullo post eadem vox sequeretur: et vero sic quoque Pal. tert. Sed alterum remansit in ceteris: nec temere loco moverim. Gaut.

11. *Adjumenta.* Voss. 1 a m. pr. habet *amminicula*, superscripto *adjumenta.* Sch.

12. *In generibus rerum.* Lambinus conjecit « in generibus causarum ». Aristot. Rhet. I, 3, ait: ὥστ' ἐξ ἀνάγκης ἂν εἴη τρία γένη τῶν λόγων τῶν ῥητορικῶν, συμβουλευτικὸν, δικανικὸν, ἐπιδεικτικόν. Ex h. l. intelligitur Ciceronem æque bene *rerum* atque *causarum* scribere potuisse. Ad Herenn. I, 2, est *causarum.* Sch.

13. *Tribus in generibus rerum versari rhetoris officium putavit.* Rhetoris officium versatur, ut Aristoteles ait (Rhet. I, 3), tribus in generibus *rerum*, sive *causarum*, ut est Herenn. I, 2.

14. *Deliberativum...judiciale.* Voculam *est*, quæ post utrumque verbum addebatur, delent MSS Cass. Gu. bene sane et eleganter. Cui quia consentiunt edd. pr. delevi: etsi alibi addit Cicero in his libris in talibus definitionibus densatis, sicut auctor librorum ad Herennium, nisi et ibi a scribis est. Nam nonnullis locis primo tantum generi additur, ut cap. 15. Certe ubi libri sinunt, recte delebimus. Ern. — Quem Schütz. sequutus est. Contra *est* Lallem. servavit. — Trium dicendi generum definitiones iisdem fere verbis exponuntur ad Her. I, 2.

15. *In disceptatione et consultatione.* Oudendorp. *consultatione* deleri volebat, quia a tribus MSS Grævii abfuit, quod Ernest. jure quidem improbavit: causam tamen attulit parum idoneam. « Non omnis, inquit, consultatio est disceptatio; illa est in curia, hæc in foro ». Immo sic se res habet. Disceptatio est, ubicumque de aliqua re statuitur aliquid; disceptatores (conf. Orat. Partit. cap. 3) sunt rei ac scientiæ moderatores. Disceptatur autem vel in deliberationibus, sive in senatu, sive in concione ad populum; idque fit, quum agitur de futuris; vel in judiciis, ubi agitur de rebus præteritis. Itaque hoc loco est ἓν διὰ δυοῖν, ut bene intellexit Jo. Theoph. Ernesti in lexico technologiæ Romanorum rhetorum voc. *deliberatio.* Sch.

vili, habet in se sententiæ dictionem[16]. Judiciale, quod positum in judicio, habet in se accusationem et defensionem, aut petitionem et recusationem. (VI.) Et, quemadmodum nostra quidem fert opinio, oratoris ars et facultas in hac materia tripartita versari existimanda est.

VI. Nam Hermagoras[1] quidem, nec quid dicat, attendere, nec quid polliceatur, intelligere videtur; qui oratoris[2] materiam in causam et in quæstionem dividat. Causam[3] esse dicit rem, quæ habeat in se controversiam in dicendo positam cum personarum certarum interpositione; quam nos quoque oratori dicimus esse attributam. Nam tres ei partes, quas ante diximus, supponimus, judicialem, deliberativam, demonstrativam. Quæstionem[4] autem eam appellat, quæ

16. *Habet in se sententiæ dictionem.* Plenius esset, « concionem et sententiæ dictionem ». Cicero enim plerumque, ubi de genere deliberativo agit, deliberationes in senatu et coram populo diserte nominatas conjungit. Itaque h. l. tanto minus videri potest omisisse *concionem*, quanto magis hic, in definitione generis, necesse erat plene enumerari res generi subjectas. Sic de Orat. II, 9. Ibidem cap. 82. Attamen sententiæ dictio nonnullis locis generatim pro genere deliberativo a Cicerone ponitur : et de Inv. lib. II, cap. 4, et Partit. Orat. c. 24. Sch.

VI. 1. *Hermagoras.* Quintil. I, 5, 61, testatur se legisse apud Ciceronem formam nominativi *Hermagora*. Sed Bentleius ep. ad Mill. (pag. 519 ed. opusc. Lips.) recte veretur, ne vitioso codice usus sit Quintilianus; ostenditque scripturam *Hermagoras* genuinam esse. Sch. — De Hermagora respice not. ad Herenn. I, 11; de re de qua eum inter et Ciceronem controversia est, Quintil. III, 5.

2. *Qui oratoris...dividat.* Ad h. l. respexit Quintil. III, 5, 14, 15. Sch. — Ea est, Antonio ex Græcorum scholis definiente, Orat. II, 19 : « res posita in disceptatione rerum et controversia » ; sive, Cicerone brevius definiente, Top. 21, Part. 1, « quæstio definita ». Wetz.

3. *Causam.* Quam græci rhetores ὑπόθεσιν appellant. Capp.

4. *Quæstionem.* Græci *thesin* dicunt qua aliquid *generatim* quæritur, ut ait Antonius ap. Cic. Orat. II, 10. Cf. loca supra ad notam 2 citata, et Orat. I, 31, ubi Crassus : « Est, inquit, omnis oratio aut de infinitæ rei quæstione, sine designatione personarum et temporum, aut de re certis in personis ac temporibus locata » ; et Orat. II, 19, ubi Antonius Græcos sequutus quæstionem appellat : « rem positam in infinita dubitatione ». Et iterum Crassus, Orat. III, 28 : « Peri-

habeat in se controversiam in dicendo positam, sine certarum personarum interpositione, ad hunc modum: « Ecquid sit bonum[5] præter honestatem? Verine sint sensus[6]? Quæ sit mundi forma? Quæ solis magnitudo? » Quas quæstiones procul ab oratoris officio remotas[7], facile omnes intelligere existimamus. Nam, quibus in rebus summa ingenia philosophorum plurimo cum labore consumpta intelligimus, eas, sicut aliquas parvas res, oratori attribuere, magna amentia videtur. Quod si magnam in his Hermagoras habuisset facultatem, studio et disciplina comparatam, videretur fretus sua scientia, falsum quiddam constituisse de oratoris officio[8]; et non quid ars, sed quid ipse posset, exposuisse. Nunc vero ea vis est in[9] homine, ut ei multo rhetoricam citius quis ademerit, quam philosophiam concesserit. Neque id eo dico[10], quod ejus ars, quam edidit, mihi mendosissime scripta videatur; nam satis in ea videtur ex antiquis[11] artibus

patetici, inquit, philosophi, aut Academici, dicunt omnem civilem orationem in horum alterutro genere versari, aut definitæ controversiæ certis temporibus ac reis, aut infinite de universo genere quærentis ». Adde his, si placet, Quint. III, 5; Cic. Part. 18; Top. 21. — *Quæstionem*. De re vide Cicer. Parad. I. Nihil esse bonum præter honestum Stoici negant.

5. *Ecquid sit bonum*. Additur *in vita* MS Ox. ω, 1, ed. Ven. Camerar. SCHUTZ.

6. *Verine sint sensus?* De quo disputat ex more Academicorum in Academ. 1, 8. Quamquam oritur a sensibus, non est judicium veritatis in sensibus: mentem ostendunt esse rerum judicem.

7. *Officio remotas*. Schützius addit *esse*. Nam, inquit, « intelligere quæstiones remotas » aliud est atque « intelligere quæstiones remotas esse ». Jam antea Ernesti monuerat hanc voculam parum commode abesse.

8. *De oratoris officio*. Cod. Erf. et Cauch. habent « de oratoris artificio », quod probat Græv. sed tamen antea quoque est *oratoris officio*. SCH.

9. *Ea vis est in homine*. Int. de Hermagora: eo ille ingenio est. SCH.

10. *Neque id eo dico*. *Id* quod vulgo aberat Schützius inseruit, quod, inquit, in hac phrasi Cicero non omittit. — *Dico* abest a MSS pluribus, etiam Cass. Gu. 1, 2, et edd. pr. Addidit Aldus; et est sane durior ellipsis h. l. MS Cass. etiam *quo* habet. ERN.

11. *Ex antiquis artibus*. Cod. Febr. *antiquissimis artibus*: fortasse, inquit

ingeniose et diligenter electas res collocasse, et nonnihil ipse quoque novi protulisse: verum oratori minimum est de arte loqui, quod hic fecit; multo maximum ex arte dicere, quod eum minime potuisse, omnes videmus. (VII.) Quare materia quidem nobis rhetoricæ videtur ea, quam Aristoteli visam esse diximus [12].

VII. Partes autem hæ sunt [1], quas plerique dixerunt, inventio, dispositio, elocutio, memoria, pronuntiatio. Inventio est [2] excogitatio rerum verarum, aut verisimilium, quæ causam probabilem reddant. Dispositio [3] est rerum inventarum in ordinem distributio [4]. Elocutio [5] est idoneorum verborum, et sententiarum [6] ad inventionem accommodatio. Memoria est firma animi rerum ac verborum ad [7] inventionem

Gulielmius, *antiquissimis artificibus*. Grut.

12. *Quam Aristoteli visam esse diximus.* Vide supra cap. 5.

VII. 1. *P. a. hæ sunt.* Ern. quem Schützius sequutus est, delet vocem *sunt*: sic, inquit, MSS meliores, atque ita requirit præcedens *quidem*. Et Cicero materiam et partes conjuncte tractavit, ut post ipse dicit. Quia librarii et magistri ista in capita secuerunt, feceruntque aliud de materia, aliud de partibus, addiderunt h. l. *sunt*, ut novi argumenti initium esset. Ern. — Ceterum, inquit Schützius, quum h. l. diserte quinque partes enumeret eloquentiæ, mirum est, quid sit, quod Quintilianus, Inst. Or. III, 3, 6, Ciceronem in Rhetoricis judicium subjecisse inventioni dicat. Sed de hac re disputavimus in Prolegomenis. Sch.

2. *Inventio est.* Græcis est ἡ εὕρεσις. Iisdem verbis definitur ad Her. I, 2.

3. *Dispositio.* Græcis est ἡ οἰκονομία. Auctori ad Her. « Ordo et distributio rerum ».

4. *In ordinem distributio.* Quod Oudend. e Scholio cod. Leid. affert *per ordinem*, id est in edd. primis usque ad Aldum, qui induxit *in ordinem*. Mihi latinitatis ratio obstitit, quominus illud reciperem: aliud est *distribuere in*, v. c. partes, aliud *per*, v. c. ordines, classes. Ern.

5. *Elocutio.* Græcis, ἡ φράσις, ἡ ἑρμηνεῖα, ἡ ἀπαγγελία. Auctori ad Herennium iisdem his verbis definitur, quem vide, I, 2.

6. *Sententiarum.* Τῶν διανοιῶν, vulgo *des pensées*, non autem τῶν γνωμῶν, quas vocamus *sentences*, *maximes*, etc. Latina vox utrumque significat. Vide Quintil. pag. 322, not. 6, et pag. 505, not. 1, 2, 3. Capper.

7. *Ad inventionem.* Schütz. delet *ad inventionem*, auctore Lambino, et nuper Purgoldo, ut vitio librariorum ex antecedentibus repetitum. Lambino in mentem venerat, ut substitueretur

perceptio. Pronuntiatio[8] est, ex rerum et verborum dignitate, vocis et corporis moderatio[9].

Nunc his rebus breviter constitutis, eas rationes[10], quibus ostendere possimus genus, et officium, et finem hujus artis, aliud in tempus differemus. Nam et multorum verborum indigent, et non tantopere ad artis descriptionem[11] et præcepta tradenda pertinent. Eum autem, qui artem rhetoricam scribat, de duabus reliquis rebus, de materia artis, ac partibus scribere oportere existimamus. Ac mihi quidem videtur conjuncte agendum de materia ac partibus. Quare inventio, quæ princeps est omnium partium, potissimum in omni causarum genere, qualis debeat esse, consideretur.

VIII. (VIII.) Omnis res, quæ habet in se, positam in dictione aut disceptatione[1], aliquam controversiam, aut facti[2], aut nominis, aut generis, aut actionis continet quæstionem. Eam igitur quæstionem, ex qua causa nascitur, constitutionem appellamus. Constitutio est[3] prima conflictio causarum ex depulsione[4] inten-

pro eo *idoneorum*, quod Schütz. inutile duxit. Habet auctor ad Herenn. *et dispositionis*, quod et hic adesse velim.

8. *Pronuntiatio*. Ἡ ὑπόκρισις. Melius hic Noster quam auctor ad Her. quem vide I, 2.

9. *Corporis moderatio*. Tosanus, *modulatio*. Sed quis probet? Grut.

10. *Eas rationes*. Eam doctrinæ expositionem.

11. *Ad artis descriptionem*. Id est, ad expositionem artificiorum quibus utitur orator.

VIII. 1. *Aut disceptatione*. Schütz. *ac discept*. Ita rectius, inquit, cod. Erf. et Cauch. *Dictio* et *disceptatio* hic non distinguuntur, sed copulantur. Sch. — *Positam in dictione aut disceptatione*. De qua dici possit ab oratore, disceptari a philosopho. Wetz.

2. *Aut facti . . . quæstionem*. Comparandus est Quintil. Inst. Orat. III, 6, 49, ubi ad h. l. respexit. Sch.

3. *Constitutio est*. Ἡ στάσις, cujus nominis rationem et etymologiam vide apud Quintilian. edit. 1725, p. 160, not. 16. Capper. — De constitutionibus causarum vide auctorem ad Her. I, 11.

4. *Ex depulsione*. Id est, refutatione, quæ et *deprecatio* quandoque dicitur, ut mox patebit cap. 10. Fortunatianus Rhetor p. 39, Rhetor. Pith. ἀπόφασιν vocat, id est, *negationem*. Capper.

tionis[5] profecta, hoc modo : « Fecisti. — Non feci, aut jure feci ». Quum facti controversia est, quoniam conjecturis causa firmatur, constitutio[6] conjecturalis appellatur. Quum autem nominis, quia vis vocabuli definienda verbis est, constitutio definitiva[7] nominatur. Quum vero, qualis sit res, quæritur, quia et de vi, et de genere negotii controversia est, constitutio generalis[8] vocatur. At quum causa ex eo pendet, quod aut non is[9] agere videtur, quem oportet, aut non cum eo, quicum oportet, aut non apud quos, quo tempore, qua lege, quo crimine, qua pœna oportet, translativa dicitur constitutio[10]; quia actio[11], translationis et commutationis indigere videtur. Atque harum aliquam in omne causæ genus incidere necesse est. Nam in quam rem[12] non inciderit, in ea nihil

5. *Intentionis*. Id est, accusationis, sive actionis, qua crimen cuipiam intenditur. Fortunatianus Rhet. Pith. κατάφασιν appellat, hoc est, *affirmationem*. Capper.

6. *Constitutio conjecturalis*. Ὁ στοχασμὸς, ἡ στοχαστικὴ, ἡ οὐσία, λόγος εἰδωσώδης, ἡ γένεσις, τὸ πραγματικὸν, τὸ κατ' αἴσθησιν, ἡ συντελικὴ στάσις. Vulgo dicitur *quæstio facti* vel *de facto*. Vide Quintilian. p. 167, not. 163, et pag. 181, not. 468. Alias dicitur *inficialis*, et de substantia, teste Quintiliano, p. 535, not. 41. Capper.

7. *Constitutio definitiva*. Ὅρος, ὁρισμὸς, ὁριστικὴ στάσις, περὶ τῆς ἰδιότητος, περὶ τοῦ αὐτοῦ καὶ ἑτέρου. Latini dicunt etiam *finem*, *de fine*. Donatus in Terent. Eunuch. V, 5, 18 : *Causam finalem*. Vide Quintil. p. 253, not. 18, et p. 181, not. 468. Capper.

8. *Constitutio generalis*. A Latinis rhetoribus vocari solet status qualitatis, vel qualitas, ἡ ποιότης. Apud nos quæstio juris, vel de jure, appellatur. Lege Quintil. p. 155, not. 28, p. 181, not. 468, et p. 124, not. 170. Capper.

9. *Quod aut non is*. Sic e MSS recte reposuit Græv. Vulgatum *quod non aut is* minime aptum sequentibus.

10. *Translativa dicitur constitutio*. Quintiliano translatio, transumptiva, transpositiva, græce μετάληψις, et aliquando παραγραφὴ, *præscriptio*, vulg. dicimus exceptionem judicii, vel fori declinatoriam. Lege Quintil. p. 171, not. 243, 246, et p. 181, not. 468. Capper.

11. *Quia actio, translationis et commutationis indigere videtur*. Sch. dat « quia translationis et comm. actio ind. vid. » Hic ordo verborum, inquit, quem tenet cod. Erf. concinnior et efficacior est quam vulgatus. Sch.

12. *Nam in quam rem*. *Rem* pro more Ciceroniano ex codicibus Erf. Duisb. Canch. et quibusdam edd. addiderunt Græv. Gron. Ern. Sch.

esse poterit controversiæ. Quare eam ne causam quidem convenit putari.

(IX.) Ac facti quidem controversia in omnia tempora potest distribui. Nam quid factum sit[13], potest quæri, hoc modo : « Occideritne Ajacem Ulysses ? » Et quid fiat, hoc modo : « Bonone animo sint erga populum romanum Fregellani[14] ? » Et quid futurum sit, hoc modo : « Si Carthaginem reliquerimus incolumem, num quid sit incommodi ad[15] rempublicam perventurum? »

Nominis controversia est[16], quum de facto convenit, et quæritur, id quod factum est, quo nomine appelletur. Quo in genere necesse est [ideo nominis[17]] esse controversiam [non quod de re ipsa non conveniat], non quod de facto non constet, sed quod id, quod factum sit, aliud alii videatur esse, et idcirco alius alio nomine id appellet. Quare in hujusmodi generibus definienda res erit verbis, et breviter describenda : ut, si quis sacrum ex privato[18] surripuerit,

13. *Quid factum sit ... Et quid fiat... Et quid futurum sit.* Schützius, auctore Lambin. « ecquid factum sit... ecquid fiat ... ecquid futurum sit ». Illud est, ait, descriptioni causæ conjecturalis aptius. — Exemplum idem assumit Cicero quod auctor ad Herennium : « occideritne Ajacem Ulysses », I, 11.

14. *Fregellani.* Vide notam ad Her. IV, 9.

15. *Ad rempublicam.* Oliv. *ad populum romanum.*

16. *Nominis controversia est.* Schützius dat : *nominis est controversia.*

17. *Ideo nominis.* Hæc credo spuria esse ; nam alias sequentia non conveniunt : « non quod de facto non constet, sed ». Unde patet in illis *nominis* mentionem nondum factam esse. Et deberet esse, « quod de facto constat, etc. » Uncis inclusi ; sicut sequentia, *non ... conveniat*, inclusa sunt ideo, quia spuria judicata sunt ; relicta in textu, quia sine libris noluerunt ejicere. MSS nostri hic fluctuant. Enw. — At Schützius omnino *ideo nominis* et *non ... conveniat* ejecit e textu. Horum nihil erat in Fabriciano nisi ad marginem, teste Grutero. Lambinus alteram locutionem, « non quod de facto non constet », sustulerat, tamquam illorum, « non quod de re ipsa non conveniat », glossema. Illa tamen aptius cum proxime sequentibus connectuntur. Sch.

18. *Si quis sacrum ex privato surripuerit*, etc. Privati alicujus domo.—*Sacrilegus.* Vide ad Her. II, 30, et infra II, 18.

utrum fur, an sacrilegus sit judicandus. Nam id quum quæritur, necesse erit definire utrumque, quid sit fur, quid sacrilegus, et sua descriptione ostendere alio nomine illam rem, de qua agitur, appellari oportere, atque adversarii dicant[19].

IX. (x.) Generis est controversia, quum et quid factum sit[1], convenit, et quo id factum nomine appellari oporteat, constat; et tamen, quantum, et cujusmodi, et omnino quale sit, quæritur, hoc modo: Justum, an injustum; utile, an inutile; et omnia, in quibus[2], quale sit id, quod factum est, quæritur, sine ulla nominis controversia.

Huic generi Hermagoras partes quatuor supposuit, deliberativam, demonstrativam, juridicialem, negotialem. Quod ejus, ut nos putamus, non mediocre peccatum, reprehendendum videtur, verum brevi[3], ne aut, si[4] taciti præterierimus, sine causa non sequuti eum putemur; aut, si diutius in hoc constiterimus, moram atque impedimentum reliquis præceptis intulisse videamur.

Si deliberatio et demonstratio genera sunt causarum, non possunt recte partes alicujus generis causæ putari. Eadem enim res alii genus esse, alii pars potest; eidem genus esse et pars non potest. Deliberatio autem, et demonstratio, genera sunt causarum. Nam aut nullum causæ genus est, aut judiciale solum, aut

19. *Atque advers. dicant.* Sine dubio scribendum est *dicant* pro vulgato *dicunt.* Ernest. — Quem Schützius sequutus est.

X. 1. *Et quid factum sit, convenit.* Schützius, « ecquid f. s. » convenienter superioribus cum Lamb. edidit. — Hujus controversiæ exemplum habes in Miloniana.

2. *Et omnia, in quibus.* Schützius dat : « et omnino, in q. » ne admonito quidem lectore.

3. *Verum brevi.* Haud aliter quoque Pall. nostri : itaque non est mutandum in *breviter.* Gaut.

4. *Ne aut, si.* Sic e MSS dedimus, et aliis et nostris, pro *ne, si aut :* idque sensus ipse docet. In Gu. 1 deest etiam *taciti* a m. pr. Sed supra adscriptum est alia manu, nec eo opus est. Ern.

et judiciale, et demonstrativum, et deliberativum. Nullum dicere causæ esse genus, quum causas esse multas dicat, et in eas præcepta det, amentia est[5]. Unum autem judiciale solum esse qui potest, quum deliberatio et demonstratio, neque ipsæ similes inter se sint, et ab judiciali genere plurimum dissideant, et suum quæque finem habeat[6], quo referri debeat? Relinquitur ergo, ut omnia tria genera[7] sint causarum. Deliberatio igitur, et demonstratio, non possunt recte partes alicujus generis causæ putari. Male igitur eas generalis constitutionis partes esse dixit.

X. Quod si generis causæ partes non possunt recte putari, multo minus recte partis causæ partes putabuntur. Pars autem causæ, constitutio est omnis[1]. Non enim causa ad constitutionem, sed constitutio ad causam accommodatur. Sed demonstratio[2] et deliberatio, generis causæ partes non possunt recte putari, quod ipsa sunt genera. Multo igitur minus recte partis ejus, quod hic dicit[3], partes putabuntur. Deinde si constitutio, et ipsa, et pars constitutionis[4] ejus quælibet, intentionis depulsio est; quæ intentionis depulsio non est, ea nec constitutio, nec pars consti-

5. *Amentia est.* Liber Suffridi: « summa amentia est ». GRUT.

6. *Habeat ... debeat.* Paruissem Oudendorpio, qui lectionem *habeant... debeant*, cum plurimis MSS prætulit, nisi *quæque*, quum tantum ad alterutrum ex duobus generibus referatur, singulari numero ponendum esset. SCH.

7. *Ut omnia tria genera.* Schütz. *ut omnino t. g.* Sic, inquit, latinitate postulante, auctore etiam Grævio, rescripsimus. Et sic jam Lambinus ediderat.

X. 1. *Constitutio est omnis.* Schütz. « est constitutio omnis » e cod. Erf. ut ordine lucidiore. Male intellexit gallicus interpres: *la question entière*; oportuit verti: *toute question*.

2. *Sed demonstratio.* Schütz. cum Lambino, *at dem.* Particulæ *at*, inquit, in assumptionibus syllogismorum solemnis est usus; vulg. *sed dem.* minus bene, quia statim præcesserat *sed*. SCHUTZ.

3. *Quod hic dicit.* Lambin. e MSS legi volebat, *quam hic dicit*, scil. *constitutionem generalem*. SCH.

4. *Et pars constitutionis ejus.* Schützius cum Allemanno delet *constitutionis*, auctore cod. Erf.

tutionis est. At si, quæ intentionis depulsio non est, ea nec constitutio, nec pars constitutionis est; demonstratio et deliberatio, neque constitutio, nec pars constitutionis est. Si igitur constitutio[5], et ipsa, et pars ejus, intentionis depulsio est; deliberatio et demonstratio, neque constitutio, neque pars constitutionis est. Placet autem ipsi, constitutionem[6] intentionis esse depulsionem. Placeat igitur oportet, demonstrationem et deliberationem non esse constitutionem[7], nec partem constitutionis. Atque hoc eodem urgebitur[8], sive constitutionem, primam causæ accusatoris confirmationem dixerit, sive defensoris primam deprecationem. Nam eum eadem omnia incommoda sequentur.

Deinde conjecturalis causa non potest simul ex eadem parte, eodem in genere, et conjecturalis esse, et definitiva. Rursus nec definitiva causa potest simul ex eadem parte, eodem in genere, et definitiva esse, et translativa. Et omnino nulla constitutio, nec pars constitutionis potest simul et suam habere, et alterius in se vim continere : ideo quod unaquæque ex se, et ex sua natura simpliciter consideratur; altera assumpta, numerus constitutionum duplicatur, non

5. *Si igitur constitutio... constitutionis est.* Hæc omnia Schütz. quasi ex antecedentibus temere repetita et ordinem ratiocinationis turbantia, jure suo delevit.

6. *Constitutionem.* Hoc verbum e MSS restituit Græv. nec abesse salvo sensu potest; exstatque in edit. Ald. prim. Lambin. etc. Ernest. — Quem Schütz. sequutus est.

7. *Non esse constitutionem.* Sic MSS et edd. pr. usque ad Aldum, a quo vulgatum *nec* fluxit, quod locum per latinitatem non habet. Deberet enim esse : «demonst. et deliberationem esse nec constitut. nec dep. etc.» Vetus etiam Lamb. habet. Ern.

8. *Urgebitur.* Si cum Grævio e cod. Erf. addamus *incommodo*, quod legitur etiam in Ald. Lamb. Rob. Steph. et al. valde friget, quod post dicitur : «nam eum eadem omnia incommoda sequentur» : itaque præstat, id e contextu excludere : intelligendum nempe est *argumento*. Urgebitur eodem argumento; nam omnia eum incommoda sequentur, quæ exposita sunt in argumentatione superiore. Sch.

vis constitutionis augetur. At deliberativa causa simul ex eadem parte, eodem in genere, et conjecturalem, et generalem, et definitivam, et translativam solet habere constitutionem, et unam aliquando, et plures nonnumquam. Ergo ipsa nec[9] constitutio est, nec pars constitutionis. Idem in demonstratione solet usu evenire[10]. Genera igitur, ut ante diximus, hæc causarum putanda sunt, non partes alicujus constitutionis.

XI. (XI.) Hæc ergo constitutio, quam generalem nominamus, partes nobis videtur duas habere, juridicialem, et negotialem. Juridicialis est[1], in qua æqui et iniqui natura[2], præmii[3], aut pœnæ ratio quæritur. Negotialis est[4], in qua, quid juris ex civili more, et æquitate sit, consideratur: cui diligentiæ præesse apud nos jurisconsulti existimantur.

Ac juridicialis quidem ipsa in duas distribuitur partes, absolutam et assumptivam. Absoluta est[5], quæ

9. *Ipsa nec.* Gronov. et Græv. e MSS *neque*, quos sequuti sunt Lallem. et Schütz.

10. *Usu evenire. Venire* maluit Oudendorp. quia hæc legitima forma est, et sæpe in libris ista sunt confusa, quod multis exemplis planum facit: sed libri constanter in *evenire* consentiunt, ut aliis locis, v. c. infra c. 54, nisi quod Gu. uterque in utroque loco habet *venire. Venire* jam edidit Lambinus. Ern. — Schützius dedit *venire* e codd. Erf. Cauch. Leid. 2. — Conf. Her. I, 14, et infra c. 43 et 54.

XI. 1. *Juridicialis est.* Τὸ δικαιολογικὸν, ἡ δικαιολογικὴ στάσις, cujus vocabuli varias significationes vide apud Quintil. p. 174, not. 311. Cave autem confundas τὸ δικαιολογικὸν, *juridiciale*, cum τῷ δικανικῷ, *judiciali*. Status ille juridicialis est de re jam facta, de actione jam perpetrata, ideoque præteritum tempus spectat. Capper. —Cf. infra II, 37, 39.

2. *Æqui et iniqui natura.* Sic reponendum censuit Gulielmius ex libris omnibus Suffridi nostri, quibus respondet Pal. sec. Ceteri *æqui et recti*, quomodo antea vulgati. Grut.—Cod. Erf. dat *æqui et iniqui*, teste Schütz.

3. *Præmii, aut pœnæ.* Vulgo *aut pœnæ, aut præmii.* Delevimus primum *aut*, quod sæpe male insertum est, quum proxime sequebatur. Lambinus edidit *vel*. Ern.

4. *Negotialis est.* Τὸ πραγματικὸν, ἡ πραγματικὴ στάσις, cujus vocabuli varios exposui significatus in Quintilian. p. 174, not. 311. Status ille negotialis est de re facienda, sicque ad futurum tempus pertinet. Capper.

5. *Absoluta est.* Ἀντίληψις, vel ἀντιληπτικὴ στάσις. Lege Quint. p. 181, not. 468. Capper.

ipsa in se continet juris et injuriæ quæstionem. Assumptiva[6], quæ ipsa ex se nihil firmi dat ad recusationem; foris autem aliquid defensionis assumit. Ejus partes sunt quatuor[7], concessio, remotio criminis, relatio criminis, comparatio. Concessio est[8], quum reus non id, quod factum est, defendit, sed, ut ignoscatur[9], postulat. Hæc in duas partes dividitur, purgationem et deprecationem. Purgatio est[10], quum factum conceditur, culpa removetur. Hæc partes habet tres, imprudentiam, casum, necessitatem. Deprecatio est[11], quum et peccasse, et consulto peccasse reus se confitetur, et tamen, ut ignoscatur, postulat : quod genus perraro potest accidere. Remotio[12] criminis est, quum id crimen, quod infertur, ab se et ab[13] sua culpa, vi et potestate in alium reus removere conatur. Id dupliciter fieri poterit, si aut causa, aut factum in alium transferetur. Causa transfertur, quum aliena dicitur vi et potestate factum. Factum autem, quum alius aut debuisse, aut potuisse facere dicitur. Relatio criminis[14] est, quum ideo jure factum dicitur, quod aliquis[15] ante injuria lacessierit. Comparatio est, quum

6. *Assumptiva*. Delevimus *est* e libris scriptis, etiam Cass. Gu. Ern.— *Assumptiva*, ἀντίθεσις, vel ἀντιθετικὴ στάσις. Vide Quintil. loc. juxta citat. De *assumptiva* Tullius amplius agit infra II, 24. Wetz.

7. *Ejus partes quatuor*. De quibus resp. Her. I, 14, ubi quæ h. l. *relatio* criminis, est *translatio*.

8. *Concessio est*. Abest *est* Lallem. Olivet. *Concessio*, συγγνώμη. Alias dicitur venia et status venialis, itemque deprecatio. Vide Quintilian. p. 181, not. 468. Capper.

9. *Ignoscatur*. Lambinus addit *sibi*. Schutz.

10. *Purgatio est*. De tribus purgationis partibus resp. Her. I, 14. Wetz.

11. *Deprecatio est*. Græce συγγνώμη. Hic autem τὸ *deprecatio* non idem significat, quod cap. 10, ubi usurpatur pro depulsione, sive refutatione accusationis. Capper. — Resp. Herenn. loco citato.

12. *Remotio criminis est*. Ἡ μετάθεσις. Lege Quintil. p. 181, not. 468. Capper. — Resp. Her. I, 15.

13. *Et ab sua culp*. *Ab* pro *a* dedimus e MSS, quod h. l. melius. Ern.

14. *Relatio criminis*. Ἀντέγκλημα. Vide Quint. loco juxta citato. Capper. — Resp. Her. cap. 15, ubi est translatio criminis.

15. *Quod aliquis*. Pro *alius*, e MSS

aliud aliquod alicujus[16] factum rectum aut utile contenditur, quod ut fieret, illud, quod arguitur, dicitur esse commissum.

In quarta constitutione, quam translativam nominamus, ejus constitutionis est controversia, quum aut quem, aut quidum, aut quomodo, aut apud quos, aut quo jure, aut quo tempore agere oporteat, quæritur, aut omnino aliquid de commutatione, aut infirmatione actionis agitur. Hujus constitutionis Hermagoras inventor esse existimatur, non quo[17] non usi sint ea veteres oratores sæpe multi, sed quia non animadverterint[18] artis scriptores eam superiores[19], nec retulerint in numerum constitutionum. Post autem ab hoc inventam multi reprehenderunt, quos non tam imprudentia falli putamus (res enim perspicua est), quam invidia atque obtrectatione quadam impediri.

XII. Et constitutiones quidem, et earum partes exposuimus: exempla autem cujusque generis tunc commodius expositurì videmur, quum in unumquodque eorum argumentorum copiam dabimus. Nam argumentandi ratio dilucidior erit, quum et ad genus, et ad exemplum causæ statim poterit accommodari.

(XII.) Constitutione causæ reperta, statim[1] placet

aliis, Guelf. et Cass. edd. pr. *alius* est ab Aldo. Ernest. — *Alius* Olivet. et Lallem.

16. *Quum aliud aliquod alicujus factum rectum aut utile contenditur.* Post *aliquod* addidimus *alicujus* ex Guelf. et Cass. præter Gu. Omisit primum Aldus. Ern.

17. *Non quo.* Schützius, *non quod.* Oliv. Lallem. *non quia.*

18. *Animadverterint... retulerint.* Schützius, *animadverterunt... retulerunt.* Nulla, inquit, hic est obliquitas sententiæ quæ conjunctivum postulet. In formula *non quod ... sed quia* prius membrum, quod ut incertum aut falsum removetur, conjunctivum, alterum autem, quod affirmative enunciatur, indicativum assumit. Schutz.

19. *Artis scriptores eam superiores.* Videntur esse ab aliquo librario: certe, si absint, nihil sententiæ defuerit. Gaut.

XII. 1. *Statim placet considerare.* Hoc *statim*, ut h. l. supervacuum et

considerare, utrum causa sit simplex, an juncta[2]; et si juncta erit, utrum sit ex pluribus quæstionibus juncta, an ex aliqua comparatione. Simplex est, quæ absolutam in se continet unam quæstionem, hoc modo : « Corinthiis[3] bellum indicamus, an non ? » Conjuncta ex pluribus[4] quæstionibus, in qua plura quæruntur, hoc pacto : « Utrum Carthago diruatur, an Carthaginiensibus[5] reddatur, an eo colonia deducatur ». Ex comparatione, in qua per contentionem[6], utrum potius, aut quid potissimum sit, quæritur, ad hunc modum : « Utrum exercitus in Macedoniam contra Philippum[7] mittatur, qui sociis sit auxilio; an teneatur in Italia, ut quam maximæ contra Hannibalem copiæ sint ».

XIII. Deinde considerandum est, in ratione[1], an in scripto sit controversia. Nam scripti controversia

ex versu superiore a librariis temere repetitum Schützius expunxit.

2. *An juncta ; et si juncta.* Ita erat in Pall. omnibus et Grevenb. teste Grutero, et in Erf. Cauch. teste Schützio. At Schützius, « an conjuncta; et si conjuncta », ex Voss. 1, Leid. 3, et Victorin.

3. *Corinthiis.* Sive potius Achæis fœderatis, quorum concilii sedes Corinthus erat. Ipsum illud bellum Corintho, urbe pulcherrima, eversa, a. U. 607 est finitum. Vide Flor. II, 16.

4. *Conjuncta ex pluribus.* Cod. Erf. Duisb. Cauch. *juncta*, ut Lall. edidit.

5. *Carthaginiensibus.* Oliv. *Carthaginensibus*, citatque Vossium, Grammat. lib. I, cap. 43 : *Carthaginensis* in prosa dicendum ut ἀναλογία evincit. Aldus tamen obtendit Prisciani, Lapidum et Pandectarum auctoritatem; sed decepit sic scribentes Ennii auctoritas, cujus est : « Hostem qui feriet, mihi erit Carthaginiensis » : nec cogitarunt sic Ennium scribere coactum metri causa, quod non recepit *Carthaginensis*.

6. *Contentionem.* Gallice interpretandum opinor *discussion*, non autem ut vult Wetzelius, *comparaison*.

7. *Contra Philippum.* Regem Macedoniæ per ann. U. 533-76, qui anno jam 537 cum Hannibale fœdus per legatos iniit contra Rom. quos ann. 540 bello petiit. Wetz.

XIII. 1. *In ratione, an in scripto sit controversia.* Olivet. *an in ratione.* Alludit hic Tullius ad celeberrimam veterum rhetorum divisionem, qua oratoriarum quæstionum status dividuntur in *rationales* τοὺς λογικούς, et *legales*, τοὺς νομικούς. De his fuse Quintilianus agit, lib. III, cap. 5, et ipse Cicero, de Inv. lib. II, cap. 12 et 15. Capper. — Vide Herennium, lib. I, cap. 11.

est ea, quæ ex scriptionis genere nascitur. Ejus autem genera, quæ sunt separata[2] a constitutionibus, quinque sunt. Nam quum[3] verba ipsa videntur cum sententia scriptoris dissidere, tum inter se duæ leges, aut plures discrepare, tum id, quod scriptum est, duas aut plures res significare[4]; tum ex eo, quod scriptum est, aliud quoque, quod non scriptum est, inveniri; tum vis verbi, quasi in definitiva constitutione, in quo posita sit, quæri. Quare primum genus, de scripto et sententia; secundum, ex contrariis legibus; tertium, ambiguum; quartum, ratiocinativum[5]; quintum, definitivum nominamus. Ratio autem est[6], quum omnis quæstio non in scriptione, sed in aliqua argumentatione consistit.

(XIII.) At tum[7] considerato genere causæ, et cognita constitutione, quum, simplexne, an conjuncta sit, intellexeris, et scripti, an rationis habeat controversiam, videris; deinceps erit videndum, quæ quæstio, quæ ratio, quæ judicatio, quod firmamentum causæ sit: quæ omnia a constitutione proficiscantur oportet. Quæstio[8] est ea, quæ ex conflictione causarum gignitur controversia, hoc modo[9]: « Non jure fecisti ». —

2. *Sunt separata*. Schützius cum Lambino *separata sunt*, ut concinnius. Sed vulgata vera est.

3. *Nam quum*. Schütz. cum Lall. *nam tum* e cod. Duisb. ed. Lambin. et al.

4. *Significare*. Schütz. cum Lamb. addit *videtur*, ut lucidior fiat constructio.

5. *Ratiocinativum*. Laudat h. l. Quintil. Inst. Orat. V, 10, 6. Scu.

6. *Ratio autem est*. Schützius cum Lamb. *ratio est autem*, ut concinnius.

7. *At tum ..... quum, simplexne*. Oudend. transponit *tum* et *quum*; sed sic *quum* plane ineptum foret. Credo scribendum esse *at quum*, et alterum *quum* delendum, quod inculcatum est, quum e *quum* factum esset *tum*. Ern. — Schütz. quod suadebat Ernesti edidit, fretus cod. Duisb.

8. *Quæstio*. Conf. Quintil. III, 11, nostr. in partition.

9. *Hoc modo : Non jure fecisti. — Jure feci*. Hæc verba Schützius transposuit post illa : « in qua constitutio constat », quia illud exemplum ad *conflictionis causarum* definitionem, non ad *quæstionis* pertinere arbitratur, ex iis quæ proxime sequuntur.

« Jure feci ». Causarum autem hæc est conflictio[10], in qua constitutio[11] constat. Ex ea igitur nascitur controversia, quam quæstionem dicimus, hoc modo : « Jurene fecerit ». Ratio est[12], quæ continet causam, quæ si sublata sit, nihil in causa controversiæ relinquetur[13], hoc modo, ut docendi causa in facili et pervulgato exemplo consistamus : Orestes si accusetur matricidii, nisi hoc dicat, « Jure feci ; illa enim patrem meum occiderat » : non habet defensionem. Qua sublata[14], omnis quoque controversia sublata sit. Ergo ejus causæ ratio est, « Quod illa Agamemnonem occiderit ». Judicatio est[15], quæ ex infirmatione et confirmatione rationis nascitur controversia. Nam sit ea nobis exposita ratio, quam paullo ante exposuimus. « Illa enim, inquit, patrem meum[16] occiderat ». —

10. *Causarum hæc est conflictio.* Resp. c. 8.

11. *Constitutio.* Cf. Her. I, 16.

12. *Ratio est.* Delevimus *ea* post *est*, quod verbum additum est ex imitatione prioris : *quæstio est ea ;* ubi refertur ad *controversia.* Sed hic nihil est, quocum jungatur. Abest ab edd. primis. Primum reperi apud Aldum. Ern. — Quem Schützius sequutus est. — *Ratio.* Αἰτία vel αἴτιον ex parte τοῦ rei secundum Ciceronem, aut etiam ex parte Actoris vel Accusatoris secundum alios, de quibus Quintilian. lib. III, cap. 2. Vide et p. 206, num. 3 et 5. Capper.

13. *Relinquetur.* Schütz. *relinquatur* e cod. Erf. Duisb. Cauch.

14. *Qua sublata... sit.* MSS quidam apud Græv. *quare*, uno verbo ; quod probat Oudendorp. At edd. pr. divise : *qua re.* Aldus fecit *qua*, melius *qua re*, id est, defensione. Sed mihi totum hoc insititium videtur et e superioribus factum. Satis est, *non habet defensionem*, quo satis intelligitur nullam controversiam sublatam esse. Ernest. — Schützius omnino hæc verba delevit.

15. *Judicatio est, quæ ex infirmatione et confirmatione rationis nascitur controversia.* Schütz. dat : « Judicatio est, quæ ex ratione et infirmatione nascitur controversia », suadente Jo. Chr. Theoph. Ernestio in Lexico Techn. Latinorum Rhet. v. *judicatio*, ubi vide quæ de h. l. disserit. — *Judicatio.* Τὸ κρινόμενον, hoc est, idipsum de quo judices ferunt, aut saltem ferre debeant sententiam. Capper. — Ceterum conferendus est Quintil. III, 11, 9-12, ubi hunc Ciceronis locum tractat. Sch. — Vide etiam Herennium, lib. I, cap. 16.

16. *Patrem meum.* Addidi *meum*, quod et supra additur, quia alias incertum esset cujus pater intelligeretur. Sic et MSS etiam Cass. et edd. pr. usque ad Aldum. Sic etiam volebat Grævius ; restituerat jam Lambinus,

« At non, inquit adversarius, abs te filio matrem necari oportuit. Potuit enim sine tuo scelere illius factum puniri ».

XIV. Ex hac deductione rationis illa summa nascitur controversia [1], quam judicationem appellamus. Ea est hujusmodi : « Rectumne fuerit, ab Oreste matrem occidi, quum illa Orestis patrem occidisset ».

Firmamentum est [2], firmissima argumentatio defensoris, et appositissima [3] ad judicationem : ut si velit Orestes dicere, « ejusmodi animum matris suæ [4] fuisse in patrem suum, in se ipsum ac sorores, in regnum, in famam generis et familiæ, ut ab ea pœnas liberi sui potissimum petere debuerint». Et in ceteris quidem constitutionibus ad hunc modum judicationes reperiuntur : in conjecturali autem constitutione, quia ratio non est (factum enim non conceditur), non potest ex deductione rationis nasci judicatio. Quare necesse est eamdem esse quæstionem et judicationem : ut, « Factum est [5] ». — « Non est factum ». — « Factumne sit? » Quot autem in causa constitutiones, aut earum partes erunt, totidem necesse erit quæstiones, rationes, judicationes, firmamenta reperiri.

sed eum non sequuti sunt alii. Ern. — Quem Schütz. sequutus est.

XIV. 1. *Illa summa nascitur controversia.* Schützius dat *controversiæ.* Ita, inquit, scribendum esse vidit Ernesti, cujus tamen rationem non probamus : putabat enim hic verba arithmetica esse *deductio* et *summa.* Quod fieri non potest, quia *summa* non detractione, sed additione conficitur.

2. *Firmamentum est.* Quod alias vocatur *continens*, τὸ συνέχον : hoc ex parte τοῦ rei desumit Tullius; quumque ex parte actoris desumat Herennianus rhetor, lib. I, cap. 16, inde colligit Capperonn. eos non esse Ciceronis libros.

3. *Appositissima.* Hoc recepit Ern. e MS Guelf. Gruterus vidit in Pal. sec. et Grev. e manu princ. Schützius in textum intulit.

4. *Matris suæ.* Schütz. *matri suæ* cum Vict. et cod. Erf.

5. *Ut, Factum est. — Non est factum.* Schütz. delet *ut*, e cod. Erf. Duisb. *Non est factum* pro *factum non est* voluere Græv. et Oudendorp. e MSS suis, et in hac forma *non* solet primo loco poni : ut supra *jure feci, non jure fecisti.* Sic et Gu. uter-

(XIV.) His omnibus in causa repertis, tum[6] denique singulæ partes totius causæ considerandæ sunt. Nam non ut quidque dicendum primum, ita primum animadvertendum videtur : ideo quod illa, quæ prima dicuntur, si vehementer velis congruere et cohærere cum causa, ex eis[7] ducas oportet, quæ post dicenda sunt. Quare quum judicatio, et ea, quæ ad judicationem oportet inveniri argumenta[8], diligenter erunt artificio reperta, cura et cogitatione pertractata; tum denique ordinandæ sunt ceteræ partes orationis[9]. Hæ partes sex esse omnino nobis videntur : exordium[10], narratio[11], partitio[12], confirmatio[13], reprehensio[14], conclusio[15]. Nunc quoniam exordium princeps omnium esse debet, nos quoque primum in rationem exordiendi[16] præcepta dabimus.

XV. (XV.) Exordium est oratio animum auditoris idonee comparans ad reliquam dictionem[1] : quod eveniet, si eum benivolum, attentum, docilem fecerit[2]. Quare

que, nisi quod in uno est tantum *non est*. Ern.

6. *Tum denique*, pro *tunc*, per se clarum est, et sic MSS et edd. vett. consensu. Ern.

7. *Ex eis*. Sch. *ex his*, e cod. Erf.

8. *Inveniri argumenta*. Schützius, « argumenta inveniri », e cod. Erf. quasi ordine verborum concinniore.

9. *Orationis*. Inventionis. Herenn. I, 3, 1.

10. *Exordium*. Προοίμιον : de quo Quintil. IV, 1; Cic. de Orat. II, 19.

11. *Narratio*. Διήγησις, de qua Quintil. IV, 2. Capp.

12. *Partitio*. Διαίρεσις, vel διαμερισμός. De qua idem lib. IV, cap. 5. Capp. — Herennio est divisio.

13. *Confirmatio*. Κατασκευή : de qua idem lib. V, cap. 1-13. Capp.

14. *Reprehensio*. Alias dicitur confirmatio et refutatio, ἀνασκευή, de qua idem lib. V, a cap. 13 ad libri finem. Capp.—Herennio confutatio.

15. *Conclusio*. Alias vocatur *peroratio*, ἐπίλογος : de qua idem lib. VI, cap. 1. Capp.

16. *In rationem exordiendi*, pro *in ratione*, ut MS Gronov. et Cass. idque latinitas et consuetudo Ciceronis in hac forma requirit, ut cap. 9, 12. Et notatur hæc lectio jam in margine Lambinianæ secundæ. Ern.

XV. 1. *Ad reliquam dictionem*. Τὸ *dictio* quandoque totam significat orationem. Sic Tullius de clar. Orat. cap. 74 : « Malim mihi L. Crassi unam pro M. Curio dictionem, quam castellanos triumphos duos ». Et de Orat. I, cap. 34. Capp.

2. *Benivolum, attentum, docilem fecerit*. In editionibus omnibus confe-

qui bene exordiri causam volet, eum necesse est genus suæ causæ diligenter ante cognoscere. Genera causarum sunt quinque[3], honestum, admirabile, humile, anceps, obscurum[4]. Honestum causæ genus est, cui statim sine oratione nostra auditoris favet animus; admirabile, a quo alienatus est animus eorum, qui audituri sunt[5]; humile, quod negligitur ab auditore, et non magnopere attendendum videtur; anceps, in quo aut judicatio dubia est, aut causa, et honestatis, et turpitudinis particeps, ut et benivolentiam pariat, et offensionem; obscurum, in quo aut tardi auditores sunt, aut difficilioribus ad cognoscendum negotiis causa implicita est[6]. Quare quoniam tam diversa sunt genera causarum, exordiri quoque dispari ratione in unoquoque genere necesse est. Igitur exordium in duas partes dividitur, in principium et insinuationem[7]. Principium est oratio, perspicue et protinus perficiens[8] auditorem benivolum, aut docilem, aut attentum. Insinuatio est oratio quadam dissimulatione et circuitione obscure[9] subiens auditoris animum.

In admirabili genere causæ, si non omnino infesti

cerit, quod non erat cur Oudendorp. probaret. Sch.

3. *Genera causarum sunt quinque*. Vide Herenn. I, 3.

4. *Honestum*, *admirabile*, *humile*, *anceps*, *obscurum*. Ἔνδοξον, παράδοξον, ἄδοξον, ἀμφίδοξον, δυσπαρακολούθητον. Capp.

5. *Qui audituri sunt*. Ridiculum hic legitur in MSS Ox. ω, 1, glossema: « ut in passere vendito et empto ». Sch.

6. *Implicita est*. Schütz. dat *implicata* cum Victorino et MSS Voss. et Cass. quod Oudend. et Ernest. probaverant.

7. *In principium et insinuationem*. Sic et Herenn. Rhetor. lib. I, cap. 6. Vide Quintil. pag. 48, not. 153. Capper.

8. *Perficiens*. Schütz. dat *efficiens*, suadente Ernestio, quia *perficiens* hoc sensu non reperitur.

9. *Obscure*. Codd. Voss. Leid. 3 et Erf. *obscura*. Sed bene defendit Ern. lectionem vulgatam: *obscure* refertur ad dissimulationem et circuitionem. *Obscure subire* est tecte et non animadvertente altero subire, quod fit dissimulando et circumeundo. Contra mox « perspicue petere ». In circuitione obscuritas per se intelligitur.

auditores erunt, principio benivolentiam comparare licebit. Sin erunt vehementer abalienati, confugere necesse erit ad insinuationem. Nam ab iratis si perspicue pax et benivolentia petitur; non modo ea non invenitur, sed augetur atque inflammatur odium[10]. In humili autem genere causæ, contemptionis tollendæ causa, necesse erit attentum efficere auditorem. Anceps genus causæ, si dubiam judicationem habebit, ab ipsa judicatione exordiendum est. Sin autem partem turpitudinis et partem honestatis habebit, benivolentiam captare oportebit, ut in genus honestum causa translata videatur. Quum autem erit honestum causæ genus, vel præteriri principium poterit, vel[11], si commodum fuerit, aut a narratione incipiemus, aut a lege, aut ab aliqua firmissima ratione nostræ dictionis : sin uti principio placebit[12], benivolentiæ partibus utendum est, ut id, quod est, augeatur. In obscuro[13] causæ genere, per principium dociles auditores efficere oportebit.

XVI. (XVI.) Nunc, quoniam, quas res exordio con-

10. *Sed augetur atque inflammatur odium*. MSS quidam et edd. vett. addunt *potius*, non eodem loco : ea est glossa; nam illud *non modo non*, *sed* sine *etiam* aut *potius*, non raro Veteres dixere, ut dudum notatum est a viris doctis. Ern.—Schütz. dat : « ira augetur atque inflamm. odium ». Hanc, inquit, elegantissimam lectionem ex optimo cod. Erf. jam a Grævio receptam, cur post illum editores deseruerint, et (omissa *ira*) *odium* reposuerint, haud intelligo. Nempe qui ab irato perspicue pacem et benivolentiam petit, huic odiosus et molestus est, et hoc ipso odio iram ejus inflammat potius quam restinguit.

11. *Vel, si commodum*. Schütz. « et, si commodum », ex ed. Camer. ut aptius.

12. *Sin uti principio placebit*. Vulgata, « vel si uti principio placebit »; sed alterum restabat in Pal. Habebat præterea Grev. « sin autem uti ». Gaut.

13. *In obscuro . . . oportebit*. Sch. hæc verba retraxit ante « Quum autem erit honestum », quia, inquit, Cicero primum ea genera exordii pertractat, in quibus propter aliquam causam orationi haud satis favet oratoris animus; quibus ex altera parte opponitur « honestum causæ genus ». Et sic antea in distributione hoc ordine ponebantur : admirabile genus causæ, humile, anceps, obscurum.

ficere oporteat, dictum est; reliquum est, ut ostendatur, quibus quæque res rationibus confici possit.

Benivolentia quatuor ex locis comparatur: ab nostra, ab adversariorum, ab judicum persona, ab ipsa causa[1]. Ab nostra[2], si de nostris factis et officiis sine arrogantia dicemus; si crimina illata, et aliquas minus honestas suspiciones[3] injectas diluemus; si, quæ incommoda acciderint, aut quæ instent difficultates, proferemus; si prece, et obsecratione humili, ac supplici utemur. Ab adversariorum autem, si eos aut in odium, aut in invidiam, aut in contemptionem adducemus. In odium adducentur, si quod eorum spurce, superbe, crudeliter, malitiose factum proferetur[4]. In invidiam, si vis eorum, potentia, divitiæ, cognatio, pecuniæ proferentur, atque eorum usus arrogans et intolerabilis; ut his rebus magis videantur, quam causæ suæ confidere. In contemptionem adducentur, si eorum inertia, negligentia, ignavia, desidiosum studium, et luxuriosum otium proferetur. Ab auditorum persona[5] benivolentia captabitur, si res ab his fortiter, sapienter, mansuete gestæ proferentur, ut ne qua assentatio nimia significetur; et si, de his quam

XVI. 1. *Ab ipsa causa*. Legebatur antea *ab ipsa re*, sed præter Pall. in quorum secundo alterum exstabat: nam pr. et tert. *ab causa*, sine pronomine, quod tamen in editione Victorii. Grut. — Habet Her. « a rebus ipsis ».

2. *Ab nostra*. Schütz. addit *persona*, quod in loco simili ponitur ad Herenn. I, 5. Nempe quia post illa « ab nostra...judicum persona » interjicitur « ab ipsa causa », hic repetendum est *persona*. Sch.

3. *Honestas suspiciones*. In cod. Erf. est *suspicationes*, unde Grævius *suspectationes* (a *suspecto*) legendum putavit. Sch.

4. *Malitiose factum proferetur*. Grevenb. *ostendatur*, placuitque Gulielmio: sed stant pro vulgata Pall. tres. Grut.

5. *Ab auditorum persona*. Græv. e MSS duobus recepit *judicum*, probatque Oudend. Id etsi melius respondet verbo quod est in partitione, tamen quia et in libris ad Herennium sic *auditores* reperi, non ausus sum id imitari, quamquam nihil alias refert utrum legas. Sic mox « ad eos, qui audiunt », ubi pariter *judices* in-

honesta existimatio, quantaque eorum judicii et auctoritatis exspectatio sit, ostendetur. Ab ipsis[6] rebus, si nostram causam laudando extollemus, adversariorum causam per contemptionem deprimemus.

Attentos autem faciemus[7], si demonstrabimus, ea quæ dicturi erimus[8], magna, nova, incredibilia esse, aut ad omnes, aut ad eos, qui audiunt[9], aut ad aliquos illustres homines, aut ad deos immortales, aut ad summam rempublicam[10] pertinere; et si pollicebimur, nos brevi nostram causam demonstraturos, atque exponemus judicationem, aut judicationes, si plures erunt.

Dociles auditores faciemus[11], si aperte et breviter summam causæ exponemus; hoc est, in quo consistat controversia. Nam et quum docilem[12] velis facere, simul attentum facias oportet; nam is maxime docilis est, qui attentissime est paratus audire.

XVII. (XVII.) Nunc insinuationes quemadmodum tractari conveniat, deinceps dicendum videtur. Insinuatione[1] igitur utendum est, quum admirabile genus causæ est, hoc est, ut ante diximus, quum animus

telligendi : item cap. 17, init. sic est *auditor*. Ern.

6. *Ab ipsis rebus*. Lallem. « ab rebus ipsis ». Idem infra « causam nostram » pro « nostram causam ».

7. *Attentos autem faciemus*. Schütz. addit *auditores*, quod, inquit, in novo divisionis membro haud satis apte poterat omitti : sic ad Herenn. I, 4, « dociles auditores . . . benivolos auditores ». Quem locum confer.

8. *Dicturi erimus*. « Dicturi sumus » cod. Duisb. et Voss. Sch.

9. *Qui audiunt*. Schütz. cum Lallem. *audient* præbuit, ut aptius h. l. codicis Erf. aliorumque MSS, auctoritate motus.

10. *Aut ad deos immortales, aut ad summam rempublicam pertinere*. Sic ediderat Lamb. pro vulgato « summæ reipublicæ », ductus latinitatis exquisitæ scientia : et sic laudat Victorinus. Ego, quia sic clare MSS Cass. recepi. Ern.

11. *Dociles auditores faciemus*. Cf. Herenn. I, 4.

12. *Nam et quum docilem*. Schütz. dat « nam quem docilem », quia vulgatum non bene coit cum antecedentibus *dociles auditores*. — Concinnius quidem, sed non necessario correctum cum Wetzelio putamus.

XVII. 1. *Insinuatione*. Cf. Herenn. I, 6.

auditoris infestus est[2]. Id autem tribus ex causis fit maxime; si aut inest in ipsa causa quædam turpitudo, aut ab iis, qui ante dixerunt[3], jam quiddam auditori persuasum videtur, aut eo tempore locus dicendi datur, quum jam illi, quos audire oportet, defessi sunt audiendo. Nam ex hac quoque re non minus, quam ex primis duabus, in oratore[4] nonnumquam animus auditoris offenditur.

Si causæ turpitudo contrahet offensionem; aut pro eo homine, in quo offenditur, alium hominem, qui diligitur, interponi oportet; aut pro re, in qua offenditur, aliam rem, quæ probatur; aut pro re hominem, aut pro homine rem, ut ab eo, quod odit, ad id, quod diligit, auditoris animus traducatur; et dissimulare id te defensurum, quod existimeris defensurus; deinde, quum jam mitior factus erit auditor, ingredi pedetentim in defensionem, et dicere, ea, quæ indignentur[5] adversarii, tibi quoque indigna videri; deinde[6] [quum lenieris eum, qui audiet], demonstrare, nihil eorum ad te pertinere, et negare te quidquam de adversariis

2. *Infestus est.* Lambinus malebat *infensus*, seu *offensus est.* Sch.

3. *Ab iis, qui ante dixerunt.* Nempe ab accusatoribus.

4. *In oratore.* Hoc cum Grævio recepi pro « in oratione », quod nec satis aptum est sensu. Illud MSS plures Grævii habebant; unus Gronov. et sic reperi etiam in MSS, Gu. 1, edit. Junt. Ceteræ edd. vett. etiam Ald. *in oratorem*, uti quidam MSS, in his Gu. 2. Illa constructio est Ciceroniana, et statim in sequentibus aliquoties occurrit. Ern. — *In oratorem* dant Voss. 1, 2, Leid. 2, et ed. Omnib. teste Schützio, at nostram lectionem defendunt cod. Voss. c. Schol. Leid. 1, 3.

5. *Indignentur adversarii, tibi q. indigna videri.* Sic latinitas postulat, non *indignantur*, ut est in vulgatis, et sic MSS Græv. et Oudend. Gu. 1; item edd. pr. Primus *indignantur* dedit Aldus, quem ceteri et in hoc male sequuti sunt. Ern.

6. *Deinde [quum lenieris eum, qui audiet], demonstrare, nihil eorum ad te pertinere*, etc. Schütz. verba « quum lenieris eum qui audiet », ut spuria ejecit: quæ, inquit, nec agnoscit Victorinus, et jam Lambinus recte delevit: nihil enim afferunt præter frigidam sententiæ, « quum jam mitior factus erit auditor », repetitionem. Ernest. quoque uncis includendo damnavit.

esse dicturum, neque hoc, neque illud : ut neque aperte lædas eos, qui diliguntur, et tamen id obscure faciens, quoad possis, alienes ab eis auditorum voluntatem; et aliquorum judicium simili de re, aut auctoritatem proferre imitatione dignam; deinde[7] eamdem, aut consimilem, aut majorem, aut minorem agi rem in præsentia[8] demonstrare.

Sin oratio adversariorum fidem videbitur auditoribus fecisse[9], id quod[10] ei, qui intelligit, quibus rebus fides fiat, facile erit cognitu : oportet aut de eo, quod adversarii sibi firmissimum putarint, et maxime ii, qui audierint[11], probarint, primum te dicturum polliceri; aut ab adversarii dicto exordiri, et ab eo potissimum, quod ille nuperrime dixerit; aut dubitatione uti[12], quid primum dicas, aut cui potissimum loco respondeas, cum admiratione[13]. Nam auditor quum eum, quem adversarii perturbatum putant oratione[14], videt animo firmissimo[15] contra dicere paratum, plerumque se potius temere assensisse, quam illum sine causa confidere arbitratur.

Sin auditoris studium defatigatio[16] abalienavit a

7. *Deinde eamdem.* Lallem. « deinde aut eamdem ».

8. *In præsentia.* Schützius cum Grævio e cod. Erf. et Duisb. « in præsenti ».

9. *Sin oratio adversariorum fidem videbitur auditoribus fecisse.* Conf. Herenn. I, 6.

10. *Id quod ei.* Addidi *id*, ut Lambinus fecit, et Græv. qui in uno MS sic reperit; et hunc ducunt reliqui, etiam Cass. Gu. 1, qui habent *idque.* Clare *id quod* habent edd. Mediol. 1498, Junt. Primus Aldus dedit nude *quod.* Ern. Lallem. *idque.*

11. *Qui audierint.* Schütz. e cod. Cauch. et Leid. 3, « qui audient ».

12. *Dubitatione uti.* Dicere te dubitare, nescire. Wetz.

13. *Cum admiratione.* Admirantem, quo tandem modo istiusmodi crimina contra te proferri potuerint : quo sensu Xenoph. Mem. I, 1, πολλάκις ἐθαύμασα.

14. *Perturbatum putant oratione.* Man. « perturbatum putat oratione ». Lamb. « perturbatum putant sua or. » Oliv. — Schütz. dat cum Lallem. *putat*, ex auctoritate Ursini; a quo hanc inventam esse lect. in MS dicit.

15. *Firmissimo. Fortissimo* Oliv. Lallem. non bene.

16. *Sin auditoris studium defatigatio.* Cf. Herenn. I, 6.

causa, te brevius, quam paratus fueris, esse dicturum, commodum est polliceri; non imitaturum adversarium. Sin res dabit, non inutile est ab aliqua re nova aut ridicula incipere, aut ex tempore quæ nata sit; quod genus, strepitum, acclamationem[17]; aut jam parata[18], quæ vel apologum, vel fabulam, vel aliquam contineat irrisionem; aut, si rei dignitas adimet jocandi facultatem, aliquid triste, novum, horribile, statim non incommodum est injicere. Nam ut cibi satietas et fastidium aut subamara aliqua re relevatur, aut dulci mitigatur; sic animus defessus audiendo, aut admiratione integratur, aut risu novatur[19].

XVIII. (XVIII.) Ac separatim quidem, quæ de principio et insinuatione[1] dicenda videbantur, hæc fere sunt. Nunc quiddam breviter et communiter[2] de utroque præcipiendum videtur.

Exordium sententiarum et gravitatis plurimum debet habere, et omnino omnia, quæ pertinent ad dignitatem, in se continere, propterea quod id optime faciendum est, quod oratorem auditori maxime commendet[3] : splendoris, et festivitatis, et concinnitudi-

17. *Quod genus, strepitum, acclamationem.* Schütz. cum Oliv. « quod genus, strepitu, acclamatione ». Ita, inquit, scribendum esse vidit Lambin. et sic est in cod. Voss. c. Schol. *Quod genus* enim est i. q. οἷον, ut sæpe; ergo ablativi necessario requiruntur. In libro Ursini erat « strepitum acclamationem dicemus ». Verum hoc *dicemus* debetur grammatico, qui accusativos istos non poterat concoquere. In cod. Cauch. vestigia sunt veræ lectionis : « strepitus, acclamatione »; sed quia punctis notatur ultima syllaba vocis *acclamatione*, librarius forsan invenit « strepitus, acclamatio ». Sch. — Gulielmius malebat ex Grev. *exclamationem*.

18. *Aut jam parata.* Idem Gulielmius præferebat ex Grevenb. « aut jam peracta ». Grut.

19. *Aut risu novatur.* Sic codd. Græv. et edd. primæ usque ad Ald. qui primus edidit *renovatur*. Illud hic aptius et exquisitius. Ern.

XVIII. 1. *Et insinuatione.* Schütz. *et de insinuatione.*

2. *Breviter et communiter.* Schütz. *brevi communiter*, e cod. Erf. et Cauch. Grævio probante.

3. *Commendet.* Sic esse debet, non *commendat*, quia præcedit *faciendum*

nis minimum, propterea quod ex his suspicio quædam apparationis atque artificiosæ diligentiæ nascitur; quæ maxime orationi fidem, oratori adimit auctoritatem.

Vitia vero hæc sunt certissima exordiorum[4], quæ summopere vitare oportebit : vulgare, commune, commutabile, longum, separatum, translatum, contra præcepta. Vulgare est[5], quod in plures causas potest accommodari, ut convenire videatur. Commune est[6], quod nihilo minus in hanc, quam in contrariam partem causæ, potest convenire. Commutabile est, quod ab adversario potest, leviter mutatum, ex contraria parte dici. Longum est, quod pluribus verbis, aut sententiis, ultra quam satis est, producitur. Separatum est, quod non ex ipsa causa ductum est, nec, sicut aliquod membrum, annexum orationi. Translatum est, quod aliud conficit, quam causæ genus postulat : ut si quis docilem faciat auditorem, quum benivolentiam causa desiderat[7]; aut, si principio utatur, quum insinuationem res postulat. Contra præcepta est, quod nihil eorum efficit, quorum causa de exordiis præcepta traduntur : hoc est, quod eum, qui audit, neque benivolum, neque attentum, neque

est : et sic MSS Voss. Leid. quamquam in hoc *commodet*. Ernest. — Contra Schützius contendit conjunctivo hic locum non esse, scribitque *commendat* cum Lallem.

4. *Vitia hæc sunt...exordiorum.* Cf. Her. I, 7.

5. *Vulgare est*. Hic sexies *est* repetitur. In MS Cass. quatuor abest : in aliis MSS, modo diversis locis : unde suspicor etiam ceteris locis abesse debere, ut supra jam dixi. Interpunctio vitiosa, quod nempe post unamquamque definitionem punctum scriptum fuit, has repetitiones peperisse videtur ut alia vitia. Ern. — Vide Herenn. I, 7.

6. *Commune est.* Schütz. ibi delet *est*, sicut post *commutabile*, *longum*, *separatum ;* idem facit Lallem. Vide Herenn. I, 7, ibid. de *commutabili* et ceteris.

7. *Desiderat... postulat.* Cod. Erf. et Cauch. *desideret... postulet*. Sic et MSS Oudend. et Victorin. Sed indicativum cum Ernestio servavimus, quia *quum* h. l. habet significationem temporis et loci. Sch.

docilem efficit; aut, quo profecto nihil[8] pejus est, ut contra sit, facit. Ac de exordio quidem satis dictum est.

XIX. (XIX.) Narratio[1] est rerum gestarum, aut ut gestarum, expositio. Narrationum tria sunt genera: unum genus est, in quo ipsa causa, et omnis ratio controversiæ continetur; alterum, in quo digressio aliqua extra causam aut criminationis, aut similitudinis, aut delectationis non alienæ ab eo negotio, quo de agitur, aut amplificationis causa, interponitur; tertium genus est remotum a civilibus causis, quod delectationis causa, non inutili cum exercitatione, dicitur et scribitur. Ejus partes sunt duæ, quarum altera in negotiis, altera in personis maxime versatur. Ea, quæ in negotiorum expositione posita est, tres habet partes, fabulam, historiam, argumentum. Fabula[2] est, in qua nec veræ, nec verisimiles res continentur; cujusmodi est:

> Angues[3] ingentes alites, juncti jugo.

Historia[4] est gesta res, ab ætatis nostræ memoria remota[5], quod genus: « Appius indixit Carthaginiensibus bellum ». Argumentum est ficta res, quæ tamen fieri potuit. Hujusmodi apud Terentium:

> Nam is postquam[6] excessit ex ephebis, Sosia.

8. *Profecto nihil*. *Nihil profecto* cod. Voss. c. Schol. Voss. 1, Leid. 1, 3. Sch. — Multo quidem melius.

XIX. 1. *Narratio*. Quam iisdem verbis definit auctor ad Herenn. I, 3, qui de hac exponit cap. 8, 9.

2. *Fabula est*, etc. Respice ad Herenn. I, 8.

3. *Angues... jugo*. Hunc versiculum Nascimbenius ex Ennii Medea depromptum putabat, ac de curru Medeæ anguibus alatis vecto intelligendum. Sch.

4. *Historia*. Cf. Her. I, 8.

5. *Ab ætatis nostræ memoria remota*. Lambinus: « memoria propter vetustatem remota ». Scilicet metuenda erat, ne remota esset propter novitatem! nihil ineptius tali adsutamento, sine librorum auctoritate. Grut.

6. *Nam is postquam*. Terent. Andr. I, 1, 24.

Illa autem narratio, quæ versatur in personis, ejusmodi est, ut in ea simul cum rebus ipsis personarum sermones et animi perspici possint, hoc modo:

> Venit ad me [7] sæpe clamitans, Quid agis, Mitio?
> Cur perdis adolescentem nobis? cur amat?
> Cur potat? cur tu his rebus sumptum suggeris?
> Vestitu nimio indulges, nimium ineptus es.
> Nimium ipse durus est [8] præter æquumque et bonum.

Hoc in genere narrationis multa inesse debet festivitas[9], confecta ex rerum varietate, animorum dissimilitudine, gravitate, lenitate[10], spe, metu, suspicione, desiderio, dissimulatione, errore, misericordia, fortunæ commutatione, insperato incommodo, subita lætitia, jucundo exitu rerum. Verum hæc ex his, quæ postea de elocutione præcipientur, ornamenta sumentur. (xx.) Nunc de narratione ea, quæ causæ continet expositionem, dicendum videtur.

XX. Oportet igitur eam tres habere res: ut brevis, ut aperta, ut probabilis sit[1]. Brevis erit, si, unde necesse est, inde initium sumetur, et non ab ultimo

7. *Venit ad me.* E Terent. Adelph. I, 1, 35-39, ubi Mitio secum ipse colloquens, de fratre, cujus filium habebat ipse cælebs, loquitur. Wetz.

8. *Nimium ipse durus est.* Oudend. malit e MSS suis (quibus Cass. Gu. consentiunt, nisi quod unus uterque *es durus* habet) *ipse est durus*, ut fuit etiam in MS vetere Terentii, ediditque h. l. Lambinus. Et sic versus dimensio facilior est. Sed etiam elisio potest esse in *durus*, ut cum *est* coeat, ut bene monuit ad Terentium Bentleius, cujus libri etiam in lectione vulgata consentiunt. Ern.— Cui Schütz. assentitur.

9. *Hoc in genere narrationis multa inesse debet festivitas.* Cf. Her. I, 8.

10. *Lenitate.* Schütz. dat *levitate*, propter oppositum *gravitate*, et ita est in libris ad Herenn. I, 8. Monet tamen Wetzelius ferri posse *lenitas*, si intellexeris *animi gravitas*, quum sit apud Aristotelem, II, 17: βαρύτης ἐστὶν ἡ σεμνότης μαλακὴ, καὶ εὐσχήμων βαρύτης.

XX. 1. *Ut brevis, ut aperta, ut probabilis sit.* Cf. Herenn. I, 9, ubi est brevis, dilucida, verisimilis. Wetz. — Monet J. V. *Leclerc* hic præsertim conferendum utrumque librum, quum non præcepta tantum consentiant, sed et voces et locutiones pleramque eædem occurrant.

repetetur[2], et si cujus rei satis erit summam dixisse, ejus partes non dicentur[3] (nam sæpe satis est, quod factum sit[4], dicere; non ut enarres[5], quemadmodum sit factum); et si non longius, quam quod scitu opus est[6], in narrando procedetur; et si nullam in rem aliam transibitur; et si ita dicetur, ut nonnumquam ex eo, quod dictum sit, id, quod dictum non sit, intelligatur; et si non modo id, quod obest, verum etiam id, quod nec obest, nec adjuvat, præteribitur; et si semel unumquodque[7] dicetur; et si non ab eo, in quo proxime desitum erit, deinceps incipietur. Ac multos imitatio brevitatis decipit[8], ut, quum se breves putent esse, longissimi sint: quum dent operam, ut res multas breviter dicant, non ut omnino paucas res dicant[9], et non plures, quam necesse sit. Nam plerisque breviter dicere videtur, qui ita dicit: « Accessi ad ædes, puerum evocavi; respondit; quæsivi dominum; domi negavit esse ». Hic, tametsi tot res brevius non potuit dicere, tamen, quia satis fuit dixisse,

2. *Et non ab ultimo repetetur.* Idem præcipit Horatius : « Nec gemino bellum Trojanum orditur ab ovo ». Cave itaque, quod hic ultimum vocat Tullius, extremum interpreteris : immo primum est. Quo sensu de primo Latini regis progenitore Saturno apud Virgil. dicitur Æneid. VII, 49 : « tu sanguinis ultimus auctor ». Paustrus.

3. *Cujus rei satis erit summam dixisse, ejus partes non dicentur.* Hoc est Her. I, 9, summatim, particulatim narrare. Wetz.

4. *Quod factum sit. Quid factum sit* Ern. Sch.

5. *Non ut enarres.* Olivet. *ut non enarres.*

6. *Quam quod scitu opus est.* Edd. veteres delent *quod*, variantque etiam MSS. Lambinus corrigebat *quoad*; sed id *quod* significare h. l. dixerim, ut aliis locis pluribus. Itaque nihil mutavi. Ern. — At Schütz. se *quoad* malle declarat.

7. *Semel unumquodque.* Pro vulgato *unumquidque*; quod vel sine libris correxerim. Sed illud habent et MSS plures et edd. vett. magno consensu : contra quos Lambinus *unumquidque* dedit. Ern.

8. *Imitatio brevitatis decipit*, etc. Schützius cum Lallem. *imitatio decipit brevitatis.*

9. *Non ut omnino paucas res dicant.* Fabr. et Grev. hæc ignorant : conspiciuntur tamen in Pall. absque quibus omnino item exterminassem. Grut.

« domi negavit esse [10] », fit rerum multitudine longus. Quare hoc quoque in genere vitanda est brevitatis imitatio, et non minus rerum non necessariarum, quam verborum multitudine supersedendum est.

Aperta autem narratio [11] poterit esse, si, ut quidque primum gestum erit, ita primum exponetur, et rerum ac temporum ordo servabitur, ut ita narrentur, ut gestæ res erunt, aut ut potuisse geri videbuntur. Hic considerandum erit, ne quid perturbate, ne quid contorte dicatur, ne quam in aliam rem transeatur, ne ab ultimo repetatur, ne ad extremum prodeatur, ne quid, quod ad rem pertineat, prætereatur; et omnino, quæ præcepta de brevitate sunt, hoc quoque in genere sunt conservanda. Nam sæpe res parum est intellecta longitudine magis, quam obscuritate narrationis. Ac verbis quoque dilucidis utendum est : quo de genere dicendum est in præceptis elocutionis [12].

XXI. Probabilis erit narratio, si in ea videbuntur inesse ea, quæ solent apparere in veritate; si personarum dignitates servabuntur [1]; si causæ factorum exstabunt; si fuisse facultates faciundi videbuntur; si tempus idoneum; si spatii satis; si locus opportunus

10. *Quia satis fuit dixisse : domi negavit esse.* Hæc verba Schütz. delet. Quomodo, inquit, qui istam, qua de agitur, narratiunculam brevius enuntiare vellet, his tribus verbis *domi negavit esse* defungi potuisset? Certe sic saltem, ut brevissime dicendum erat : « a janua quæsivi dominum : puer domi negavit esse ». Itaque ineptum illud glossema ejeci.

11. *Aperta autem narratio poterit esse, si, ut quidque*, etc. Conf. Orat. II, 80, et Quintil. IV, 2, ubi quæ sit narratio aperta et dilucida, et narrationis genus lucidum et planum exponit. De ceteris verbis resp. notas ad Her. I, 9. Wetz.

12. *Dicendum est in præceptis elocutionis.* Quæ pars operis desideratur; nec fortasse umquam exstitit, licet aliter sentiat Spalding. ad Quintilian. III, 3, 6. Quæ hic pollicetur auctor suppleri possunt ex c. 6 Partitionum oratoriarum. J. V. L.

XXI. 1. *Personarum dignitates servabuntur.* Si id narratur quod sit una-

ad eamdem rem [2], qua de re narrabitur, fuisse ostendetur; si res et ad eorum, qui agent, naturam, et ad vulgi morem [3], et ad eorum, qui audient [4], opinionem accommodabitur. Ac veri quidem similis ex his rationibus esse poterit.

(XXI.) Illud autem præterea considerare oportebit, ne aut, quum obsit narratio, aut quum nihil prosit, tamen interponatur [5]; aut non loco, aut non, quemadmodum causa postulat, narretur. Obest tum, quum ipsius rei gestæ expositio magnam excipit offensionem [6], quam argumentando, et causam agendo leniri oportebit. Quod quum acciderit, membratim oportebit partes rei gestæ dispergere in causam, et ad unamquamque confestim rationem accommodare, ut vulneri præsto medicamentum sit, et odium statim defensio mitiget. Nihil prodest narratio tunc, quum aut ab adversariis [7] re exposita, nostrá nihil interest, iterum aut alio modo [8] narrare; aut quum ab iis, qui

quaque persona dignum, quod cum cetera ejus vita conveniat.

2. *Ad eamdem rem.* Schütz. cum Lamb. *ad eam rem.*

3. *Ad vulgi morem.* Sic Lambinus edidit pro *rumorem:* in MS Erf. repertum recepit Grævius, consentitque Victorinus, et MS Gu. 2 manus secunda supra adscripsit *ru.* Et sequutus sum cum aliqua hæsitatione, quod etiam vulgata sensum commodum habet, præsertim quum de factis sermo sit, et de vulgo, cujus sermonibus utique se accommodabant in dicendo oratores: sed sustulit scrupulum, quod magistri artis in probabilitate hæc conjungunt, *naturam*, *morem* et *opinionem*, ut ad Herenn. I, 9. Ern. — Quem Schütz. sequutus est.

4. *Audient.* Sic edidi e MSS Gu. et edd. pr. ut similis saltem esset oratio: *qui agent*, *qui audient.* Si quis tamen malit *audiunt*, idem faciat *agunt*, ut dedit Aldus. Ern. — Aldum Lallem. sequutus est.

5. *Tamen interponatur.* Ita MSS Gron. Gu. Cass. probantibus Grævio et Ernestio. Vulgo *tunc interponatur.* Sch.

6. *Excipit offensionem.* Purgoldus emendandum censet *excitat offensionem.* Sed tamen dicitur « habere offensionem, accipere offensiunculam »; quidni igitur *excipere* dicatur. Sch. — Est etiam supra c. 17, *contrahere offensionem.*

7. *Aut ab adversariis. Aut* addidi e MSS aliis Gu. 1, Cass. et edd. pr. usque ad Aldum: consentitque formulæ in his Ciceronianæ. Ern.

8. *Iterum aut alio modo. Iterum eodem modo* cod. Erf. Sch.

audiunt, ita tenetur negotium, ut nostra nihil intersit eos alio pacto docere. Quod quum acciderit, omnino narratione supersedendum est. Non loco dicitur, quum non in ea parte orationis collocatur, in qua res postulat: quo de genere agemus tum, quum de dispositione dicemus[9]; nam hoc ad dispositionem pertinet. Non quemadmodum causa postulat, narratur, quum aut id, quod adversario prodest, dilucide et ornate exponitur, aut id, quod ipsum[10] adjuvat, obscure dicitur et negligenter. Quare, ut hoc vitium vitetur, omnia torquenda sunt ad commodum suæ causæ, contraria, quæ præteriri poterunt, prætereundo; quæ illius erunt[11], leviter attingendo, sua diligenter et enodate narrando. Ac de narratione quidem satis dictum videtur; deinceps ad partitionem transeamus.

XXII. (XXII.) Recte habita in causa partitio[1] illustrem et perspicuam totam efficit orationem. Ejus partes duæ sunt, quarum utraque magnopere ad aperiendam causam, et ad constituendam pertinet controversiam. Una pars est, quæ, quid cum adversariis conveniat, et quid in controversia relinquatur, ostendit: ex qua certum quiddam designatur auditori, in quo animum

9. *Quum de dispositione dicemus.* Quæ pars operis non exstat. Vide ad Her. III, 9.

10. *Quod ipsum adj. Ipsum*, scilic. oratorem. Sch. — Lamb. *ipsam*. Lall. *seipsum*.

11. *Quæ illius erunt.* Scil. adversarii. At ea ipsa jam dicebantur contraria. Jam quomodo recte dicatur: «contraria, quæ præteriri poterunt, prætereundo, eademque contraria leviter attingendo?» Itaque mihi persuasi Ciceronem scribere debuisse: «Quare, ut hoc vitium vitetur, omnia torquenda sunt ad commodum suæ causæ, contraria, quæ præteriri poterunt, prætereundo, quæ minus poterunt, leviter attingendo, sua diligenter et enodate narrando». Sic *sua* opponuntur *contrariis*, et *contraria* vel omnino præteriri, vel, si minus id fieri potuerit, leviter attingi oportere, docetur. Sch.

XXII. 1. *Recte hab. in c. partitio.* Her. I, 10, ubi est divisio. Quintil. III, 9; IV, 2.

debeat habere occupatum. Altera est, in qua rerum earum, de quibus erimus dicturi, breviter expositio ponitur distributa : ex qua conficitur, ut certas animo res teneat auditor, quibus dictis intelligat, fore peroratum. Nunc utroque genere partitionis quemadmodum conveniat uti, breviter dicendum videtur.

Quæ partitio, quid conveniat, aut quid non conveniat, ostendit; hæc debet illud, quod convenit, inclinare ad suæ causæ commodum, hoc modo : « Interfectam matrem esse a filio, convenit mihi cum adversariis». Item contra : « Interfectum esse a Clytæmnestra Agamemnonem, convenit ». Nam hic uterque et id posuit, quod conveniebat, et tamen suæ causæ commodo consuluit. Deinde, quid controversiæ sit, ponendum est in judicationis expositione [2] : quæ quemadmodum inveniretur, ante dictum est.

Quæ autem partitio rerum distributam continet expositionem [3], hæc habere debet brevitatem, absolutionem, paucitatem. Brevitas est, quum, nisi necessarium, nullum assumitur verbum. Hæc in hoc genere idcirco utilis est, quod rebus ipsis, et partibus causæ, non verbis, neque extraneis ornamentis animus auditoris tenendus est. Absolutio est, per quam omnia, quæ incidunt in causam, genera, de quibus dicendum est, amplectimur [4]. In qua partitione vi-

2. *Deinde, quid controversiæ sit, ponendum est in judicationis expositione.* Ponendum, id est, exponendum. De judicatione quid sit et quomodo inveniatur resp. c. 13 et 14.

3. *Rerum distributam continet expositionem.* Sic edd. inde ab Aldo. Priores habent *distributarum*, quod Grævius e MS uno Erf. recepit, probatque Oudend. cujus MSS eamdem lectionem habent; quum alii, in his Cass. Gu. 1, *distributam* exhibeant. Gu. 2 habet *distributarum*, sed a m. sec. Ego vulgatum servavi. Grævius quærit quid sit *expositio distributa?* Serum erat id h. l. quærere, non supra hoc ipso capite, ubi est : « earum rerum breviter expositio ponitur distributa ». Est autem expositio causæ per distributionem facta. Ern. — Cui Schütz. assentitur.

4. *Amplectimur. In qua partitione*

dendum est, ne aut aliquod genus utile relinquatur, aut sero[5] extra partitionem, id quod vitiosissimum ac turpissimum est, inferatur. Paucitas in partitione servatur, si genera ipsa rerum ponuntur, neque permixte cum partibus implicantur. Nam genus est, quod plures partes amplectitur, ut animal. Pars est, quæ subest generi, ut equus. Sed sæpe eadem res alii genus, alii pars est. Nam homo[6], animalis pars est; Thebani aut Trojani, genus.

XXIII. Hæc ideo[1] diligentius inducitur præscriptio, ut aperte intellecta generali partitione, paucitas generum in partitione servari possit. Nam qui ita partitur, « Ostendam, propter cupiditatem, et audaciam, et avaritiam adversariorum, omnia incommoda ad rempublicam pervenisse »; is non intellexit, in partitione, exposito genere, partem se generis admiscuisse. Nam genus est, omnium nimirum libidinum, cupiditas; ejus autem generis sine dubio pars est avaritia.

Hoc igitur vitandum est, ne[2], cujus genus posue-

vid. Schütz. emendat : « amplectimur partitione. In quo vid. » Quia, inquit, non de genere partitionis, sed de virtute quadam partitionis agitur.

5. *Aut sero extra.* Adverbium *postea*, quod Grævius e cod. Erf. inseruerat, recte ejecit Ernesti. Ejus enim vis jam in *sero* latet. Scn.

6. *Nam homo, animalis pars est; Thebani aut Trojani, genus.* Schütz. dat : « Nam homo, animali pars est; Thebanis aut Trojanis, genus ». In Leid. 1, inquit, legitur *animali pars*; et quia statim præcedit « sed sæpe eadem res *alii* genus, *alii* pars est », hic quoque aptior est dativus.

XXIII. 1. *Hæc... præscriptio, u. a. i. generali partitione.* Schutzius dat : « hæc ideo d. i. descriptio, u. a. i. generali præscriptione ». Vix credibile est, inquit, *generali partitione* pro *generum partitione* Ciceronem scripsisse. Præterea in cod. Erf. et ed. Omnib. legitur « diligentius inducitur descriptio »; et noster cod. Leid. habet « generali præscriptione ». Itaque ad horum codd. auctoritates lectionem constituimus; quæ sane commodum sensum præbet sic, ut Cicero dicat : hanc partium ad genus relationem ideo diligentius descripsimus, ut, aperte intellecta regula generali, quam scilicet exemplis istis illustravimus, paucitas generum in partitione servari possit. Scn.

2. *Ne, cujus genus posueris, ejus secum aliquam, sicut diversam ac dissimilem, partem ponas in eadem*

ris, ejus secum aliquam, sicut diversam ac dissimilem, partem ponas in eadem partitione. Quod si quod in genus[3] plures incident partes, id quum in prima partitione causæ erit simpliciter expositum, distribuetur eo tempore commodissime, quum ad ipsum ventum erit explicandum in causæ dictione post partitionem. Atque illud quoque pertinet ad paucitatem, ne aut plura, quam satis est, demonstraturos nos dicamus, hoc modo : « Ostendam, adversarios, quod arguimus, et potuisse facere, et voluisse, et fecisse »; nam fecisse ostendere satis est[4] : aut, quum in causa partitio nulla sit, et quum quiddam simplex[5] agatur, tamen utamur distributione : id quod perraro potest accidere.

(XXIII.) Ac sunt alia quoque præcepta partitionum, quæ ad hunc usum[6] oratorium non tantopere per-

partitione. Sic libri fere omnes, præter MSS Gronovii qui habebant : « ejus, sicut aliquam diversam ac diss. partem », quam lect. ipse et Græv. et Oudend. probant. Consentiunt MSS Guelf. In MS Cass. deest *sicuti*. Ern. — Lallem. sequutus est Græv. et Oud. probatam lectionem : at Schützius sic h. l. a Becichemo emendatum protulit : « ne, quum genus posueris, ejus speciem aliquam, sicuti diversam ac dissimilem partem, ponas in eadem partitione ». Nec egemus, inquit Purgoldi conjectura, quamvis per se haud inepta, « ne, cujus genus posueris, ejus, secundum id, aliquam, etc. » Ceterum comparandus est locus Quintil. Inst. Orat. IV, 5.

3. *Quod si quod in genus... partitionem.* Hujus loci sensus facile hoc exemplo illustrabitur. Fac oratorem aliquem sic partitum esse : « ostendam, propter cupiditatem et audaciam adversariorum omnia incommoda ad remp. pervenisse ». Hic genus *cupiditatem* in partitione simpliciter exposuit. Sed in cupiditatem plures incidunt partes, ut « ambitio, avaritia, luxuria ». Has partes, sive species, non vult Cicero statim in prima partitione commemorari; sed genus illud, *cupiditatem*, tum, quum in causæ dictione ad illud ventum sit explicandum, in tres illas partes, s. species, distribuendum censet. Sch.

4. *Nam fecisse ostendere satis est.* « Nam fecisse satis est ostendere » cod. Erf.

5. *Et quum quiddam simplex.* Sch. cum Lallem. « et quum simplex quiddam », et cod. Cauch. Quidam insuper *quum* omittunt.

6. *Præcepta partitionum, quæ ad hunc usum oratorium*, etc. Hic in una comprehensione quinquies est pronomen relativum : quod sane offendit aures : in loco secundo suspicatus sum esse scribendum *sed*. Ern. — Quo

tineant[7]; quæ versantur in philosophia: ex[8] quibus hæc ipsa transtulimus, quæ convenire videbantur; quorum nihil in ceteris artibus[9] inveniebamus.

Atque his de partitione præceptis, in omni dictione meminisse oportebit, ut et prima quæque pars, ut exposita est in partitione, sic ordine transigatur, et omnibus explicatis, peroratum sit; hoc modo[10], ut ne quid posterius præter conclusionem inferatur. Partitur apud Terentium breviter et commode senex in Andria, quæ cognoscere libertum velit:

> Eo pacto[11], et gnati vitam, et consilium meum
> Cognosces, et quid facere in hac re te velim.

Itaque quemadmodum in partitione proposuit, ita narrat, primum gnati vitam:

> Nam is postquam excessit ex ephebis, Sosia,
> Liberius vivendi fuit potestas[12].

Deinde suum consilium:

> Et nunc id operam do.

Deinde[13] quid Sosiam velit facere, id quod po-

monente, Schütz. *sed* pro *quæ* dedit ante *versatur*.

7. *Pertineant.* Ern. e MS Guelf. Contra Sch. cum Lallem. *pertinent.*

8. *Ex quibus.* Schütz. *de qua.* Vulgata *ex quibus*, inquit, propterea est abjicienda, quod Cicero dixisse haud potest, se ex aliis præceptis partitionum, quæ non pertinerent ad usum oratorium, ea transtulisse quæ convenire viderentur oratorum usui. Itaque *de qua*, quod habet Victorinus, reposui, quod refertur ad philosophiam.

9. *In ceteris artibus.* In ceteris libris de arte rhetorica scriptis.

10. *Hoc modo, ut ne...inferatur. Partitur.* Lambinus præfixit *hoc modo* sequenti periodo: « ne quid...inferatur. Hoc modo partitur ». Lambinum Schützius sequutus est.

11. *Eo pacto*, etc. Terent. Andr. I, 1, 22.

12. *Liberius vivendi fuit potestas.* Gruterus hunc versiculum auctoritate Pal. et Rob. Steph. non admisit: idem fecit Schütz. auctoritate cod. Erf. item octo Oxon. exemplariique Man. neque vero, adjicit, ad sententiam opus est. Cicero tantum initium singularum partium a Simone in Andria Terentii tractatarum designat, cui consilio unus versiculus, vel adeo dimidius sufficiebat.

13. *Deinde*, pro *post hæc*, e MSS et edd. pr. usque ad Aldum. Ern.

stremum posuit in partitione, postremum dicit :

Nunc tuum est officium.

Quemadmodum igitur hic et ad primam quamque partem primum accessit, et, omnibus absolutis, finem dicendi fecit, sic nobis placet, et ad singulas partes accedere, et, omnibus absolutis, perorare. Nunc de confirmatione deinceps, ita ut ordo ipse postulat, præcipiendum videtur.

XXIV. (XXIV.) Confirmatio[1] est, per quam argumentando nostræ causæ fidem, et auctoritatem, et firmamentum adjungit oratio. Hujus partis certa sunt præcepta, quæ in singula causarum genera dividentur. Verumtamen non incommodum videtur, quamdam silvam, atque materiam universam ante permixtam et confusam exponere omnium argumentationum; post autem tradere, quemadmodum unumquodque genus causæ, omnibus hinc argumentandi rationibus tractis, confirmare[2] oporteat.

(XXV.) Omnes res argumentando confirmantur, aut ex eo, quod personis, aut ex eo, quod negotiis est attributum. Ac personis[3] has res attributas putamus, nomen, naturam, victum, fortunam, habitum, affectionem, studia, consilia, facta, casus, orationes. Nomen est, quod unicuique personæ attribuitur[4], quo

XXIV. 1. *Confirmatio.* Cap. 24-41. Conf. Herenn. I, 10-17, ubi agitur de hac et confutatione. Multo latius igitur de his Noster exposuit, quum de hac posteriore, quam *reprehensionem* dicit, deinde amplius agat cap. 42-51. Rem tamen ipsam, argumentationem ille persequitur libri secundi cap. 2-31. — *Confirmatio* est auctori ad Herenn. I, 3, « argumentorum nostrorum expositio cum asseveratione ». Wetz.

2. *Confirmare.* Lallem. *confirmari.*

3. *Ac personis.* « Ac personis quidem » Schütz. cum Lambino.

4. *Personæ attribuitur, quo... appelletur.* *Attribuitur* ex editionibus pr. (sic et Gu. 2) reposui pro *datur*, quod ab Aldo est, quamquam et in scriptis reperitur. *Attribuitur* est elegantius et h. l. aptius. MS Cass. Gu. 1, cum aliis habet *tribuitur*, quod eodem redit. Sed mox contra libros edidi *appelletur* : nam *quo* hoc loco est utique pro

suo quæque proprio et certo vocabulo appelletur. Naturam ipsam definire difficile est : partes autem ejus enumerare eas, quarum indigemus ad hanc præceptionem, facilius est.

Hæ autem partim divino, partim mortali in genere versantur. Mortalium autem pars in hominum, pars in bestiarum genere numeratur. Atque hominum genus et in sexu consideratur, virile an muliebre sit; et in natione, patria, cognatione, ætate. Natione, Graius an Barbarus; patria, Atheniensis an Lacedæmonius; cognatione, quibus majoribus, quibus consanguineis; ætate [5], puer an adolescens, natu grandior an senex. Præterea commoda et incommoda considerantur ab natura data animo aut corpori, hoc modo [6] : valens an imbecillus; longus an brevis; formosus an deformis; velox an tardus sit; acutus an hebetior; memor an obliviosus; comis, officiosus [7], pudens [8], patiens,

ut : miror hoc non vidisse alios. Ern. — Schützius Ernestio assentitur, additque : Lambinus sic totam sententiam extulit : « Nomen est certum et proprium uniuscujusque personæ vocabulum, quo quæque appellatur ». Verba « quod unicuique personæ attribuitur » spuria visa sunt Purgoldo : sed facile se tuentur, si cogites sequentibus verbis causam designari cur nomina propria inventa sint.

5. *Ætate*. Tres sunt apud Aristotelem ætates, Rhet. II, 12, 34 : νεότης, ἀκμὴ, γῆρας ; quarum prima pertinet ad tricesimum annum, altera ad quinquagesimum, ubi tertia incipit. Conf. Horat. epist. ad Pis. ubi sunt ætates pueri, juvenis, viri, senis. Wetz.

6. *Animo aut corpori, hoc modo.* Lambinus dedit : « animo aut corpori. Corpori, hoc modo »; et deinde : « Velox an tardus sit : animo, acutus an hebetior ». Potuit sane Cicero ita scribere; sed absque codicum auctoritate nihil opus erat ista interponere. Nam facile lector ipse tacite hæc ex antecedentibus repetit.

7. *Comis, officiosus, pudens.* Sch. « comis, facetus, pudens ». In uno cod. Gron. inquit, « comis, officiosus, facetus, pudens ». Cod. Oxon. unus : « comis, officiosus, an infacetus, prudens » : alter : « comis, officiosus, facetus an infacetus, prudens ». Sed *officiosus* quum sit is, in quo est liberalis gratificandi voluntas, nemo potest natura sua officiosus dici. Itaque vocabulum h. l. intrusum puto a glossatore qui vellet antecedens *comis* explicare. Sch.

8. *Pudens.* Hæc lectio alteri *prudens* præferenda. *Pudor* enim naturalis esse potest. Prudentia semper disciplina et usu acquiritur. Ern.

an contra. Et omnino, quæ a natura data animo et corpori considerabuntur [9], in natura consideranda sunt. Nam quæ industria comparantur, ad habitum pertinent, de quo posterius dicendum est.

XXV. In victu considerare oportet, apud quos [1], et quo more, et cujus arbitratu sit educatus, quos habuerit artium liberalium magistros, quos vivendi præceptores, quibus amicis utatur, quo in negotio, quæstu, artificio sit occupatus, quo modo rem familiarem administret, qua consuetudine domestica sit [2].

In fortuna quæritur, servus sit, an liber; pecuniosus, an tenuis; privatus, an cum potestate; si cum potestate [3], jure an injuria; felix, clarus, an contra; quales liberos habeat. Ac si de non vivo quæretur, etiam quali morte sit affectus, erit considerandum.

Habitum autem [4] appellamus, animi aut corporis

9. *Considerabuntur* ut spurium uncis inclusi, quia et ab omnibus edd. ante Aldum abest, et per sensum nullo modo stare potest. MSS Cass. Gu. in fine omittunt *sunt*. Locus ita corrigendus videtur : « quæ a natura, animo et corpore data sunt, in natura consideranda », i. e. in ea parte, quæ ad naturam pertinet. Ern. — Schütz. Ernestio obtemperavit, nisi quod pro « data sunt » « dantur » e codd. Leid. 1, 2 præbuit.

XXV. 1. *Apud quos*. Lallem. *apud quem*, ut opinor, male.

2. *Qua consuetudine domestica sit*. Interpretatur Wetzelius : « quibuscum vivere consuetus sit domi ». Sed latina locutio plura complectitur. Nec tantum quibuscum, sed et quo modo solitus sit vivere domi, significat, et quem se gerat quum in servos tum in uxorem et liberos.

3. *Si cum potestate*. Hæc absunt a cod. Voss. 2. Minime autem abesse debent. Fortasse autem cum copula verius legeretur : « et si cum potestate ». Sch.

4. *Habitum autem . . . industriaque partam*. Schützius dat : « Habitum autem...constantem et usu absolutam »; et infra, « ut virtutem »; postremoque, « et industria partam ». In vulgata, inquit, habitus definitio hoc vitio laborat, quod, contra Ciceronis mentem, quævis perfectio dicatur *habitus*, quem ille tantum *naturæ* opponere volebat. Itaque ante *absolutam* inseruimus *usu*, quod Victorinus in cod. suo legit. Sic *usu absolutum* habitum distinguit ab iis qui a natura dantur; *constantem* autem eum discernit ab affectionibus ex tempore natis. Denique pro vulgato *virtutis* rescripsimus *virtutem*, quod et Victorinus in cod. suo legit. Ceterum *et industria* habent MSS Oudendorp. et

constantem et absolutam aliqua in re perfectionem[5]; ut virtutis, aut artis perceptionem alicujus, aut quamvis scientiam; et item corporis aliquam commoditatem, non natura datam, sed studio industriaque partam.

Affectio[6] est, animi aut corporis ex tempore, aliqua de causa, commutatio, ut lætitia, cupiditas, metus, molestia, morbus, debilitas, et alia, quæ genere in eodem reperiuntur. Studium est[7] animi assidua et vehemens ad aliquam rem applicata magna cum voluntate occupatio, ut philosophiæ[8], poeticæ, geometriæ, literarum. Consilium est aliquid faciendi, aut non faciendi [vere[9]] excogitata ratio. Facta autem, et casus, et orationes tribus ex temporibus considerabuntur[10]: quid fecerit, aut quid ipsi acciderit, aut quid dixerit; aut quid faciat, quid ipsi accidat, quid dicat; aut quid facturus sit, quid ipsi casurum sit,

Omnib. quam lectionem sequuti sunt Olivet. et Lallem. Sch.

5. *Perfectionem*. Quo sensu vox illa accipienda sit parum apertum est: non id esse crediderim quod gallice eodem vocabulo dicimus, *la perfection*, ut sit in aliquo homine ea quæ deorum tantum esse potest plenitudo virtutis atque doctrinæ; sed perfectionis nomine intelligendus utriusque aliquis usus jam in constantissimam consuetudinem versus quæ labefactari non possit, et eo tantum sensu sit, absoluta, perfecta, consummata alicujus rei perceptio. Melius tamen Aristoteles, qui non virtutes tantum et commoditates inter habitus retulit, sed ἕξεις ait se vocare ἀρετὰς καὶ κακίας, Rhet. II, 12. Conf. infra, II, 9.

6. *Affectio est*. De qua vide inf. lib. II, cap. 9.

7. *Studium est*. Sic legendum vidit Oudend. e Leid. 1, 2, Voss. 1. Vulgo *autem* inserebatur. Sch.

8. *Philosophiæ, poeticæ... literarum*. Lambinus dedit: « ut ad philosophiam, poeticam, g. literas »: sed præstant genitivi ad voc. *studium* relati. Sch. — *Poeticæ* dedi a MSS Gu. Cass. et vestigiis aliorum librorum scr. et edd. qui habent *poetriæ*. Ern. — Lallem. *poetices*.

9. *Aut non faciendi* [*vere*]. *Vere* Ernest. ut spurium uncis inclusit. Schütz. deleto *vere* dedit « non faciendive ». Hanc, inquit, lectionem quam præbent Alcuin. de Arte rhetorica, pag. 370 edit. Pith. et auctor Excerptorum de locis Rhetor. pag. 276, jam Oudendorpius probavit: nec Ernest. repugnat. Et Cic. de Invent. II, 9, ubi hæc definitio repetitur, item habet « non faciendive ». Sch.

10. *Tribus ex temporibus considerabuntur*. Conf. Herenn. II, 5.

qua sit usurus oratione. Ac personis quidem hæc videntur esse attributa.

XXVI. (xxvi.) Negotiis autem quæ sunt attributa, partim sunt continentia [1] cum ipso negotio, partim in gestione negotii considerantur, partim adjuncta negotio sunt, partim gestum negotium consequuntur. Continentia cum ipso negotio sunt ea, quæ semper affixa esse videntur ad rem, neque ab ea possunt separari. Ex his prima est brevis complexio totius negotii, quæ summam continet facti, hoc modo: Parentis occisio [2], patriæ proditio [3]; deinde causa ejus [4] summæ, per quam, et quamobrem, et cujus rei causa factum sit, quæritur; deinde ante rem gestam quæ facta sunt, continenter usque ad ipsum negotium; deinde, in ipso gerendo negotio quid actum sit; deinde, quid postea factum sit.

In gestione autem negotii, qui locus secundus [5] erat de iis, quæ negotiis attributa sunt, quæritur [6] locus, tempus, occasio, modus, facultates [7]. Locus consideratur, in quo res gesta sit, ex opportunitate, quam videatur habuisse ad negotium administrandum. Ea autem opportunitas quæritur ex magnitudine, inter-

XXVI. 1. *Continentia*. Sensu neutro : quæ continentur cum ipso negotio, rei affixa, ab ea non separabilia. Wetz.

2. *Parentis occisio*. Cujus causæ exemplum habes in oratione pro Roscio Amerino.

3. *Patriæ proditio*. De quo crimine agitur in oratione pro Rabirio.

4. *Causa ejus summæ, per quam, et quamob. et c. rei causa factum sit*. Ne quis hic aliquid superfluum putet, notandum est, vocabulis *per quam*, designari *causam efficientem;* particula « quamobrem causam impulsivam », et verbis « cujus rei causa factum sit, causam finalem ». Sch.

5. *Qui locus secundus erat*. Id est, qui locus secundus est, ut modo dixi.

6. *Quæritur*, pro vulg. *quæretur*. Illud habent edd. vett. consensu; etiam scr. apud Oudendorp. et Cass. Gu. 1, 2, et contextus requirit; nam et cetera sunt in hoc tempore. Ern.

7. *Facultates*. Ita, non, ut olim, *facultas* legendum esse docuit Oud. auctoritate codd. Leidd. Victorin. et ed. Omnib. Et sic ipse Cicero sub fine, cap. 26. Sch.

vallo, longinquitate, propinquitate, solitudine, celebritate, natura ipsius loci, et vicinitate totius regionis; ex his etiam attributionibus : sacer an profanus, publicus an privatus, alienus an ipsius, de quo agitur, locus sit an fuerit[8].

Tempus est[9], id quo nunc utimur (nam ipsum[10] quidem generaliter definire difficile est), pars quædam æternitatis, cum alicujus annui, menstrui[11], diurni, nocturnive spatii certa significatione. In hoc et[12] quæ præterierint, considerantur; et eorum ipsorum, quæ propter vetustatem obsoleverint, ut incredibilia videantur[13], et jam in fabularum numerum repo-

8. *An fuerit.* Schütz. « aut fuerit » e codd. Leid. 3 et Voss. 2 prætulit, quia post illas quæstiones, sacer an profanus, publicus an privatus, quæstio de tempore præsenti aut præterito secundaria tantum erat, non in eodem ordine quo illæ, ponenda.

9. *Tempus est.* Alii, « tempus autem est ».

10. *Ipsum.* Id est, per se spectatum, notione vocabuli abstrusa et metaphysica. Sch.

11. *Menstrui, diurni.* MSS plures *mensurni*, ut et Priscianus citat. Favent edd. primæ « mensura diurni » usque ad Aldum, a quo vulgatum est. In MSS Cass. additur *vespertini*. Ern. — *Mensurni* Pal. pr. a manu sec. item Grev. et duo antiquissimi quos excussit Suffridus, teste Grutero, item Leid. 1, 2, Voss. 2, teste Schützio, qui hanc lect. sequutus est.

12. *In hoc et quæ ..... et eorum ipsorum.* Hæc paullo impeditiora sunt, ut aliquis hærere possit. Est igitur partitio in præterita, præsentia et futura. Præterita porro sunt, et quæ propter vetustatem incredibilia facta sunt, et quæ pariter valde remota sunt, sed tamen certa, denique quæ nuper evenerunt. Hæc tria igitur pendent a verbis « et eorum ipsorum, quæ... obsoleverint... et quæ jam diu ... faciant fidem, vere... et quæ nuper... possint ». Quum sic præteritum tempus auctor explicuerit, transit ad præsens « et item quæ instent », scil. considerantur : deinde mentio de futuro est : « et quæ consequantur ». Ceterum *præterierint* scripsi et *obsoleverint*, vel ob hanc causam ne modi verborum discrepent (nam in ceteris membris sunt meri conjunctivi), quod Cicero dicit esse vitium latinitatis maximum. Et *præterierint* habent quidam libri, ut Guelf. uterque; item *obsoluerint* apud Oud. qui et probat. Sic edidit de judicio suo Lambinus, sed nemo eum audiit. Ern. — Schützius contra sibi magis placere indicativos declarat, quia nulla hic est obliquitas sententiæ, et cum Lallem. scribit « præterierunt, obsoluerunt ».

13. *Ut incredibilia videantur.* Auctor Excerptorum de locis Rhet. « aut incredibilia videantur », quod cur præferendum sit, causam non video. Sch.

nantur[14]; et quæ jam diu gesta, et a memoria nostra remota, tamen faciant fidem, vere tradita esse[15], quod eorum monumenta certa in literis exstent; et quæ nuper gesta sint, quæ scire plerique possint; et item quæ instent in præsentia, et quæ maxime fiant[16], et quæ consequantur. In quibus potest considerari, quid ocyus, et quid serius[17] futurum sit. Et item communiter in tempore perspiciendo longinquitas ejus est consideranda. Nam sæpe oportet commetiri cum tempore negotium, et videre, potueritne aut magnitudo negotii aut multitudo rerum in eo transigi[18] tempore. Consideratur autem tempus et anni, et mensis, et diei, et noctis, et vigiliæ, et horæ, et in aliqua parte alicujus horum[19].

XXVII. Occasio[1] est pars temporis, habens in se

14. *In fab. numerum reponantur.* Schütz. « in fab. numero repon. » e Voss. 1, Leid. 2, 3. Scio, inquit ille, quem in textu constituendo Schutz. sequutus est, *reponi in* jungi accusativo, sed tunc, quum ea res iterum ponitur eo loco, cui antea sublata erat, ut apud Livium, « in thesauros reponere », lib. XXIX, cap. 19. Sed quando pro simplici *ponere* sumitur sextus casus videtur præferendus.

15. *Tamen faciant fidem, vere tradita esse.* Credantur sic re gesta fuisse quemadmodum narrata et tradita sunt.

16. *Et quæ maxime fiant.* Scribendum puto « quum maxime », ut profertur ab auctore Excerpt. de locis Rhet. inter Rhet. Pith. p. 277. Ern.

17. *Quid ocyus, et quid s.* Schütz. copulam *et*, jam Ernestio improbatam, omisit, auctoritate cod. Leid. 3, et Excerpt. de loc. Rhet.

18. *In eo transigi tempore.* Sch. delet *tempore* auct. cod. Leid. 3.

19. *Et in aliqua parte al. horum.* Quum anni pars sit mensis, et mensis pars dies et nox, et diei et noctis partes sint vigiliæ et horæ, hæ autem partes omnes jam enumeratæ sint ab auctore; difficile est dicere cur hæc addiderit: « et in aliqua parte alicujus horum ». Itaque quum in Voss. 1 a prima manu sit *horæ*, proclivis sum ad opinandum Ciceronem scripsisse « aut alicujus partis horæ », quod Victorinus quoque legisse videtur. Sch.

XXVII. 1. *Occasio est pars temporis*, etc. Vulg. « Occasio autem est pars temporis ». Delevi *autem*, ut mox in verbis « modus autem est ». Forma Ciceronianæ orationis in ponendis definitionibus partium est, non nectere definitiones per *autem*; quod et in libris ad Herennium sic est. Ergo ubi in libris quibusdam reperi abesse, delevi etiam tacitus; quod semel monuisse sat erit, quia res est non magna. Ern. — De occasione vide ad Her. II, 4.

alicujus rei idoneam faciendi aut non faciendi opportunitatem[2]. Quare cum tempore hoc differt. Nam genere quidem utrumque idem esse intelligitur : verum in tempore spatium quodammodo declaratur, quod in annis, aut in anno, aut in aliqua anni parte spectatur; in occasione, ad spatium temporis, faciendi quædam opportunitas intelligitur adjuncta. Quare quum genere idem sit[3], fit aliud, quod parte quadam, et specie, ut diximus, differat. Hæc[4] distribuitur in tria genera, publicum, commune, singulare. Publicum est, quod civitas universa aliqua de causa frequentat; ut ludi, dies festus, bellum. Commune, quod accidit omnibus eodem fere tempore, ut messis, vindemia, calor, frigus. Singulare autem est, quod aliqua de causa privatim solet alicui accidere, ut nuptiæ, sacrificium, funus, convivium, somnus.

Modus est, in quo, quemadmodum, et quo animo factum sit, quæritur. Ejus partes sunt, prudentia et imprudentia. Prudentiæ ratio[5] quæritur ex iis, quæ clam, palam, vi, persuasione fecerit; imprudentia autem in purgationem confertur[6], cujus partes sunt

2. *Alicujus rei idoneam faciendi aut non faciendi opportunitatem.* Notanda vox *opportunitas* duplicem genitivum trahens, ut sit « opportunitas alicujus rei », simul et « opportunitas faciendi ». Nisi malis : « idoneam alicujus rei ».

3. *Quare quum genere idem sit*, etc. Quum *utrumque* genere idem sit, nempe ut dixit Cicero « pars æternitatis », fit aliud, hoc est, diversum specie, quum hinc sit pars æternitatis, cum notatione anni vel mensis, etc. quod dixit Cicero « spatium quod in annis aut in anno, aut in aliqua parte anni spectatur », inde sit pars æternitatis cum opportunitatis notatione, quod supra sic dictum est « ad spatium temporis faciendi quædam opportunitas adjuncta ». At, nisi fallor, sunt eæ non tam ejusdem generis diversæ species quam ejusdem rei diversi aspectus.

4. *Hæc.* Nempe occasio.

5. *Prudentiæ ratio.* Lallem. et alii, « prudentiæ autem ratio ». Prudentia autem complectitur ea quæ præmeditata sunt.

6. *In purgationem confertur.* De qua supra, cap. 11, et infra, II, 31, ubi easdem quas hoc loco partes fecit tres, hanc ipsam imprudentiam (h. l. inscientiam), casum, necessitudinem (h. l. necessitatem). Wetz.

inscientia, casus, necessitas, et in affectionem[7] animi, hoc est, molestiam, iracundiam, amorem, et cetera, quæ in simili genere versantur.

Facultates sunt, aut quibus facilius fit, aut sine quibus aliquid confici non potest.

XXVIII. (XXVII.) Adjunctum[1] autem negotio id intelligitur, quod majus, et quod minus[2], et quod simile erit ei negotio, quo de agitur, et quod æque magnum, et quod contrarium, et quod disparatum, et genus, et pars, et eventus. Majus et minus, et æque magnum, ex vi, et ex numero[3], et ex figura negotii, sicut ex statura corporis, consideratur.

Simile autem ex specie comparabili[4], aut ex conferenda atque assimulanda[5] natura judicatur. Contrarium est, quod positum in genere diverso, ab[6] eodem, cui contrarium esse dicitur, plurimum distat[7], ut fri-

7. *Et in a. animi.* De qua supra cap. 5.

XXVIII. 1. *Adjunctum.* Hic non eodem sensu sumendum quo dicimus *adjuncta*, gallice *les circonstances*. Hic est adjunctum quod aliquam affinitatem habet cum re, quod ad eam aliqua ex parte pertinet.

2. *Et quod minus.* Hic Schützius habet, *et quod æque magnum*, quæ verba apud nos post *quo de agitur* sita sunt : hue ea retraxit sensu, inquit, postulante, ex auctoritate MSS Ox. ω, 2.

3. *Ex vi, et ex numero*, etc. Schütz. « ex rerum et personarum vi, et numero, etc. » Verba « rerum et personar. » inseruit, quia his omissis dicit non intelligi quid sit *ex numero negotii*, et quia *rerum et pers.* Victorinus quoque legisse videtur; longumque refert ea de re Victorini commentarium.

4. *Ex specie comparabili, aut ex conferenda.* Sic legitur in codd. Oud. omnibus, apud Victorinum et in edd. vett. et apud auctorem de locis Rhet. apud Pith. pag. 277, « ex sp. comp. aut conferenda, etc. » Non erat quod Lambinus ed. Manutianam sequutus, reponeret : « ex sp. comparabili; comparabile autem ex conferenda ». Ciceronis mens enim hæc est, similitudinem vel ex specie rerum externa, vel ex interna earum natura duci. Sch.

5. *Assimulanda.* Alii *assimilanda*, quæ est scriptura recentior.

6. *Ab eodem.* Schütz. *ab eo*, e cod. Leid. 2.

7. *Plurimum distat.* Hanc lectionem edd. et codd. plurimorum confirmat auctoritas Inst. Orat. ap. Pith. p. 277. *Differt* præbent Voss. 1, 2, Leid. 1, quod cur recipiendum censuerit Oud. haud assequor. In Vossiano cod. c. Scholiast. legitur : « differt ut frigus calore, vita mors ». Sch.

gus calori, vitæ mors. Disparatum autem est id, quod ab aliqua re per oppositionem negationis separatur, hoc modo: « Sapere, et non sapere [8] ». Genus est, quod partes aliquas amplectitur, ut cupiditas. Pars est, quæ subest generi, ut amor, avaritia. Eventus est alicujus exitus negotii, in quo quæri solet, quid ex quaque re evenerit, eveniat, eventurum sit [9]. Quare hoc in genere, ut commodius, quid eventurum sit, ante animo colligi possit, quid quaque ex re soleat evenire, considerandum est, hoc modo: « Ex arrogantia odium, ex insolentia arrogantia [10] ».

Quarta autem pars est ex iis, quas negotiis [11] dicebamus esse attributas, consecutio. In hac eæ res quæruntur, quæ gestum negotium consequuntur [12]: primum, quod factum est, quo id nomine appellari conveniat; deinde, ejus facti qui sint principes et inventores, qui denique auctoritatis ejus et inventionis comprobatores atque æmuli; deinde, ecquæ ea de re,

8. *Sapere, et non sapere.* Schützius, « sapere, non sapere », e Voss. 1, Leid. 3, Victorin. ut copula languente; quod Oudend. probaverat.

9. *Eventurum sit* dedi pro « eventurumque sit »; quod sine dubio vitiosum est. Inclinavi in « eventurumve sit »: sed quia libri scripti et edd. vett. plane delent *que*, iis obedivi. Primus dedit Aldus. Ern. — Copulam omittunt cod. Voss. c, Schol. a. m. p. Voss. 1, Leid. 2, 3, ed. Omnib. Sch.

10. *Ex arrogantia odium, ex insolentia arrogantia.* Schütz. ita transposuit, « ex insolentia arrogantia, ex arrogantia odium », ut fiat κλίμαξ venustior.

11. *Quas negotiis dicebamus esse attributas.* Schützius, « quæ negotiis dicebamus esse attributa », ex edit. Omnib. et cod. Leid. 1. Vulgata, inquit, hactenus defendi potest, si cum Oudend. conjiciamus, post *ex iis* omissum esse *rebus*.

12. *Quæ gestum negotium consequuntur.* Ne quis forte putet, hæc jam supra prima parte contineri, ubi jam, « quid post negotium factum sit », quærendum esse auctor docuerat; notandum est illo loco de his rebus, quæ essent tempore cum ipso negotio conjunctæ, agi; hic autem de iis, quæ cum gesto negotio, sine respectu ad tempus, ipsa rerum natura conjuncta esse soleant, disputari. Similiter Quintil. Instit. Orat. V, 4, *consequentia*, ἀκόλουθα, a sequentibus, ἐπαγομένοις, quæ postea facta sint, aut futura, distinxit; et hunc nostrum locum recte explicuit Victorinus Sch.

aut ejus rei sit lex, consuetudo, actio, judicium, scientia, artificium; deinde, natura ejus evenire vulgo soleat, an insolenter et raro; postea, homines id sua auctoritate comprobare, an offendi[13] in his consueverint[14]; et cetera, quæ factum aliquod similiter confestim[15], aut ex intervallo solent consequi. Deinde postremo attendendum est, num quæ res ex iis rebus, quæ sunt positæ in partibus honestatis, aut utilitatis, consequantur: de quibus in deliberativo genere causæ distinctius erit dicendum. Ac negotiis quidem fere res eæ, quas commemoravimus, sunt attributæ.

XXIX. (XXVIII.) Omnis autem argumentatio, quæ ex iis locis, quos commemoravimus, sumetur, aut probabilis, aut necessaria debebit esse. Etenim, ut breviter describamus, argumentatio videtur esse inventum ex aliquo genere[1], rem aliquam aut probabiliter ostendens, aut necessarie demonstrans. Necessarie demonstrantur ea, quæ aliter ac dicuntur, nec fieri, nec probari possunt, hoc modo: « Si peperit, cum viro concubuit ». Hoc genus argumentandi, quod in necessaria demonstratione versatur, maxime tractatur in dicendo, aut per complexionem, aut per enumerationem, aut per simplicem conclusionem.

Complexio[2] est, in qua, utrum concesseris, repre-

13. *Offendi*. Habent codd. Voss. 1, Leid. 1, *offendere*, quod placet Oudendorpio, passivo nimirum sensu acceptum. SCH. — *Offendere* MSS Cass. ERN.

14. *Consueverint*. *Consuerint* MS Gu. 1, cujus in margine *consueverint*. ERNEST.

15. *Confestim, aut ex intervallo*. Schütz. *aut confestim, aut ex intervallo*, ex Leid. 1.

XXIX. 1. *Ex aliquo genere*. MS Oudend. « aliquo ex genere ». Utrum legas nihil refert. Sed ex aliquo genere significat ex aliquo genere locorum supra memoratorum, unde argumenta peti possunt. SCH.

2. *Complexio*. De qua vitiosa agit auct. ad Her. II, 29, cui cap. 10, est quinta argumentationis pars, quæ breviter concludit colligens partes argumentationis. De qua ratiocinationis parte Noster infra agit cap. 34, 39, 45. His conf. Her. II, 24. WETZ.

henditur, ad hunc modum : « Si improbus est, cur uteris? sin probus, cur accusas?»

Enumeratio[3] est, in qua, pluribus rebus expositis, et ceteris infirmatis, una reliqua necessario confirmatur, hoc pacto : « Necesse est aut inimicitiarum causa ab hoc esse occisum, aut metus, aut spei[4], aut alicujus amici gratia; aut, si horum nihil est, ab hoc non esse occisum. Nam sine causa maleficium susceptum esse non potest. Sed neque inimicitiæ fuerunt, nec metus ullus, nec spes ex morte illius alicujus commodi, neque ad amicum hujus aliquem mors illius pertinebat. Relinquitur igitur, ut ab hoc non sit occisus ».

Simplex autem conclusio[5] ex necessaria consecutione[6] conficitur, hoc modo : « Si vos me istud eo tempore fecisse dicitis, ego autem eo ipso tempore trans mare fui; relinquitur, ut id, quod dicitis, non modo non fecerim, sed ne potuerim quidem facere ». Atque hoc diligenter videre oportebit, ne quo pacto genus hoc refelli possit, ut ne confirmatio[7] modum in se argumentationis solum habeat, et quamdam similitudinem necessariæ conclusionis, verum ipsa argumentatio ex necessaria ratione consistat.

(XXIX.) Probabile autem est id, quod fere fieri solet, aut quod in opinione positum est, aut quod habet in se ad hæc quamdam similitudinem, sive id falsum est, sive verum. In eo genere, quod fere solet fieri, probabile hujusmodi est : « Si mater est, diligit filium.

3. *Enumeratio*, de qua vide c. 45. Wetz.

4. *Aut metus, aut spei*. Lallem. *aut metu, aut spe*.

5. *Conclusio*. De vario hujus vocabuli apud rhetores usu consule indicem.

6. *Consecutione*. De qua respice cap. 28.

7. *Ut ne confirmatio*. Lambinus asseverat legendum ex veteribus *ut ne infirmatio*, quod in nullo est nostrorum, neque meminerunt alii editores. Grut — Lallem. *et ne*, pro *ut ne*.

Si avarus est[8], negligit jusjurandum ». In eo autem, quod in opinione positum est, hujusmodi sunt probabilia : « Impiis apud inferos pœnas esse[9] præparatas. Eos, qui philosophiæ dent operam, non arbitrari deos esse ».

XXX. Similitudo[1] autem in contrariis et paribus, et in iis rebus, quæ sub eamdem cadunt[2] rationem, maxime spectatur. In contrariis, hoc modo : « Nam si iis, qui imprudentes læserunt, ignosci convenit, iis, qui necessario profuerunt[3], haberi gratiam non oportet ». Ex pari, sic : « Nam ut locus sine portu[4], navibus esse non potest tutus ; sic animus sine fide, stabilis amicis non potest esse ». In iis rebus, quæ sub eamdem rationem cadunt, hoc modo probabile consideratur : « Nam si Rhodiis turpe non est portorium locare, ne Hermacreonti[5] quidem turpe est conducere ». Hæc tum vera sunt, hoc pacto : « Quoniam cicatrix est, fuit

8. *Si avarus est. Est* omittit Voss. 1, idque placet Oudendorp. Si eadem esset persona, de qua priore membro dicebatur, mihi quoque placeret; ut nunc est, verbum repeti præstat. Sch.

9. *Esse præparatas.* Grev. *paratas*, sequiturque Gulielmius : alterum restat in Pall. omnibus editionibusque exoletis. Grut. — Schütz. dat *paratas* e Voss. 1, Leid. 1, 3, ut elegantius et jam Oudend. probatum.

XXX. 1. *Similitudo autem in contrariis et paribus*, etc. Ab hac quæ ducantur argumenta ostendit etiam Top. 3. Cf. Quint. V, 10, qui nostrum locum affert. Wetz.

2. *Quæ sub eamdem cadunt rationem.* I. e. quæ ex eodem principio defluunt.

3. *Qui necessario profuerunt.* I. e. non sponte et voluntate, sed coacti et necessario. De re conf. Her. IV, 66, ubi similitudo est species exornationis sententiarum.

4. *Locus sine portu.* Schütz. « locus in mari sine p. » auctore Oudend. fide cod. Voss. 1, Leid. 2, 3, Victorin. et edd. vett. Manutius et Lambinus ejecerant codd. suorum auctoritate, quibuscum faciunt Leid. 1, Voss. 2. — *In mari* Ernestio displicuerat tum prout ad sensum inutile, tum quod turbabat æqualitatem membrorum : « locus sine portu, animus sine fide ».

5. *Hermacreonti.* Hoc nomen a Cicerone scriptum esse, Quintiliani auctoritas confirmat V, 10, 78, et vana est Nascimbenii conjectura, qui legendum putat *Diomedonti*, quasi Cicero respexisset ad locum similem Arist. Rhet. II, 25 : Ὡς ὁ τελώνης Διομέδων περὶ τῶν τελῶν· εἰ γὰρ μηδ' ὑμῖν αἰσχρὸν τὸ πωλεῖν, οὐδ' ἡμῖν τὸ ὠνεῖσθαι. Sch.

vulnus»; tum verisimilia, hoc modo: «Si multus[6] erat in calceis pulvis, ex itinere eum venire oportebat».

Omne autem (ut certas quasdam in partes distribuamus) probabile[7], quod sumitur ad argumentationem, aut signum est, aut credibile, aut judicatum, aut comparabile. Signum est[8], quod sub sensum aliquem cadit, et quiddam significat, quod ex ipso profectum videtur, quod aut ante fuerit, aut in ipso negotio, aut post sit consequutum, et tamen indiget testimonii et gravioris confirmationis; ut cruor, fuga, pallor, pulvis, et quæ his sunt similia. Credibile est, quod, sine ullo teste, auditoris opinione firmatur, hoc modo: «Nemo est, qui non liberos suos incolumes et beatos esse cupiat». Judicatum[9] est, res assensione, aut auctoritate, aut judicio alicujus, aut aliquorum comprobata. Id tribus in generibus spectatur, religioso, communi, approbato. Religiosum est, quod jurati legibus judicarunt; commune est, quod omnes vulgo probarunt, et sequuti sunt, hujusmodi: ut majoribus natu assurgatur, ut supplicum[10] misereatur; approbatum[11] est, quod homines, quum dubium es-

6. *Si multus... oportebat.* Eodem exemplo utitur Quint. V, 10, 81. Sch.

7. *Omne autem... probabile.* Cujus tres modos attulit c. 29, hic habet partes quatuor. Wetz.

8. *Signum est.* Σημεῖον. De signis hæc habet Quintilian. lib. III, cap. 9, p. 279: «Eorum (nempe signorum) alia sunt quæ necessaria sunt, quæ Græci vocant τεκμήρια, alia non necessaria, quæ σημεῖα». Capper. — De signo, quod in conjecturali causarum constitutione tractat, agit Her. II, 4.

9. *Judicatum.* Her. II, 13. Id de quo sententia lata est, aut decretum interpositum; quæ sunt res judicatæ ibid. cap. 29. Brevius infra Noster definit II, 54. Adde Quint. V, 11.

10. *Ut supplicum misereatur.* Pal. prim. *simplicium.* Grev. *supplicium*, ἀρχαικῶς. Edit. prima, *supplicantium.* Grut. — *Misereatur* positum passive et impersonaliter. Quod rarum Lambinus merito dixit. Habet exemplum Terentianum Wetzelius ex Heaut. III, 1, vs. 54: «me tuarum miseritum est fortunarum».

11. *Approbatum.* De approbatione, Her. II, 6, agit in constitutione conjecturali, cujus eam sextam partem facit. Wetz.

set, quale haberi oporteret, sua constituerunt auctoritate[12]: velut Gracchi patris factum[13], quem populus romanus eo, quod insciente collega in censura nihil egisset, post censuram consulem fecit. Comparabile autem est, quod in rebus diversis similem aliquam rationem continet. Ejus partes sunt tres[14], imago, collatio, exemplum. Imago[15] est oratio demonstrans corporum[16], aut naturarum similitudinem. Collatio[17]

12. *Auctoritate.* Hic adjecit Schützius: « Velut Horatii factum a populo approbatum, quod occidit sororem, quum illa devictum Curiatium hostem doleret: velut Gracchi, etc. » Hæc verba, inquit, quæ vulgo omittuntur in edd. præter Omniboni editionem, restituimus tum cod. Pal. tum Victorini auctoritate moti, qui his verbis satis declarat, illa in suo codice a se lecta esse: « Approbatum est, inquit, quod, quum dubium esset circa qualitatem malam bonamve, ad unam partem homines inclinaverunt. Ut, inquit, quum sororem Horatius occidisset, et de facto ejus populus esset incertus, tamen absolutus est ». Nec vero quidquam est credibilius quam Ciceronem hoc loco tam illustre exemplum facti, quod dubium esset, quale haberi oporteret, a populo approbati haud prætermisisse, quo idem quoque usus est in orat. pro Milone, c. 2, et de Inv. II, c. 27. Sch.

13. *Velut Gracchi patris factum, quem p. r. eo, quod insciente collega in censura nihil egisset*, etc. Pro *eo quod* Ernest. *ob id quod* cum Lallem. Edd. vett. et Oudend. « ob id factum, quod ». Quæ verba Oud. glossema vocis *eo quod* putabat. Unus Vossianus cum Schol. « ob id factum eo, quod », unde forsan suspicari aliquis possit in « ob id factum » latere « objurgatum ». Schützius autem sic locum istum protulit: « vel, ut Gracchi patris, quem p. r. ob id reum factum, quod insciente collega in censura nonnihil egisset, etc. » Qui fieri potuit umquam, exclamat, ut p. r. dubitaret, utrum, quod censor insciente collega nihil egisset in censura, probandum an improbandum esset? Nonne potius hic opus erat exemplo facti, quod dubium esset, quale haberi oporteret? Hic Schützius Victorini auctoritate se tuetur, quem ait diserte testari se in hoc loco mentionem alicujus rei invenisse quam Gracchus censor insciente collega gesserit. « Deinde, inquit, ut Ti. Gracchus censor, *insciente* collega, quosdam e senatu movisset, et de ejus facto dubitaretur, postea tamen ejus factum populus approbavit; nam eum consulem fecit ». Gracchus autem pater primum consul fuit an. U. 575, censor cum C. Clodio Pulchro a. 583; consul iterum an. 590.

14. *Partes sunt tres.* Sic Oudend. recte legendum censuit cum MSS suis omnibus et edd. vett. Sch.

15. *Imago.* Εἰκὼν, quod quum sit ejusdem cum verbo εἴκω originis, proprie est similitudo. Wetz.

16. *Corporum.* Schützius *aut corporum*, ex edd. vett. et Oudend. MSS omnibus et Victorino.

17. *Collatio.* Παραβολὴ (παρα-βάλλω, con-fero). Quintilian. V, 11, qui exemplum hujus collationis affert ex

est oratio, rem cum re ex similitudine[18] conferens. Exemplum[19] est, quod rem auctoritate, aut casu alicujus hominis, aut negotii confirmat, aut infirmat. Horum exempla et descriptiones in præceptis elocutionis cognoscentur.

Ac fons quidem confirmationis, ut facultas tulit, apertus est, nec minus dilucide, quam rei natura ferebat, demonstratus[20] est. (XXX.) Quemadmodum autem quæque constitutio, et pars constitutionis, et omnis controversia, sive in ratione[21], sive in scripto versetur, tractari debeat, et quæ in quasque argumentationes conveniant, singillatim in secundo libro de unoquoque genere dicemus. In præsentia tantummodo numeros, et modos, et partes argumentandi confuse et permixte dispersimus; post descripte[22] et electe in genus quodque causæ, quid cuique conveniat[23], ex hac copia digeremus.

Atque inveniri quidem omnis ex his locis argumen-

Cicer. Muræn. 2. Cf. infra cap. 31. WETZ.

18. *Rem cum re ex sim. conferens.* Ne quis putet, hac definitione nullam inter *imaginem* et *collationem* differentiam intercidere, notandum est *imaginem* dici breviorem, ut in metaphora, similitudinis demonstrationem; collationem vero fusam inter duo, quæ videantur diversa, comparationem; quomodo Græci rhetores εἰκόνα a παραβολῇ discernunt, quamquam non semper eodem significatu ponuntur εἰκόνος et παραβολῆς vocabula. SCH.

19. *Exemplum*. Quintil. V, 11, et exemplum et similitudinem uno exempli nomine comprehendi vult. WETZ.

20. *Demonstratus est*. Schütz. delet *est*, quod, quia jam præcedit *apertus est*, in clausula periodi melius omittitur.

21. *Sive in ratione, sive in scripto versetur.* Cod. Voss. c. Schol. « sive in ratione, sive in scripto quæ versabatur », quod probavit Oudend. nisi quod e Voss. 1 versatur reponi vellet. Sed verum est vulgatum. SCH.

22. *Descripte.* Vulgo *discrete*. Verum *descripte* rectius opponitur τῷ *confuse*, idque legitur in cod. Voss. c. Schol. et Voss. 2, Leid. 2, 3, probante Lambino, Oudendorpio, et, quem ille laudat ad h. l. Græv. SCH. — *Descripte* fortasse melius; sed *discrete* non minus bene opponi videtur τῷ *confuse*. Aptius judicat Wetzelius.

23. *Quid cuique conveniat.* Schütz. habet « quod cuique conveniet, ex hac, etc. », et vulgatam se corrigere ait, quia nulla esse potest in sententia obliquitas.

tatio poterit : inventam exornari, et certas in partes distingui et suavissimum est, et summe necessarium, et ab artis scriptoribus maxime neglectum. Quare et de ea præceptione nobis in hoc loco dicendum visum est[24], ut ad inventionem[25] argumenti absolutio quoque argumentandi adjungeretur. Et magna cum cura et diligentia locus hic omnis considerandus est, quod non solum rei magna utilitas est, sed præcipiendi quoque summa difficultas.

XXXI. (XXXI.) Omnis igitur argumentatio[1] aut per inductionem tractanda est, aut per ratiocinationem. Inductio est oratio, quæ rebus non dubiis captat assensionem[2] ejus, quicum instituta est; quibus assen-

24. *Dicendum visum est.* Vocem *visum* omisit Gruterus auctoritate Pal. tert. non omittendam tamen, nempe quam ostendunt MSS et edd. vett. eam restituimus etiam, quia sequitur *adjungeretur*, quod post *dicendum est*, vitiosum esset. Sed videtur fuisse *dicere visum est.* Ern.

25. *Ad inventionem argumenti absolutio quoque argumentandi.* MSS quidam etiam Cass. et edd. vett. ante Aldum omittunt *argumenti* ab Aldo adjectum. Ern. — Pal. sec. « expositio quoque argumentandi adj. » Primus « argumentandi absolutio adj. » omissa voce *argumenti*. Tert. « inventionem argumentandi adj. » Grev. « argumenti absolutio adj. » Gœr. — Sch. dat : « absoluta quoque ratio arg. » Cod. Leid. 1, inquit, omisso *absolutio* habet *ratio argumentandi*, id quod Oudend. placebat. Nobis *absolutio* ex absoluta depravatum esse videtur : *absoluta ratio* bene dicitur; an æque bene *absolutio argumentandi* dicatur valde dubitamus. — Vide sup. c. 22, absolutio partitionis.

XXXI. 1. *Omnis igitur arg. aut per inductionem tractanda est, aut per ratiocinationem.* Laborant interpretes in hac voce *ratiocinationem :* alii *syllogismum*, alii *enthymema ;* alii, Quintilianum auctorem præ se ferentes, *epicherema* esse voluerunt. Equidem duco, quum hæ tres formæ vel species sint ratiocinationis, nullam earum hic adhibendam esse. Nam quum infra disputetur utrum tribus an quinque partibus constet ratiocinatio, hoc perinde valet ac si quæratur utra ratiocinationis forma sit ad quam ceteræ referri debeant, *syllogismusne* an *epicherema.* Ratiocinatio est ex aliqua re certa alius rei deductio, quæ in ea continebatur. Interpreti igitur gallice dicendum puto *le raisonnement* vel *la déduction.* Quod si *epicherematis* voce Quintilianus usus est ; in eo interpretando, dicendum : *l'épichérême*, admonito lectore quis sit illius vocis apud auctorem sensus. Cicero aptiori nomine usus est, quod retinendum puto.

2. *Assensionem*, etc. Schützius dat *assensiones*, quia sequitur *quibus assensionibus.*

sionibus facit, ut illi dubia quædam res, propter similitudinem earum rerum, quibus assensus sit, probetur: velut apud Socraticum Æschinem[3] demonstrat[4] Socrates, cum Xenophontis uxore, et cum ipso Xenophonte Aspasiam loquutam: « Dic mihi, quæso, Xenophontis uxor, si vicina tua melius habeat aurum, quam tu habes, utrum illius, an tuum malis? Illius, inquit. Quid? si vestem, et ceterum ornatum[5] muliebrem pretii majoris habeat, quam tu habes, tuumne, an illius malis? Illius vero[6], respondit. Age, inquit[7], si virum illa meliorem habeat, quam tu habes, virumne tuum, an illius malis[8]? » Hic mulier erubuit.

Aspasia autem cum ipso Xenophonte sermonem instituit: « Quæso, inquit, Xenophon, si vicinus tuus equum meliorem habeat, quam tuus est, tuumne equum malis, an illius? Illius, inquit. Quid? si fundum meliorem habeat, quam tu habes, utrum tandem fundum habere malis? Illum, inquit, meliorem scilicet. Quid? si uxorem meliorem habeat, quam tu habes, utram malis[9]? » Atque hic Xenophon quoque ipse ta-

3. *Apud Socraticum Æschinem.* Exemplum hoc sive ῥητορικὸν ἐπαγωγὴν adduxit etiam Quintilian. lib. V, cap. 11, pag. 308 et 313. CAPPER. — Æschinis Socratici dialogi tres spurii exstant.

4. *Demonstrat:* Narrat. Quo sensu apud Cæsarem sæpe est obvium. WETZ.

5. *Ornatum muliebrem.* Voss. 1 m. sec. Leid. 1, ed. Omnib. cum Alcuino, p. 372 «ornamentum muliebre». SCH.

6. *Illius vero.* Schützius hic *vero* expunxit auctoritate cod. Voss. Schol. et Alcuini.

7. *Age, inquit.* Schützius pro *inquit* edidit *vero* auctoritate Lambini, quod illud *inquit* in quæstionibus Aspasiæ semper omittitur.

8. *Virumne tuum an illius malis?* Sic reposui ex edd. pr. pro *utrumne tuum*, quod est in vulgatis, sine dubio vitiose. Sic mox *tuumne equum*, quum præcessisset equi verbum ut hic viri. Si quis malit *utrum tuum* e Leid. pr. non repugnem valde: possitque addere *tuum*, ut est in Gu. 2, *tuum virum*. ERN. — Schütz. dat *utrum tuum malis an illius*, e cod. Leid. 1, probante Oud. Alcuinus: «utrum et tuum virum malis an illius». Cod. Voss. c. Schol. «utrumne malis tuum virum, an illius». Ed. Omnib. «virumne tuum malis an illius».

9. *Utram malis.* Sic cod. Leid. et Gron. Vulgo «utrum illius malis» jam Ernestio damnatum.

cuit. Post Aspasia: « Quoniam uterque vestrum, inquit, id mihi solum non respondit, quod ego solum audire volueram, egomet dicam, quid uterque cogitet. Nam et tu, mulier, optimum virum mavis [10] habere, et tu, Xenophon, uxorem habere lectissimam maxime vis. Quare, nisi hoc perfeceritis, ut neque vir melior, neque femina lectior in terris sit, profecto id semper, quod optimum putabitis esse, multo maxime requiretis, ut et tu maritus [11] sis quam optimæ [12], et hæc quam optimo viro [13] nupta sit ». Hic quum rebus non dubiis esset assensum, factum est propter similitudinem, ut etiam illud, quod dubium videbatur [14], si quis [15] separatim quæreret, id pro certo, propter rationem rogandi, concederetur.

Hoc modo sermonis plurimum Socrates usus est, propterea quod nihil ipse afferre ad persuadendum volebat, sed ex eo, quod sibi ille dederat, quicum disputabat, aliquid conficere malebat, quod ille ex eo, quod jam concessisset, necessario approbare deberet.

XXXII. (XXXII.) Hoc in genere præcipiendum nobis videtur, primum, ut illud, quod inducemus per similitudinem, ejusmodi sit, ut sit necesse concedi. Nam ex quo postulabimus nobis illud, quod dubium sit,

10. *Optimum virum mavis habere.* Schützius *opt. v. vis habere*, e cod. Voss. c. Schol. et Voss. 2, et optim. Gronov. et Alcuin.

11. *Ut et tu maritus.* Schütz. « tu, ut maritus sis », ex ed. Omnib. quæ deinde quoque pro *et hæc* habet *hæc*, sine copula; et Schütz dat: *hæc, ut.*

12. *Quam optimæ.* Schützius cum Lallem. addit *mulieris.* Ea vox, inquit, quam Gruterus auctoritate cod. Pall. expunxit, abesse nequit ob concinnitatem hujus membri ad sequens relati. Sch.

13. *Optimo viro.* Quia ante non est *mulieris* (quod tamen MSS quidam et edd. pr. habent) etiam hic *viro* abesse debebat; nam e verbo *nupta sit* intelligi potest. Ego deleverim, aut in primo *mulieris* addiderim. Sed decernere non audeo. MS Gu. 2 addit *mulier.* Ernest.

14. *Videbatur.* Conjunctivum *videretur* exhibent codd. Voss. c. Schol. Leid. 2. Sed alterum bene se tuetur. Schütz.

15. *Si quis.* Schützius *si qui*, e cod. Voss. c. Schol. et Leid. 2.

concedi, dubium esse id ipsum non oportebit. Deinde illud, cujus confirmandi causa fiet inductio, videndum est, ut simile iis rebus sit, quas res, quasi non dubias, ante induxerimus. Nam ante aliquid nobis concessum esse, nihil proderit, si ei dissimile erit id, cujus causa illud concedi primum voluerimus. Deinde non intelligatur[1], quo spectent illæ primæ inductiones, et ad quem sint exitum perventuræ. Nam qui videt, si ei rei, quam primo rogetur[2], recte[3] assenserit, illam quoque rem, quæ sibi displiceat, esse necessario concedendam, plerumque aut non respondendo, aut male respondendo longius procedere rogationem non sinit. Quare ratione rogationis[4] imprudens ab eo, quod concessit, ad id, quod non vult concedere, deducendus est. Extremum autem aut taceatur oportet, aut concedatur, aut negetur. Si negabitur, aut ostendenda est similitudo earum rerum, quæ ante concessæ sunt, aut alia utendum inductione. Si concedetur, concludenda est argumentatio. Si tacebitur, aut elicienda est responsio; aut, quoniam taciturnitas imitatur confessionem, pro eo, ac si concessum sit, concludere oportebit argumentationem. Ita fit hoc genus argumentandi tripartitum : prima pars ex similitudine constat una, pluribusve; altera ex eo, quod concedi

XXXII. 1. *Deinde non intelligatur, quo*, etc. Ernest. dat : « d. n. intelligat, quo » ; sed annotat aut scribendum esse *intelligatur*, ut in quibusdam reperitur, aut addendum *quicum agimus*, e MS Leid. ut phrasis non careat nominativo. Schütz. dedit « deinde ne intelligat, is quocum agimus », *ne* pro *non* e cod. Leid. 2, reliqua e cod. Leid. 1.

2. *Quam primo rogetur*. Lectio est codd. Voss. c. Schol. Voss. 1, Leid. 3, 4, sine dubio alteri « quæ primo rogetur » præferenda. Sch. — *Quæ prima rogetur* magis Ernestio placebat.

3. *Recte assenserit*. Recte h. l. significat « absque suo incommodo », vel ita, ut nihil mali ex assensione sua sibi verendum putet. Hæc Schützius, et post illum Wetzelius. At recte hic est « nulla tergiversatione », cui opponitur « non respondendo », aut « male respondendo ».

4. *Ratione rog*. Serie rogationum.

volumus, cujus causa similitudines adhibitæ sunt; tertia ex conclusione, quæ aut confirmat concessionem, aut, quid ex ea conficiatur, ostendit.

XXXIII. (XXXIII.) Sed quia non satis alicui videbitur dilucide demonstratum, nisi quod[1] ex civili causarum genere exemplum subjecerimus: videtur hujusmodi quoque utendum exemplo, non quo præceptio differat, aut aliter hoc in sermone[2], atque in dicendo sit utendum; sed ut eorum voluntati satisfiat, qui, quod aliquo in loco viderint, alio in loco, nisi demonstratum est[3], nequeunt cognoscere. Ergo in hac causa, quæ apud Græcos est pervagata, quod[4] Epaminondas, Thebanorum imperator, ei, qui sibi ex lege prætor successerat, exercitum non tradidit, et quum paucos ipse dies contra legem exercitum tenuisset, Lacedæmonios funditus vicit, poterit accusator argumentatione uti per inductionem, quum scriptum legis contra sententiam defendat, ad hunc modum: « Si, judices, id, quod Epaminondas ait legis scriptorem sensisse, adscribat ad legem, et addat exceptionem hanc: EXTRA QUAM SI QUIS REIPUBLICÆ CAUSA EXERCITUM NON TRADIDERIT, patiemini? Non opinor. Quod si vosmet ipsi, quod a vestra religione et sapientia remotissimum est,

XXXIII. 1. *Nisi quod... exemplum.* Schützius: « nisi quid exempli », ex codd. Lambin. et omnibus MSS Oudend.

2. *Aut aliter hoc in sermone, atque in dicendo.* I. e. *aut aliter hoc* genere argumentandi *in sermone* familiari vel philosophico, *atque in dicendo* coram judicibus *sit utendum.* Sch.

3. *Nisi demonstratum est.* Schütz. *nisi monstratum* sine *est* e cod. Voss. 2, *nisi monstratum est* Leid. 2 et Voss. cum Schol. superscripto *monstratur.* Sch. — Lallem. *nisi monstratum sit.*

4. *Quod Epaminondas.* Cod. Voss. c. Schol. Leid. 3, ed. Omnib. habent « quum Epaminondas ». Leid. 1 « quod quum Epaminondas ». Oudend. deleri volebat utrumque. Enimvero *quod* necessario servandum est. Sch. — De re adi Corn. Nep. in Epamin. cap. 7-8, ubi q. h. l. paucos dies cap. 7, 5 quatuor mensibus diutius. Conf. et h. l. infra cap. 39, ubi ut h. l. imperator accusatur, quum cap. 38 et 40 defendatur.

istius honoris causa hanc eamdem exceptionem, injussu populi, ad legem adscribi jubeatis, populus Thebanus id patieturne fieri? Profecto non patietur. Quod ergo adscribi ad legem nefas est, id sequi, quasi adscriptum sit, rectum vobis videatur[5]? Novi vestram intelligentiam, non potest ita videri, judices. Quod si literis corrigi neque ab illo, neque a vobis scriptoris voluntas potest; videte, ne multo indignius sit, id re et judicio vestro mutari, quod ne verbo quidem commutari potest». Ac de inductione quidem satis in præsentia dictum videtur. Nunc deinceps ratiocinationis vim et naturam consideremus.

XXXIV. (xxxiv.) Ratiocinatio est oratio[1] ex ipsa re probabile aliquid eliciens, quod expositum et per se cognitum, sua se vi et ratione confirmet. Hoc de genere qui diligentius considerandum putaverunt, quum idem usu dicendi sequerentur, paullulum in præcipiendi ratione dissenserunt. Nam partim quinque ejus partes esse dixerunt, partim non plus, quam in tres partes posse distribui putaverunt. Eorum controversiam non incommodum videtur cum utrorumque ratione exponere. Nam et brevis est, et non ejusmodi, ut alteri prorsus nihil dicere putentur, et locus hic nobis in dicendo minime negligendus videtur.

Qui putant in quinque[2] distribui[3] partes oportere,

5. *Rectum vobis videatur?* In MSS etiam Cass. Gu. 1, 2, et edd. veteres non «rectumne vobis videtur»: idque etiam sensu melius. Ern. — Lambinus «rectum vobis videtur?» cod. Leid. 2, «ratum vobis videatur»; sed unice vera est illa lectio quam dedimus. Sch.

XXXIV. 1. *Ratiocinatio est oratio.* Ratiocinationis nomine complectitur hic Tullius omnia quæ Græci ἐνθυμήματα, ἐπιχειρήματα, ἀποδείξεις vocant, quamquam apud illos est aliqua horum nominum differentia. Etiamsi vis eodem fere tendit. Verbis utor Quintiliani, qui de his copiose agit, lib. V, cap. 10. Capper. — Respice ad notam 1, cap. 31.

2. *Quinque.* Conf. Her. II, 18, et Quint. V, 14.

3. *Distribui.* Schütz. *tribui* e cod. Leid. 3. Quod jam Ernesti libens prætulerit.

aiunt, primum convenire exponere summam argumentationis, ad hunc modum : « Melius accurantur [4], quæ consilio geruntur, quam quæ sine consilio administrantur ». Hanc primam partem numerant : eam deinceps rationibus variis, et quam copiosissimis verbis approbari putant oportere, hoc modo : « Domus ea, quæ ratione regitur, omnibus instructior est rebus, et apparatior, quam ea, quæ temere et nullo consilio administratur. Exercitus is, cui præpositus est sapiens et callidus imperator, omnibus partibus commodius regitur, quam is, qui stultitia et temeritate alicujus administratur. Eadem navigii [5] ratio est. Nam navis optime cursum conficit ea, quæ scientissimo gubernatore utitur ». Quum propositio sit [6] hoc pacto approbata, et duæ partes transierint ratiocinationis, tertia in parte aiunt, quod ostendere velis, id ex vi propositionis oportere assumere, hoc pacto : « Nihil autem omnium rerum melius, quam omnis mundus, administratur ». Hujus assumptionis [7] quarto in loco aliam porro inducunt approbationem, hoc modo : « Nam et signorum ortus et obitus definitum quemdam ordinem servant, et annuæ commutationes [8], non

4. *Melius accurantur, quæ consilio*, etc. Hujus sententiæ tanta est inanitas, ut persuadere mihi non possem aliquid mendi non subesse, nisi ita scriptum esse conclusio testaretur.

5. *Navigii*. Nihil opus est cum Oud. *navis* reponere. Sch.

6. *Quum propositio sit*. Propositionis vocabulo Tullius eam intelligit, quam in scholis vulgo *majorem* vocat : eamdem Quintilianus *intentionis* nomine designat lib. V, cap. 14, pag. 337, ubi vide notas. Capp.

7. *Hujus assumptionis*. Quam *minorem* appellare solent scholastici, et Quintilianus aliquando *orationem* vocat. Ipsum lege lib. V, cap. 14. Capp.

8. *Et annuæ commutationes*. Huc Schütz. retrahit « et diurnæ nocturnæque vicissitudines » ; quæ verba apud nos infra reperiuntur : et post *accommodatæ* scribit « nec ulla in re, etc. » ceterum persimili reliquæ sententiæ contextu. Cur Cicero, inquit ille, tantum de « annuis commutationibus » dixerit, eas necessitate semper eodem modo fieri et ad utilitates omnium rerum accommodatas esse ? Annon idem de diurnis nocturnisque vicissitudinibus dicendum erat ?

modo quadam ex necessitate semper eodem modo fiunt, verum ad utilitates quoque rerum omnium sunt[9] accommodatæ; et diurnæ nocturnæque vicissitudines, nulla in re umquam mutatæ, quidquam nocuerunt. Quæ signo sunt omnia, non mediocri quodam consilio naturam mundi administrari ». Quinto inducunt loco complexionem eam[10], quæ aut id infert solum, quod ex omnibus partibus cogitur[11], hoc modo: « Consilio igitur mundus administratur »; aut unum in locum quum conduxerit breviter propositionem[12] et assumptionem, id adjungit[13], quod ex his conficiatur, ad hunc modum : « Quod si melius geruntur ea, quæ consilio, quam quæ sine consilio[14] administrantur, nihil autem omnium rerum melius admi-

At Cicero aliis locis arctissime diurnas nocturnasque vicissitudines cum annuis conjungit, ut Tusc. Disp. cap. 28; de Nat. Deor. cap. 19; de Legg. cap. 17. Accedit, quod in vulgata lectione, extremum membrum sic assutum : « et diurnæ nocturnæque vic. nulla in re mut. quidquam noc. » valde friget, quod Ernest. quoque sensit, quamquam, se quod melius esset, reperire haud potuisse fassus est. Pro « nulla in re » cod. Voss. c. schol. a manu pr. et Leid. 2 habent « nulli naturæ », quod cur illi lectioni anteferatur, causam nullam video. Sch. — Rem ipsam hoc loco propositam Balbus in altero de Natura Deorum libro latius persequitur, « mundum pulcherrimum summo consilio divino administrari, et universum et singulas ejus partes », in primis c. 19; Tusc. I, 28; Legg. II, 7. Wetz.

9. *Sunt.* Al. *sint.* Qui modus complexioni potius conveniat.

10. *Complexionem eam.* In præcedentibus *complexio* Ciceroni erat ea ratiocinandi formula, cui nomen dilemma, δίλημμα. Sed hoc in loco complexionis nomine argumenti conclusionem, ut nunc loquimur, intelligit; quam et collectionem appellat Quintil. loco mox indicato. Capp.

11. *Cogitur. Colligitur* cod. Leid. 2, 3 e glossa. Paullo ante post *complexionem* delevi *eam* auctoritate Quintil. Inst. Orat. V, 14. Sch.

12. *Propositionem.* Oudend. e vestigiis cod. Leid. 3, conjicit legendum « et propositionem ». Sed nihil opus. Sch.

13. *Id adjungit; quod.* Delet *id* Ernest. e MSS pluribus, etiam Cass. Gu. 1, 2, edd. vett. ante Aldum. Deinde *quid* e MSS Leid. profert et præfert Oudend. non male. Sic et Gu. 2.—Schütz. delet *id*, scribitque *quid* pro *quod*, sequutus auctoritatem cod. Voss. c. schol. et Quintil. qui ad hunc locum Ciceronis respexit, Inst. Or. V, 14.

14. *Quam quæ sine consilio.* Hæc verba Lallem. omittit.

nistratur, quam omnis mundus; consilio[15] igitur mundus administratur». Quinquepartitam igitur hoc pacto putant esse argumentationem.

XXXV. Qui autem tripartitam esse dicunt, ii non aliter putant tractari oportere argumentationem, sed partitionem horum reprehendunt. Negant enim neque a propositione, neque ab assumptione approbationes earum separari oportere, neque propositionem absolutam, neque assumptionem sibi perfectam videri, quæ approbatione confirmata non sit. Quare quas illi duas partes numerent[1], propositionem et approbationem, sibi unam partem videri, propositionem: quæ si approbata non sit, propositio non sit argumentationis. Item, quæ ab illis assumptio, et assumptionis approbatio dicatur[2], eamdem sibi assumptionem solam videri. Ita fit, ut eadem ratione argumentatio tractata, aliis tripartita, aliis quinquepartita videatur. Quare evenit, ut res non tam ad usum dicendi pertineat, quam ad rationem præceptionis.

(xxxv.) Nobis autem commodior illa partitio videtur esse, quæ in quinque partes distributa est, quam omnes ab Aristotele et Theophrasto profecti maxime sequuti sunt. Nam quemadmodum illud superius genus argumentandi, quod per inductionem sumitur, maxime

15. *Consilio igitur. Igitur* h. l. vel e superiori temere repetitum, vel e sequentibus huc tractum est. Rectius abfuerat hoc loco; nam in hac forma, « quod si, etc. » et cum eo, quo hic modo usurpatur, non sequitur *igitur*. Ern. — At Schütz. *igitur* retinendum esse ait, quia reperitur apud Quintil. locum Ciceronis referentem. Indicativum tamen ferri potest; si accipias totam illam thesin per se jam constantem, neque ab adversariorum thesi contraria dependentem, sententia ita procedente: « dicunt videri sibi unam partem propositionem, quas illi numerant duas partes, propositionem et hujus approbationem ». Wetz.

XXXV. 1. *Numerent*, sic rescripsi pro *numerant* e forma latinitatis: et sic habent MSS Cass. Gu. 1. Ern. —

2. *Dicatur* pro vulgato *dicitur* eamdem ob causam dedi, idque et plures MSS habent. Ern.

Socrates et Socratici tractaverunt[3] : sic hoc, quod per ratiocinationem expolitur, summe est ab Aristotele[4], atque a peripateticis, et Theophrasto frequentatum; deinde a rhetoribus iis, qui elegantissimi atque artificiosissimi putati sunt. Quare autem nobis illa magis partitio probetur, dicendum videtur, ne temere sequuti putemur; et breviter dicendum, ne in hujusmodi rebus diutius, quam ratio præcipiendi postulet[5], commoremur.

XXXVI. (xxxvi.) Si quadam in argumentatione satis est uti propositione, et non oportet adjungere approbationem propositioni; quadam autem in argumentatione infirma est propositio, nisi adjuncta sit approbatio: separatum quiddam est a propositione approbatio. Quod enim et adjungi et separari[1] ab aliquo potest, id non potest idem esse, quod est id, ad quod adjungitur, et a quo separatur. Est autem quædam argumentatio, in qua propositio non indiget approbatione; et quædam, in qua nihil valet sine approbatione[2], ut

3. *Tractaverunt.* Sch. *pertractarunt* e Leid. 2, probante Oudendorp. Sic, inquit, infra, *narrationem*, sæpe ac diligenter pertractare.

4. *Ab Aristotele*, etc. Schütz. dat « ab Aristotele et Theophrasto, atque a perip. » Ineptum est, inquit, quod Theophrastus quasi excludatur a peripateticorum numero. Hoc vitatur transpositione nostra, Victorino etiam auctore facta, qua fit ut « atque a peripateticis » ultimo loco collocatum idem significet ac « ceteris peripateticis ».

5. *Postulet.* Sic Ernestius e forma latinitatis et secundum nonnullorum MSS auctoritatem. — Vide supra not. 1. Malim equidem *postulat*.

XXXVI. 1. *Et... sep.* Sic rectius Voss. c. schol. Voss. 1, 2, Leid. 2, 3, quam ut vulg. « adjungi et separari ». Sch. — Sic et scribit Ernest. qui addit auctoritatem MSS apud Oud. et Cass. Gu.

2. *Sine approbatione.* Sic omnes MSS dant cum edit. Omnib. ac nihil dubito, quin et alii viri doctissimi invenissent suis in codd. si attendissent. Quis hoc primus mutaverit, et « absque approbatione » reposuerit, nescio; perperam sane. *Absque* eo sensu Ciceronis ævo non erat latinum. Vide me ad Lucan. VI, 152. Heinsii Advers. pag. 145. Frustra igitur Cellarius in Cur. post. cap. 5, protulit hunc locum, ut probaret *absque* pro *sine* tunc in usu, subjecitque alterum ex libro I ad Att. ep. 19 : « Nullam a

ostendemus: separata est igitur a propositione approbatio. Ostendetur autem id[3], quod polliciti sumus, hoc modo.

Quæ propositio in se quiddam continet perspicuum, et quod constare[4] inter omnes necesse est, hanc velle approbare et firmare nihil attinet. Ea est hujusmodi: «Si, quo die ista cædes Romæ facta est, ego Athenis eo die fui, interesse in cæde non potui». Hoc quia perspicue verum est, nihil attinet approbari. Quare assumi statim oportet, hoc modo: «Fui autem Athenis eo die». Hoc si non constat, indiget approbationis: qua inducta, complexio consequetur[5]. Est igitur quædam propositio, quæ non indiget approbatione. Nam esse quamdam, quæ indigeat, quid attinet ostendere, quod cuivis facile perspicuum est? Quod si ita est, ex hoc, et ex eo, quod proposueramus, hoc conficitur, separatum esse quiddam a propositione approbationem. Si autem ita est, falsum est non esse plus quam tripartitam argumentationem.

Simili modo liquet, alteram quoque approbationem separatam esse ab assumptione. Si quadam in argumentatione[6] satis est uti assumptione, et non oportet

me epistolam ad te sino absque argumento ac sententia pervenire». Sed quovis pignore contendere velim, in mendа eum locum per verbum *sino* cubare. Pro *sine* male etiam *absque* suppletum fuit in inscr. Clodio imp. dedicata apud Fabrett. p. 720, 728 Inscr. Oud.

3. *Ostendetur autem id.* Sic magno consensu libri scripti et edd. vett. Primus Aldus induxit *ostendemus*, ut opinor, quia infra sic est.

4. *Et quod constare.* Sic habent edd. vett. et MSS pro vulg. «eo quod constare», et recepi. Credo tamen cum Oud. etiam *quod* delendum esse. Nam post in contrario est: «non enim perspicua est», sc. propositio, «neque constat inter omnes». Ern.

5. *Complexio consequetur.* Hic in vulgatis sequitur: «Igitur in cæde interesse non potui». Sed abest a MSS Cass. Gu. utroque et MS Voss. apud Oud. item edd. pr. Addidit Ald. Est sine dubio spurium, ut infra: «igitur dare operam philosophiæ convenit»; quod pariter abest ab iisdem libris. Igitur utrumque delevi. Ernest.

6. *Si quadam in argumentatione.*

adjungere approbationem assumptioni ; quadam autem in argumentatione infirma est assumptio, nisi adjuncta sit approbatio : separatum quiddam est extra assumptionem approbatio. Est autem argumentatio quædam, in qua assumptio non indiget approbationis; quædam autem, in qua nihil valet sine approbatione, ut ostendemus. Separata est igitur ab assumptione approbatio. Ostendemus autem id, quod polliciti sumus, hoc modo.

Quæ perspicuam [7] omnibus veritatem continet assumptio, nihil indiget approbationis. Ea est hujusmodi : « Si oportet sapere [8], dare operam philosophiæ convenit ». Hæc propositio indiget approbationis. Non enim perspicua est, neque constat inter omnes, propterea quod multi nihil prodesse philosophiam, plerique etiam obesse arbitrantur. Assumptio perspicua est hæc [9] : « Oportet autem sapere ». Hoc autem [10] quia

Delevimus *nam* in principio ; nam Cicero istas conclusiones absolute ponit, nec est in MSS aut edd. pr. Addidit Aldus. Ern.

7. *Quæ perspicuam... Ea est h.* Hæc verba Schütz. ut ineptissimam glossatoris laciniam resecuit. In textu, inquit, non sequitur assumptio syllogismi, sed propositio. Qui igitur fieri poterat, ut Cicero, de assumptione modo loquutus, diceret : « Ea est hujusmodi », et tamen non assumptionem, sed propositionem, subjungeret ?— Hæc Schütz. quem si non sequitur J. V. L. fatetur tamen aliquid perturbationis huic loco inesse.

8. *Si oportet sapere.* Schütz. dat « Si oportet velle sapere » cum Lambino. Nihil aliud, inquit, significat propositio, quam « si sapientia petenda est » : huic autem æquipollet enuntiatum : « Si oportet velle sapere ». Itaque sic etiam postea in assumptione scripsimus. — Correctio supervacanea videtur ; nam *oportet* idem valet quod « opportunum est ». Quo reposito appareret nihil esse desiderandum.

9. *Ass. p. est hæc.* Schütz. delet *perspicua* ut superfluum, quum statim sequatur « hoc quia ipsum ex re perspicitur ». In MSS Oudendorp. est « assumptio est perspicua », vel « perspicua est. Est enim hæc ». In cod. Voss. c. schol. « assumptio perspicua. Est enim hæc ». Id placet Oudend. Nos vero hac μακρολογίᾳ non delectamur. Sch.

10. *Hoc autem quia.* Ernest. in notis ait, se *autem* delevisse ; sed aut operæ non paruerunt, aut ipse corrigere in textu oblitus est. Recte vero abest *autem* a MSS duobus Leid. Cass. Guelf. 1. Sch.

ipsum ex re[11] perspicitur, et verum esse intelligitur, nihil attinet approbari. Quare statim concludenda est argumentatio[12]. Est ergo assumptio quædam, quæ approbationis non indiget. Nam quamdam indigere perspicuum est. Separata est igitur ab assumptione approbatio. Falsum ergo est, non esse plus quam tripartitam argumentationem.

XXXVII. Atque ex his illud jam perspicuum est, esse quamdam argumentationem, in qua neque propositio[1], neque assumptio indigeat approbationis, hujusmodi; ut certum quiddam, et breve, exempli causa, ponamus: « Si summo opere[2] sapientia petenda est, summo opere stultitia vitanda est; summo autem opere sapientia petenda est; summo igitur opere stultitia vitanda est ». Hic et assumptio, et propositio perspicua est. Quare neutra quoque indiget approbatione[3].

Ex hisce omnibus illud perspicuum est, approbationem tum adjungi, tum non adjungi. Ex quo cognoscitur, neque in propositione, neque in assumptione contineri approbationem, sed utramque suo loco positam, vim suam, tamquam certam et propriam, obtinere[4]. Quod si ita est, commode partiti sunt illi,

11. *Ex re.* Schütz. dat *ex se.* Ita, inquit, Nizolius in lexico Ciceroniano voc. *ex* legit; et Lambinus in textu posuit: recte; nam de enuntiato loquitur Cicero, quod approbationis haud indiget, ideoque ipsum *ex se* perspiciatur necesse est. Sic postea cap. 39: « quum propositio ex se intelligitur ». SCH.

12. *Concl. est argumentatio.* Sciolus nescio quis hic appinxerat: « igitur dare operam philosophiæ convenit », quo recte carent cod. Voss. c. schol. Voss. 1, 2, ed. Omnib. SCH.

XXXVII. 1. *Neque propositio.* Sch. « nec propositio » e cod. Voss. c. schol. Oud. probatum.

2. *Summo opere.* Lallem. uno verbo *summopere.*

3. *Quare neutra quoque indiget approbatione.* Ridicula præter modum tota hæc argumentatio, in qua complexio per se ita certa est, ut fortasse minus indigeat approbationis quam ipsa propositio. Manifestius enim est stultitiam vitandam, quam sapientiam petendam.

4. *Utramque... vim suam... obti-*

qui in quinque partes distribuerunt argumentationem.

(XXXVII.) Quinque sunt igitur[5] partes ejus argumentationis, quæ per ratiocinationem tractatur: Propositio, per quam locus is breviter exponitur, ex quo vis omnis oportet emanet ratiocinationis; propositionis approbatio, per quam id, quod breviter expositum est, rationibus affirmatum, probabilius et apertius fit; assumptio, per quam id, quod ex propositione ad ostendendum[6] pertinet, assumitur; assumptionis approbatio, per quam id, quod assumptum est, rationibus firmatur; complexio, per quam id, quod conficitur ex omni argumentatione, breviter exponitur. Quæ plurimas habet argumentatio partes, ea constat ex his quinque partibus; secunda est quadripartita[7]; tertia tripartita. Dein bipartita; quod in controversia[8] est. De una quoque parte[9] potest alicui videri posse consistere.

nere. Aliter Quintiliano visum, nec immerito. « Epicherematis sunt tres partes : prima intentio; secunda assumptio; tertia connexio. Sumamus ex Cicerone exemplum : Melius gubernantur, etc. » V, 14. J. V. L.

5. *Quinque sunt igitur partes e. argumentationis*. Resp. notas ad Her. II, 18. Apud utrumque est propositio. Approbatio autem est Herennio ratio, assumptio, rationis confirmatio; assumptionis approbatio, exornatio. Complexio utrique communis est.

6. *Ad ostendendum*. Sch. delet *ad*. Vulgatæ, inquit, sensus aut nullus, aut hic saltem ineptus : si dicitur assumptio continere id, quod pertineat ad ostendendum ex propositione, quæro, quid hoc sit, ad quod ostendendum referatur assumptio syllogismi. Supra cap. 34, Cicero affirmaverat, in assumptione, quod ostendere velis, id ex vi propositionis oportere assumere. Hoc idem nunc his verbis exprimitur : « quod ex propositione ostendendum pertinet », i. e. pendet, sequitur, seu, quod porro ex vi propositionis probandum est. Sch.

7. *Quadripartita*. In qua vel assumptionis vel propositionis deest approbatio. — *Tripartita*. In qua utraque deest approbatio. — *Bipartita*. Constans ex propositione et assumptione. Wetz.

8. *Quod in controversia est*. Hæc verba quia absunt ab uno cod. Oudendorpii, equidem haud damnaverim, ut Ernestio placuit. Nam, hoc omisso, non statim intelligitur utrum bipartita argumentatio ad dubium genus, an ad certum pertineat. Sch.

9. *De una quoque parte*, etc. Sic

XXXVIII. Eorum igitur, quæ constant, exempla ponemus; horum, quæ dubia sunt, rationes afferemus.

(XXXVIII.) Quinquepartita argumentatio est hujusmodi : « Omnes leges, judices, ad commodum reipublicæ referre oportet, et eas ex utilitate communi, non ex scriptione, quæ in literis est, interpretari. Ea enim virtute et sapientia majores nostri fuerunt, ut in legibus scribendis nihil sibi aliud, nisi salutem atque utilitatem reipublicæ proponerent. Neque enim ipsi, quod obesset, scribere volebant; et, si scripsissent, quum esset intellectum, repudiatum iri legem intelligebant. Nemo enim leges legum causa salvas esse vult, sed reipublicæ, quod ex legibus omnes rempublicam[1] optime putant administrari. Quam ob rem igitur leges servari oportet, ad eam causam scripta[2] omnia interpretari convenit : hoc est[3], quoniam reipublicæ servimus, et reipublicæ commodo[4] atque utilitate leges interpretemur. Nam ut ex medicina nihil oportet putare proficisci, nisi quod ad corporis utilitatem spectet, quoniam ejus causa est instituta; sic a legibus nihil convenit arbitrari, nisi quod reipublicæ conducat,

dedimus pro « unaquaque parte », quod nullum sensum idoneum habere potest. *Quoque* habent MSS plures apud Oud. Cass. Gu. 2, a manu sec. Et plane sic infra est cap. 4 : « si qui autem ex una quoque parte putabunt constare argumentationem », quod rem dirimit plane. Ern. — Schützius dat : « Dein ex una quoque parte potest alicui videri consistere », deleto *posse*. Lambinus partim e cod. partim e conjectura edidit : « Ex una quoque parte videri potest alicui constare ». Sed quia *constare* statim alio sensu occurrit, verius est antiquam lectionem *consistere* hic servare. Sch.

XXXVIII. 1. *Ex legibus omnes rempublicam*. Vulgata *resp.* sed præter Pall. et Grevenb. immo et edd. priscas, in quibus, « omnem rempublicam ». Grut.

2. *Scripta omnia*. Schütz. « scripta legum omnia » edidit, quia « scripta omnia » nimis infinitum illi videbatur, et deinde auctor « literas legis » et « scriptum legis » nominat.

3. *Hoc est.....interpretemur*. Hæc verba, ut a glossatore, olim, interpretationis causa adjecta, et nihil afferentia, quod non antea jam elegantius dictum sit, Sch. expunxit.

4. *Et reipublicæ commodo*, etc. Lallem. dat « ex reipublicæ commodo atque utilitate ».

proficisci, quoniam ejus causa sunt comparatæ. Ergo in hoc quoque judicio desinite literas legis perscrutari, et legem, ut æquum est, ex utilitate reipublicæ considerate[5]. Quid enim magis utile Thebanis fuit, quam Lacedæmonios opprimi? Cui rei magis Epaminondam[6], Thebanorum imperatorem, quam victoriæ Thebanorum, consulere decuit? Quid hunc tanta Thebanorum gloria, tam claro atque exornato tropæo carius aut antiquius[7] habere convenit? Scripto videlicet legis omisso, scriptoris sententiam considerare debebat. Atque hoc quidem[8] satis consideratum est, nullam esse legem, nisi reipublicæ causa scriptam. Summam igitur amentiam esse existimabat, quod scriptum esset reipublicæ salutis causa, id non ex reipublicæ salute interpretari. Quod si leges omnes ad utilitatem reipublicæ referri convenit, hic autem saluti reipublicæ profuit; profecto non potest eodem facto et communibus fortunis consuluisse, et legibus non obtemperasse ».

XXXIX. (XXXIX.) Quatuor autem partibus constat argumentatio, quum aut proponimus[1], aut assumimus[2] sine approbatione. Id facere oportet, quum aut

5. *Considerate. Quid enim.* Habent editi nuper : « considerate : quod hic fecit. Quid enim », quomodo nulli scripti, quos Lambinus consuluit, nulli Palatini, nullus Gulielmianus : sed nec conspicitur in editione veterrima, immo ne quidem in Stephaniana anni XLIV. GRUT. — *Enim* abest a cod. Voss. c. schol. Voss. 2, Leid. 3. SCH.

6. *Cui rei magis Epaminondam.* Recepit istud Lambinus, sed ex libro aliquo? sic certe Pal. sec. Vulgo, « Quid magis Epaminondam, Thebanorum imperatorem ». GRUT.

7. *Aut antiquius.* Lallem. « atque antiquius ».

8. *Atque hoc quidem.* Lambinus, « At hoc quidem ». Olim eusi : « Atque hoc idem ». Pal. pr. « Ac hoc quidem ». Pal. sec. « Adhuc quidem », quod ultimum placet; nam tert. luxuriatur, in quo « Ac per hoc quidem ». GRUT.

XXXIX. 1. *Proponimus.* H. e. eam propositionem efformamus, quæ vulgo *major* in scholis nunc appellatur.

2. *Assumimus.* Id est, eam propositionem conficimus, quam ætatis nostræ logici *minorem* vocant. CAPPER.

propositio ex se intelligitur, aut assumptio perspicua est, et nullius approbationis indiget. Propositionis approbatione præterita, quatuor ex partibus argumentatio tractatur ad hunc modum : « Judices, qui ex lege jurati judicatis [3], legibus obtemperare debetis. Obtemperare autem legibus non potestis, nisi id, quod scriptum est in lege, sequamini. Quod enim certius legis scriptor testimonium voluntatis suæ relinquere potuit, quam quod ipse magna cum cura atque diligentia scripsit? Quod si literæ non exstarent, magnopere eas requireremus, ut ex his scriptoris voluntas cognosceretur; nec tamen Epaminondæ permitteremus, ne si extra judicium quidem esset, ut is nobis sententiam legis interpretaretur, nedum nunc istum patiamur [4], quum præsto lex sit; non ex eo, quod apertissime scriptum est, sed ex eo, quod suæ causæ convenit, scriptoris voluntatem interpretari. Quod si vos, judices, legibus obtemperare debetis, et id facere non potestis, nisi, quod scriptum [5] est in lege, sequamini, quid causæ est, quin istum contra legem fecisse judicetis? »

Assumptionis autem approbatione præterita, quadripartita sic fiet argumentatio : « Qui sæpenumero nos per fidem fefellerunt, eorum orationi fidem habere non debemus. Si quid enim perfidia illorum detrimenti acceperimus, nemo erit, præter nosmet ipsos, quem jure accusare possimus. Ac primo quidem decipi incommodum est; iterum, stultum; tertio, turpe. Carthaginienses autem persæpe jam nos fefellerunt. Summa

3. *Qui ex lege judicatis.* Qui lege judices constituti estis. Cave ne interpr. qui consentanea legi judicia fertis.

4. *Istum patiamur.* Hoc præbent MSS Gronov. Oudendorpii omnes, Guelf. 1, 2; et sententia manifesto postulat; quare optimo jure est ab Ernestio receptum. Vulgo *istud.* Scu.

5. *Nisi, quod scriptum.* Schützius cum Lallem. dat « nisi id, quod s. » ex MSS plerisque. Edd. olim *id* omiserunt.

igitur amentia est in eorum fide spem habere, quorum perfidia toties deceptus sis».

Utraque approbatione præterita tripartita fit, hoc pacto: « Aut metuamus Carthaginienses oportet, si incolumes eos reliquerimus; aut eorum urbem diruamus. Ac metuere quidem non oportet. Restat igitur, ut urbem diruamus ».

XL. (XL.) Sunt autem, qui putent [1], nonnumquam posse complexione supersederi [2], quum id perspicuum sit, quod conficiatur ex ratiocinatione. Quod si fiat, bipartitam quoque fieri argumentationem, hoc modo: « Si peperit, virgo non est; peperit autem ». Hic satis esse dicunt [3] proponere et assumere: quoniam perspicuum sit, quod conficiatur [4], complexionis rem non indigere [5]. Nobis autem videtur et

XL. 1. *Qui putent.* Sic correximus vulgatum *putant*, quod est contra veram latinitatem, ut hodie satis constat; nemo tamen hic hæsit. Obloquuntur aliquid Cortius ad Sallust. et alii frustra. Exempla poetarum sola liquida sunt: sed hæc nihil obsunt: nam quod iis licuit, non idem aliis in sermone. Ern.

2. *Nonnumquam posse complexione supersederi.* Vulgo « n. p. c. et oportere supersederi ». Recte Lambinus deleri volebat « et oportere »; cui assentitur Oud. et absunt a duobus scriptis hujus. Firmat subjecta ratio: « hic satis esse dicunt, etc. » in qua nullum argumentum necessitatis est: et omnino in verbo *supersederi* nulla necessitas intelligi potest, ut nec in altero, « complexionis rem non indigere ». Itaque delevimus. Si quis varietatem lectionis in h. v. videre velit, adeat marginem ed. Lamb. secundæ. Sed non est tanti. Ern. — Quem recentiores sequuti sunt.

3. *Hic satis esse dicunt.* Schützius omittit « dicunt », auctoritate cod. Voss. c. schol. a. m. p. et Leid. 1. In Voss. 1, 2, Leid. 3, ponitur *dicunt* post *assumere*, unde Sch. collegit esse a glossatore adjectum. Ernest. autem velit servari, quia leniorem facit orationem.

4. *Quoniam...conficiatur.* Hæc verba habuerim pro supervacuis, repetitis scilicet ex superiori clausula; quod ipsum adhuc magis detegunt libri nostri MSS, in quibus: « conficiatur ex ratione, quod si fiat, complexionis », quæ omnia præcesserant, ut dixi. Grut.

5. *Complexionis rem non indigere. Rem* abest a quibusdam MSS, sed ita nihil esset quo *non indigere* referretur. Ego totum hoc: « complexionis rem non indigere » spurium judico a tribus MSS Oud. et quod libri præcedentibus addunt « ex ratiocinatione » in ejusdem 1, est in margine a. m. p. Ern. — Quæ spuria judicavit Ernest. ea Schützius omnino delevit.

omnis ratiocinatio concludenda esse; et illud[6] vitium, quod illis displicet, magnopere vitandum, ne, quod perspicuum sit, id in complexionem inferamus.

Hoc autem fieri poterit, si complexionum genera intelligantur. Nam aut ita complectemur[7], ut in unum conducamus propositionem et assumptionem, hoc modo : « Quod si leges omnes[8] ad utilitatem reipublicæ referri convenit, hic autem saluti reipublicæ profuit; profecto non potest eodem facto, et saluti communi consuluisse, et legibus non obtemperasse ». Aut ita, ut ex contrario sententia conficiatur, hoc modo : « Summa[9] igitur amentia est, in eorum fide spem habere, quorum perfidia toties deceptus sis ». Aut ita, ut id solum, quod conficitur, inferatur, ad hunc modum : « Urbem igitur diruamus ». Aut, ut id, quod eam rem, quæ conficitur, sequatur, necesse est. Id est hujusmodi : « Si peperit, cum viro concubuit; peperit autem ». Conficitur hoc : « concubuit igitur cum viro ». Hoc si nolis inferre, et inferas id, quod sequitur : « Fecit igitur incestum »; et concluseris argumentationem, et perspicuam fugeris complexionem[10].

Quare in longis argumentationibus, ex conductionibus[11], aut ex contrario complecti oportet; in brevi-

6. *Et illud vitium.* Hæc non bene sonant. Arbitror aut *illud* delendum esse, aut totum *illud vitium*. Ern. — Cujus auctoritate Schützius *illud vitium* delevit.

7. *Ita complectemur, ut in unum*, etc. I. e. ut nostro more loquar, argumenti conclusio erit hujusmodi, ut ambas præmissas, majorem et minorem, in unam periodum conducamus. Capper.

8. *Quod si leges omnes*, etc. Hoc referendum ad Epaminondæ causam, de qua respice c. 38.

9. *Summa igitur amentia est*, etc. Referendum hoc ad Carthaginienses, de quibus supra c. 39.

10. *Et perspicuam fugeris conclusionem.* Hoc est : conclusionem vitaveris, quæ nimia perspicuitate peccet.

11. *Ex conductionibus.* Hoc est, ex propositione et assumptione in unum conductis. Wetz. — Hoc est, argumentum ita concludere, ut ambæ præmissæ, unam in periodum conducantur. A qua explicatione non multum abludit Marius Victorinus, qui Tullianum illud *ex conductionibus* exponit κατὰ συναγωγὴν καὶ ἀνακεφαλαίωσιν,

bus id solum, quod conficitur, exponere; in iis, in quibus exitus perspicuus est, consecutione [12] uti.

(XLI.) Si qui autem ex una quoque parte putabunt constare argumentationem, poterunt dicere, sæpe satis esse hoc modo argumentationem facere: « Quoniam peperit, cum viro concubuit ». Nam hoc nullius neque approbationis, neque assumptionis [13], vel ejus approbationis, neque complexionis indigere. Sed nobis ambiguitate nominis videntur errare. Nam argumentatio nomine uno res duas significat, ideo quod et inventum aliquam in rem probabile, aut necessarium [14], argumentatio vocatur, et ejus inventi artificiosa expolitio. Quando igitur proferent aliquid hujusmodi: « Quoniam peperit, cum viro concubuit »; inventum proferent, non expolitionem [15]. Nos autem de expolitionis partibus loquimur.

XLI. Nihil igitur ad hanc rem ratio [1] illa pertinebit: atque hac distinctione, alia quoque, quæ videbuntur officere huic partitioni, propulsabimus, si qui aut assumptionem aliquando tolli posse putent, aut propositionem. Quæ si quid habet probabile, aut necessarium, quoquo modo commoveat [2] auditorem necesse

id est, per rerum congregationem (ut loquitur Quintil. l. VI, c. 1) et enumerationem per summa capita. Cappen.

12. *Consecutione.* Quæ alias complexio, connexio, conclusio dicitur. Vulgo *consequentia.* Cappen.

13. *Neque assumptionis*, etc. Hæc, inquit Schützius, prorsus inepta sunt et a Ciceronis proposito aliena: exemplum enim syllogismi plene enuntiati hoc est: « Si peperit, cum viro concubuit; peperit autem, cum viro igitur concubuit ». Quæ sic contrahas: « Quoniam peperit, cum viro concubuit »; propositio et assumptio in unum contrahitur, ita ut omittatur utriusque approbatio et complexio. Itaque hæc verba delevi Victorinum sequutus. Sch.

14. *Inventum aliquam in rem probabile, aut necessarium.* Vertit gallicus interpres: *les raisons qui rendent une chose probable ou nécessaire.*

15. *Expolitionem.* Gallice: *la mise en œuvre.*

XLI. 1. *Ratio illa.* Objectio supra emissa.

2. *Commoveat.* Leid. 2 *moveat.* Utrum placeat, h. l. non de ciendis animorum perturbationibus, sed de

est. Quod si solum spectaretur[3], ac nihil, quo pacto tractaretur id, quod excitatum esset[4], referret : nequaquam tantum[5] inter summos oratores[6] et mediocres interesse existimaretur.

Variare autem orationem magnopere oportebit. Nam omnibus in rebus similitudo est satietatis mater. Id fieri poterit, si non similiter semper ingrediamur in argumentationem. Nam primum omnium generibus ipsis distinguere convenit orationem[7], hoc est, tum inductione uti, tum ratiocinatione. Deinde in ipsa argumentatione[8] non semper a propositione incipere, nec semper quinque partibus abuti[9], neque eadem ratione partitiones expolire[10]; sed tum ab assumptione incipere licet, tum ab approbatione alterutra, tum utraque, tum hoc, tum illo genere complexionis uti. Id ut perspiciatur[11], aut scribamus,

eliciendo mentis assensu intelligendum. Scn.

3. *Quod si solum spectaretur*. Lallem. « quod si solum id quod inventum est spect. »

4. *Excitatum esset*. Lallem. « esset excogitatum ».

5. *Nequaquam tantum*. Ernesti *tantum*, quod abest ab edd. pr. deleri volebat. Nobis id emphaseos causa servandum videtur. Scn.

6. *Oratores*. Abest a Pall. omnibus et Grevenb. videtur tamen necessarium. Gaut.

7. *Orationem*. Schützius delet hanc vocem, quod abest a codd. Oud. et ed. omnib. et quod melius arbitratur verbum *distinguere* ad antecedens *argumentationem* referri.

8. *Argumentatione*. Schützius dat *ratiocinatione*, quia, inquit, argumentatione hoc loco nimis infinitum esset; nam quæ sequuntur, non ad utrumque genus argumentationis, inductionem et ratiocinationem, sed tantum ad ratiocinationem pertinet.

9. *Abuti*. Schützius dat « abuti convenit » e cod. Leid. 2, quod melius dicit repeti, ad oppositum *licet* relatum.

10. *Partitiones expolire*. Schützius corrigit *partes*, quia, inquit, non partitio ratiocinationis, sed partes expoliuntur.

11. *Id ut perspiciatur*. . . *exerceamus*, etc. Pro *perspiciatur* Ernesti requirit *perficiatur* aut simile quid, quia, inquit, non est sermo de facultate intelligendi, sed agendi, i. e. variandæ orationis. Schützius dat : « id ut melius perspiciatur », deletque in fine verba : « ut quam facile facta sit ». Hanc textus, inquit, particulam ad Victorini auctoritatem accommodavi; quamquam valde vereor, ne tota sit ab interpolatoribus conflata : in ed. Ald. Camer. legitur : « ut quam facile sit facta ». Hæc verba « ut quam f. s. f. »

aut in quolibet exemplo de iis, quæ proposita sunt, hoc idem exerceamus, ut quam facile factu sit.

Ac de partibus quidem argumentationis satis nobis dictum videtur. Illud autem volumus intelligi, nos probe tenere, aliis quoque rationibus tractari argumentationes in philosophia multis et obscuris, de quibus certum est artificium constitutum. Verum illa nobis abhorrere ab usu oratorio[12] videntur[13]. Quæ pertinere autem ad dicendum putamus, ea nos commodius, quam ceteros, attendisse, non affirmamus; perquisitius[14] et diligentius conscripsisse pollicemur. Nunc, ut instituimus proficisci[15], ordine ad reliqua pergemus.

XLII. (XLII.) Reprehensio est[1], per quam argumentando adversariorum confirmatio[2] diluitur[3], aut infir-

expunxit Lambinus, qui pro iis in quibusdam aliis libris invenit : « ut, quam facile dictu sit, experiamur ». In cod. Voss. c. schol. scriptum est : « id ut et perficiatur scribamus (super linea *videamus*) et in marg. « aut inscribamus ipsi, et nos exerceamus, aut si id piget facere ». Idem cod. extrema sic variat : « quam id facile factu sit ».

12. *Oratorio*. Cod. Voss. c. schol. *oratoris*.

13. *Videntur*. Schützius *visa sunt* ex MSS quam plurimis, etiam Oud. omnibus, ipso Oud. probante.

14. *Perquisitius*. Delevimus *sed* in principio, quod abest a MSS duobus Oud. et Cass. eleganter et plane Ciceroniano more in tali forma orationis. Placet etiam Oudendorpio. Ern.

15. *Ut instituimus proficisci*. Interpunximus post *proficisci*, ut est in Cass. et aliis ap. Oud. et edd. Junt. Res ipsa postulat. Ern. — Quod cur Ernesti rem ipsam postulare dixerit, non video. Nam « ut instituimus, ut instituisti », sæpius absolute ponitur, ut Cic. de Oratore, lib. II, cap. 28, « et pergere proficisci » alibi quoque occurrit, exempli causa, ad Herenn. III, 1. Sch.

XLII. 1. *Reprehensio est*. Quæ est quinta inventionis pars : resp. c. 24. Alias infirmatio et refutatio. Ἀνασκευή. Capper.

2. *Confirmatio*. Κατασκευὴ, quam Quintilianus probationem passim vocat. Capper.

3. *Diluitur, aut infirmatur, aut allevatur*. Ernesti qui dedit « aut alleviatur », hoc, inquit, sine dubio spurium est, e glossa semibarbari hominis natum, quod deinde in melius *allevatur*, aut *levatur*, ut est in edd. Junt. Mediol. mutatum est. Nam MSS consensu habent *alleviatur*, itaque uncis inclusi. Etiam paullo post est tantum *diluere*, aut *infirmare*, et aliis locis. Quæram porro, quid *diluere* et *infirmare* differant, ut *aut* interpositum

matur [aut allevatur]. Hæc fonte inventionis eodem utetur, quo utitur confirmatio, propterea quod, quibus ex locis aliqua res confirmari potest, iisdem potest ex locis infirmari. Nihil enim considerandum est in his omnibus inventionibus [4], nisi id, quod personis, aut negotiis attributum est [5]. Quare inventionem, et argumentationum expolitionem, ex illis, quæ ante præcepta sunt [6], hanc quoque in partem orationis transferri oportebit. Verumtamen, ut quædam præceptio detur hujus quoque partis, exponemus modos reprehensionis; quos qui observabunt, facilius ea, quæ contra dicentur, diluere aut infirmare poterunt.

(XLIII.) Omnis argumentatio reprehenditur, si aut ex iis, quæ sumpta sunt [7], non conceditur aliquod unum plurave; aut, his concessis, complexio confici ex his negatur; aut si genus ipsum argumentationis vitiosum ostenditur; aut si contra firmam argumentationem, alia æque firma, aut firmior ponitur. Ex iis, quæ sumuntur, aliquid non conceditur, quum aut id, quod credibile [8] dicunt, negatur esse ejusmodi; aut quod comparabile putant, dissimile ostenditur; aut judicatum aliam in partem traducitur, aut omni-

sit. Nihil profecto. Nam in ipsa tractatione semper infirmandi verbo utitur, ut appareat, esse tantum diversos tropos, alterum altero simpliciorem. Igitur debet esse *atque*, nisi sic accipimus *aut*. Ern. — Schützius dat : « diluitur, aut elevatur ». Sic jam, inquit, Nizolius legit, et id unice verum. *Infirmatur* glossema est τοῦ « elevatur »; et « alleviatur » ex hac lectione scribendi vitio corruptum.

4. *In his omnibus inventionibus* Schützius delet *inventionibus* ut glossatori debitum, quia verba « in his omnibus », sicut ex Victorini interpretatione patet, referuntur ad antecedens *locis*.

5. *Aut negotiis attributum est.* De quibus cap. 24.

6. *Quæ ante præcepta sunt.* Respice c. 40.

7. *Ex iis, quæ sumpta sunt.* Propositione et assumptione.

8. *Quod credibile.* Post hæc verba Schützius addit : « aut quod signum esse adversarii dixerunt, id ejusmodi negatur esse, aut quod comp. etc. » quæ verba infra posita, huc retraxit, ut obtemperaret ordini quo diversa membra divisionis deinceps tractantur.

no judicium improbatur; aut, quod signum esse adversarii dixerunt, id ejusmodi negatur[9] esse; aut si complexio, aut ex una[10], aut ex utraque parte reprehenditur; aut si enumeratio falsa ostenditur; aut si simplex conclusio falsi aliquid continere demonstratur. Nam omne, quod sumitur ad argumentandum, sive pro probabili, sive pro necessario, necesse est sumatur ex his locis, ut ante ostendimus.

XLIII. (XLIV.) Quod pro credibili[1] sumptum erit, id infirmabitur, si aut perspicue falsum erit, hoc modo : « Nemo est, qui non pecuniam, quam sapientiam malit » ; aut ex contrario quoque credibile aliquid habebit, hoc modo : « Quis est, qui non officii cupidior sit, quam pecuniæ? » aut erit omnino incredibile, ut si quis[2], quem constet esse avarum, dicat, alicujus mediocris officii causa, se maximam pecuniam neglexisse; aut si, quod in quibusdam rebus, aut hominibus accidit, id omnibus dicatur usu[3] evenire, hoc pacto : « Qui pauperes sunt, iis antiquior officio pecunia est. — Qui locus desertus est, in eo cædem factam esse oportet. — In loco celebri homo occidi qui potuit? » aut si id, quod raro fit, fieri omnino negetur[4] : ut Curio[5] pro Fulvio : « Nemo potest uno aspectu, neque præteriens, in amorem incidere ».

9. *Negatur*. Ern. *negetur*, non admonito lectore.

10. *Aut ex una, aut ex utraque parte*. Schützius dat, cum Lambin. Lallem. Oliv. « aut una, aut utraque ex parte », ut concinnius.

XLIV. 1. *Pro credibili*. De credibili resp. c. 42.

2. *Ut si quis, quem constet*. Schützius dat : « ut si aliquis, quem constat », sc. *aliquis* e cod. Voss. 1, *constat* e cod. Voss. c. schol. et Leid. 2.

3. *Usu evenire*. Schützius « usu venire » edidit, cum cod. Voss. 2, Leid. 2, 3, ex consuetudine, ait, Ciceronis.

4. *Omnino negetur*. Ita rectius cod. Leid. 1, quod probavit Oud. Ernesti etiam recepit. Olim erat *negatur*. SCH.

5. *Curio*. Sic, non *Curius*, ut olim legendum esse docuit Ernesti in clave Cic. Et sic est in cod. Voss. c. schol. Voss. 1, Leid. 1, a m. sec. et Leid. 3. SCH. — Curio pro Servio Fulvio Flac-

Quod autem pro signo[6] sumetur, id ex iisdem locis, quibus confirmatur, infirmabitur. Nam in signo, primum verum esse ostendi oportet : deinde ejus esse rei signum proprium, qua de re agitur, ut cruorem cædis : deinde factum esse, quod non[7] oportuerit; aut non factum, quod oportuerit : postremo scisse eum, de qua quæritur, ejus rei legem et consuetudinem[8]. Nam eæ res sunt signo attributæ : quas diligentius aperiemus[9], quum separatim de ipsa[10] conjecturali constitutione dicemus. Ergo horum unumquodque in reprehensione, aut non esse signo, aut parum magno esse, aut a se potius, quam ab adversariis stare, aut omnino falso dici, aut in aliam quoque suspicionem duci posse, demonstrabitur.

XLIV. Quum autem pro comparabili[1] aliquid inducetur, quoniam id per similitudinem maxime tractatur, in reprehendendo conveniet, simile id negare esse, quod conferetur ei, quicum conferetur[2]. Id fieri poterit, si demonstrabitur diversum esse genere, na-

co, quem de incestu reum ab illo defensum fuisse perspicitur ex Bruto, 32. Resp. Herenn. II, 20. Wetz.

6. *Pro signo*. De signo resp. c. 42.

7. *Quod non oportuerit*. Si quis forte quærat, quomodo hoc *signo* possit attribui, tenendum est, id h. l. de suspicione, quæ ex facto aliquo, quod fieri haud oportuisset, oriatur, sumi; unde tamquam ex signo colligatur, qui hoc fecerit, etiam illud, de quo quæretur, fecisse. Sch.

8. *Scisse... consuetudinem*. E. c. si Clodius scisset Miloni certo die constitutum fuisse, Lanuvium proficisci ad dictatorem ibi prodendum, ejus rei *legem* scisset; item : si quis alius hominem, quem in silva occidisse dicatur, scisset quotidie certa hora in hanc silvam prodeambulare solitum, scisset *consuetudinem*. Sch. — *Legem* hoc est igitur *necessitatem*.

9. *Quas diligentius aperiemus*. Infra II, 4.

10. *De ipsa conjecturali c. dicemus*. De signo vero, et de rebus signo attributis Cicero in libro secundo, ubi de conjecturali constitutione agit, diserte nusquam loqnutus est. Sch. — De conjecturali constitutione vide quæ annotata sunt ad cap. 8.

XLIV. 1. *Pro comparabili*. Resp. c. 42.

2. *Ei, quicum conferetur*. Gruterus dat « ei quicum confertur » ex Palatinis. At Grevenb. habet « ei cui confertur », quod malebat Gulielmius. Vulgata certe parum placet.

tura, vi, magnitudine, tempore, loco, persona, opinione; ac si, quo in numero illud, quod per similitudinem afferetur, et quo in loco hoc genus, cujus causa afferetur, haberi conveniat, ostendetur. Deinde, quid res cum re differat, demonstrabitur : ex quo docebimus, aliud de eo, quod comparabitur, et de eo, quicum comparabitur, existimari oportere. Hujus facultatis maxime indigemus[3], quum ea ipsa argumentatio, quæ per inductionem[4] tractatur, erit reprehendenda.

Sin judicatum[5] aliquod inferetur, quoniam id ex his locis[6] maxime firmatur : laude eorum, qui judicarunt; similitudine ejus rei, qua de agitur, ad eam rem, qua de judicatum est, et commemorando, non modo non esse reprehensum judicium, sed ab omnibus approbatum; et demonstrando, difficilius et majus fuisse id judicatum, quod afferatur, quam id, quod instet : ex contrariis locis, si res aut vera, aut verisimilis permittat[7], infirmari oportebit. Atque erit observandum diligenter, ne nihil ad id, quo de agatur[8], pertineat id, quod judicatum sit; et[9] videndum, ne ea res proferatur, in qua sit offensum[10], ut de

3. *Maxime indigemus.* An *indigebimus?* quum sequatur « erit reprehendenda » : sed sic video jam conjecisse Lamb. Ern. — Recepit Schützius *indigebimus.*

4. *Per inductionem.* Vide c. 31.

5. *Sin judicatum.* Dedimus pro *si jud.* e libris scr. Oud. et Cass. Gu. ed. pr. item post « et commemorando » addita copula e MSS et edd. pr. Omisit primus Aldus. Ern. — De judicato resp. c. 42.

6. *Ex his locis.* Revocavi *his* ex libris, temere omissum a neotericis, certe a Lambinianis. Grut.

7. *Permittat.* Schützius habet cum Lallem. *permittet.* Ern. dedit *permittat* e MSS aliis et suis, item edd. pr. a quibus recessit Aldus.

8. *Quo de agatur.* Lambini hanc conj. approbat Pal. sec. Vulgata enim « quod agatur ». Grut.

9. *Et videndum, ne ea res*, etc. Lallem. « et videndum est ». Sed Ernest. delevit *est* post *videndum* e MS Leid. 1, quia intelligi debet e præcedente parte *erit.*

10. *In qua sit offensum.* I. e. male judicatum et peccatum a judice, eaque re ignominia contracta. Ern.

ipso, qui judicarit, judicium fieri videatur. Oportet autem animadvertere, ne, quum aliter multa sint judicata, solitarium aliquod [11], aut rarum judicatum afferatur. Nam his rebus auctoritas judicati maxime potest infirmari. Atque ea quidem [12], quæ quasi probabilia sumentur [13], ad hunc modum tentari oportebit.

XLV. (XLV.) Quæ vero sicuti necessaria inducentur, ea si forte imitabuntur modo necessariam argumentationem, neque erunt ejusmodi, sic reprehendentur. Primum complexio [1], quæ, utrum concesseris, debet tollere, si vera est, numquam reprehendetur; sin falsa, duobus modis, aut conversione, aut alterius partis infirmatione. Conversione [2] hoc modo :

Nam si veretur [3], quid eum accuses, qui est probus?
Sin inverecundum animi ingenium possidet,

11. *Solitarium aliquod*, etc. Schützius dat : « sol. al. judicatum aut rarum » e MSS Ox. ed. 2. *Aliquid* habent Voss. 1, 2, Leid. 1, et Voss. c. schol. a. pr. m. In Leid. 1 abest *judicatum*; quod sane ex antecedentibus facile intelligitur, scribi non erat necesse. SCH.

12. *Atque ea quidem*. *Argumenta* quod hic in edd. addebatur, abest a MSS Oudend. plerisque, unde jam Ernesti recte delevit. SCH.

13. *Sumentur*. Sic correxi vulgatum *sumuntur* e Gu. 1, edd. vett. quia sequitur in contrario *inducentur*, pro quo MSS mult. edd. vett. habent *dicentur*. Illud sine dubio melius. ERN.

XLV. 1. *Primum complexio*. Hunc locum, quia est difficilior ad intelligendum non assuetis veteri dialecticæ, dilucidabimus breviter. Primum *complexio* h. l. est argumentatio, cujus ratio explicatur supra c. 29, estque simillima dilemmati, aut nititur dilemmate. Ea debet tollere, i. e. negare et falsum judicare, atque ostendere, utrumlibet e duobus sumptis concedatur ab adversario. Ea igitur argumentatio, si evidenter vera est, non debemus eam reprehendere velle, quia inanis est labor, et obest potius quam prodest. At si falsa et vitiosa est, quod aut in propositione non accurata est disjunctio aut partitio, etc. aut ex singulis non recte conclusum, tum reprehensio tentanda est, eaque facienda, aut per conversionem, aut, etc. ERN.

2. *Conversione*. Qua voce intelligit hoc refutandi genus, quod in scholis vulgo dicimus « retorquere argumentum ». CAPPER.

3. *Nam si veretur*. Iambici senarii sunt, ex Ennio sumpti. Nam auctor ad Herennium hos versus ipse quoque citat ex Ennio, lib. II, c. 26. NASC.— *Veretur*. H. e. verecundus est, ut e seqq. patet.

Quid eum accuses, qui id parvi auditu[4] existimet[5]?

Hic, sive vereri dixeris, sive non vereri, concedendum[6] hoc putat, ut neget esse accusandum. Quod conversione sic reprehendetur: « Immo vero accusandum est[7]. Nam si veretur, accuses : non enim parvi auditu æstimabit. Sin inverecundum animi ingenium possidet, tamen accuses : non enim probus est ». Alterius autem partis infirmatione, hoc modo reprehendetur: « Verum si veretur, accusatione tua[8] correctus, ab errato recedet ».

Enumeratio vitiosa intelligitur, si aut præteritum quiddam dicemus, quod velimus concedere, aut infirmum aliquid annumeratum, quod aut contra dici possit, aut causa non sit, quare non honeste possimus concedere. Præteritur quiddam in ejusmodi enumerationibus : « Quoniam habes istum equum, aut emeris oportet, aut hereditate possideas, aut munere acceperis, aut domi tibi natus sit, aut, si horum nihil est, surripueris necesse est. Sed neque emisti, neque hereditate venit, neque domi natus est[9], ne-

4. *Parvi auditu*. Schützius dat *parvi auditum*, auctoritate cod. Voss. c. schol.

5. *Existimet?* Sic rescripsi pro *æstimet* partim e MSS et edd. vett. partim ex Herenn. II, 26, et propter metrum quod in *æstimet* non constat. In sequentibus extra versum manere potest. Ern.

6. *Concedendum...neget esse*. « Concedendum » est vera lectio quam MSS Palat. Oud. Cass. Gu. uterque et ed. pr. habent; sed hæc requirit deinde *neget*, ut est in Cass. Gu. 1, a. m. pr. Leid. tertio. Nam præceptum pertinet non ad eum, cui præcipitur; sed ad eum cujus argumentatio refelli debet : is neget concedendum esse, ut alterum non accusandum fateatur. Alii « concludendum... neges ». Ern.

7. *Accusandum est*. Schützius dat cum Lallem. et Ern. « accusandus est ».

8. *Accusatione tua correctus, ab errato recedet*. Schützius dat *tua correptus*, ut exquisitius et aptius, e cod. Voss. 2, et ed. Omnib. quod jam Ern. non displicuerat.

9. *Neque domi natus est*, etc. Sch. dat : « neque donatus est, neque domi natus est ». Hunc verborum ordinem, inquit, unice verum et antecedentibus respondentem omnes MSS Oud. confirmant, qui recte miratur editores ab eo discessisse.

que donatus est : necesse est ergo surripueris ». Hoc commode reprehendetur[10], si dici possit ex hostibus equus esse captus, cujus prædæ sectio non[11] venierit : quo illato, infirmatur enumeratio; quoniam id sit inductum[12], quod præteritum sit in enumeratione.

XLVI. Altero autem modo reprehendetur, si aut contra aliquid dicitur[1] : hoc est, si, exempli causa, ut in eodem versemur, poterit ostendi hereditate venisse. Aut si extremum illud non erit turpe concedere; ut si quis, quum dixerint adversarii : « Aut insidias facere voluisti, aut amico morem gessisti, aut cupiditate elatus es »; amico se morem gessisse fateatur.

Simplex autem conclusio reprehendetur, si id, quod sequitur, non videatur necessario cum eo, quod antecessit, cohærere. Nam hoc quidem, « Si spiritum ducit, vidit; Si dies est, lucet »; ejusmodi est, ut cum priore necessario posterius cohærere videatur. Hoc autem : « Si mater est, diligit[2]; — Si aliquando peccavit, numquam corrigetur»; sic conveniet reprehendi,

10. *Hoc commode reprehendetur.* Sic correxi vulgo *reprehenditur :* nam sequentia ita postulant. Variant libri scripti « reprehendatur, reprehenderetur », Gu. 1 autem clare *reprehendetur.* Ern.

11. *Sectio non venierit.* Sine dubio sic legendum. Est elliptica orationis forma, quasi dictum esset : si dici possit ex hostibus equus esse in præda captus, cujus prædæ sectio non venierit. Itaque non est, quod corrigamus, « qui in prædæ sectione non venierit », ut Purgoldus opinatur. *Prædæ sectio*, h. e. ea pars prædæ, quæ ad populum pertinebat, plerumque vendebatur, et pecunia ex venditione collecta ærario inferebatur. Nonnumquam tamen intermissa est prædæ sectionis venditio; quod si fieret, milites, quæcumque pro præda cepissent, sibi servare poterant. Sch.

12. *Quoniam id sit inductum.* Hoc dicitur oblique et ex persona reprehendentis; inde conjunctivi. Ern. — Schützius contra, qui dat « id est inductum » : hic est, inquit, oratio definita, non obliqua, ut in sequentibus verbis.

XLVI. 1. *Dicitur.* Schützius cum Ern. et Lallem. *dicetur.*

2. *Si mater est, diligit.* Ed. Omnib. addit *filium*, quod abest Victorin. MSS Oudendorpii. Sch.

ut demonstretur non necessario cum priore posterius cohærere.

(XLVI.) Hoc genus, et cetera necessaria[3], et omnino omnis argumentatio, et ejus reprehensio majorem quamdam vim continet, et latius patet, quam hic exponitur : sed ejus artificii cognitio hujusmodi est, ut non ad hujus artis partem aliquam adjungi possit, sed ipsa separatim longi temporis, et magnæ atque arduæ cogitationis[4] indigeat. Quare illa nobis alio tempore atque ad aliud institutum, si facultas erit, explicabuntur. Nunc his præceptionibus rhetorum ad usum oratorium contentos nos esse oportebit[5]. Quum igitur ex iis, quæ sumuntur, aliquid non conceditur, sic infirmabitur.

XLVII. (XLVII.) Quum autem, his concessis, complexio[1] ex his non conficitur[2], hæc erunt consideranda : num aliud conficiatur, aliud dicatur[3], hoc modo : Si, quum aliquis dicat se profectum esse ad exercitum, contraque eum[4] quis velit hac argumentatione uti : « Si venisses ad exercitum, a tribunis militaribus visus esses; non es autem ab his visus; non es igitur profectus[5] ad exercitum »; hic quum

3. *Cetera necessaria*, etc. Cetera quæ necessario inde consequi affirmat adversarius. WETZ.

4. *Cogitationis.* Istud voluit Gulielmius ex codice Grevenb. nostri tamen accedunt vulgatis, *cognitionis*. GRUT. — *Cognitionis* MSS Oud. ed. Omnib. SCH.

5. *Oportebit.* Leid. 3, *oportet*. SCH.

XLVII. 1. *Complexio* hic et in sequentibus est *argumenti conclusio*.

2. *Conficitur.* Voss. 1, Leid. 2, *conficietur*. Voss. 2, *conficiatur*, male.

3. *Aliud conficiatur, aliud dicatur.* Non ea conclusio quæ exprimitur, sed alia ex præmissis sequatur.

4. *Contraque eum.* Schützius omittit *que* cum codd. Leid. 1, 3, Voss. 2, ed. Omnib.

5. *Non es ig. profectus.* Concludi debuit : Igitur ad exercitum non venisti. Aliud est ad exercitum proficisci, sive itineri se committere ad exercitum; alind est venire, sive pedem inferre in ipsa castra. Vitiosissima igitur conclusio, qua colligitur id quod nullatenus positum fuit sive in propositione, sive in assumptione.

concesseris propositionem et assumptionem, complexio est infirmanda : aliud enim, quam[6] cogebatur, illatum est.

(XLVIII.) Ac nunc quidem[7], quo facilius res cognosceretur, perspicuo et grandi vitio præditum posuimus exemplum; sed sæpe obscurius positum[8] vitium pro vero probatur, quum aut parum memineris, quid concesseris[9], aut ambiguum aliquid pro certo concesseris. Ambiguum si concesseris ex ea parte, quam ipse intellexeris[10]. eam partem si adversarius ad aliam partem per complexionem velit accommodare[11]; demonstrare oportebit, non ex eo, quod ipse concesseris, sed ex eo, quod ille sumpserit, confici complexionem, ad hunc modum : « Si pecuniæ indigetis, pecuniam non habetis; si pecuniam non habetis, pauperes estis : indigetis autem pecuniæ; mercaturæ enim, nisi ita esset, operam non daretis : pauperes igitur estis ». Hoc sic reprehenditur : Quum dicebas : « Si indigetis pecuniæ, pecuniam non habetis »; hoc intelligebam, « Si propter inopiam in egestate estis, pecuniam non habetis »; et idcirco concedebam. Quum autem hoc sumebas, « indigetis autem pecuniæ »; illud accipiebam, « vultis autem pecuniæ plus habere ».

Nota est hæc logicorum regula : nihil debet esse in consequente, quod non fuerit in antecedente. Pruteus.

6. *Quam cogebatur.* Ed. Omnib. male : « quam colligitur ». Sch.

7. *Ac nunc quidem.* Vulgo *at.* Sentiat quisque sua sponte, hic requiri *ac* : idque habent MSS Cass. Voss. edd. vett. Ern.

8. *Obscurius positum vitium.* Schützius delet *positum*, ut ex antecedenti *posuimus* librarii vitio ortum.

9. *Quid concesseris.* Sic e MSS Oud. rescripsi pro *quod* : nam alias deberet in *memineris* intelligi *ejus.* *Aliquid* autem post *ambiguum* ex iisdem et Cass. in Gu. per compendium scripta sunt verba. Ern.

10. *Ambiguum.....ex ea parte, quam ipse intellexeris.* Si propositionem ambiguam eo sensu admiseris, quo intellexeris.

11. *Eam partem si adversarius ad aliam partem per compl. v. accommodare.* Si in conclusione propositionem tuam adversarius non eo sensu quo

Ex quibus concessionibus non conficitur hoc, « pauperes igitur estis » : conficeretur autem, si tibi primo quoque hoc concessissem, « qui pecuniam majorem vellet habere, eum pecuniam non habere ».

XLVIII. Sæpe autem oblitum putant[1], quid concesseris, et idcirco id, quod non conficitur, quasi conficiatur, in conclusione infertur, hoc modo : « Si ad illum hereditas veniebat, verisimile est ab illo esse necatum[2] ». Deinde hoc approbant plurimis verbis; post assumunt, « ad illum autem hereditas veniebat »; deinde infertur, « ille igitur occidit ». Id ex iis, quæ sumpserant, non conficitur. Quare observare diligenter oportet, et quid sumatur, et quid ex his conficiatur.

(XLIX.) Ipsum autem genus argumentationis vitiosum[3] his de causis ostendetur, si aut in ipso vitium erit, aut si non ad id, quod instituitur, accommodabitur. Atque in ipso vitium erit, si omnino totum falsum erit, si commune[4], si vulgare[5], si leve, si remotum, si mala definitio[6], si controversum, si perspicuum[7], si non concessum, si turpe, si offensum, si contrarium, si inconstans, si adversum. Falsum est,

intellexeris, sed alio accipere voluerit.

XLVIII. 1. *Sæpe autem o. p. Sæpe autem* respicit c. 47, *primum aut.*

2. *Ab illo esse necatum.* Schützius delet *esse* cum MSS Oud. omnibus. — *Id ex iis, quæ*, etc. Schützius : « id quod ex iis », quod collegit Oud. auctore e lectione MSS Oud. et ed. Omnib. « idque ex iis ».

3. *Ipsum autem genus argumentationis vitiosum*, etc. Qui erat tertius argumenta adversariorum infirmandi modus, cap. 42. De re ipsa, vitiosis argumentationibus quas Noster h. l. quatuordecim enumerat, cap. 48, 50, resp. Herenn. lib. II, cap. 20. Wetz.

4. *Commune.* Ut supra exordium, c. 18; cf. Quintil. I. O. V, 13. Wetz.

5. *Vulgare.* Ut et exordium supra cap. 18. Wetz.

6. *Si mala definitio.* Pal. sec. tert. *definitione* : Suffridi nostri libri : « Si male definitum », quod verum ut existimem, reliqua periodi fere cogunt, reponendumque ex eisdem mox, cap. seq. Grut.

7. *Si perspicuum.* Quomodo ipso in argumento, si perspicuum erit, vitium tamen esse possit, magna cum perspicuitate docebit infra Tullius. Capper.

in quo perspicue mendacium est, hoc modo: « Non potest esse sapiens, qui pecuniam negligit; Socrates autem pecuniam negligebat; non igitur sapiens erat ». Commune est, quod nihilo magis ab adversariis, quam a nobis facit[8], hoc modo: « Idcirco, judices, quia veram causam habebam, brevi peroravi ». Vulgare est, quod in aliam quoque rem non probabilem, si nunc concessum sit, transferri possit, hoc modo: « Si veram causam non haberet, vobis se, judices, non commisisset[9] ». Leve est, quod aut post tempus dicitur, hoc modo: « Si in mentem venisset, non commisisset »; aut si perspicue[10] rem turpem levi tegere vult defensione, hoc modo:

Quum te expetebant[11] omnes, florentissimo
Regno reliqui: nunc desertum ab omnibus,
Summo periclo, sola ut restituam, paro.

XLIX. Remotum est, quod ultra quam satis est, petitur, hoc modo: « Quod si non P. Scipio Corneliam filiam Tib. Graccho collocasset, atque ex ea duos Gracchos[1] procreasset, tantæ seditiones natæ non essent: quare hoc incommodum Scipioni adscribendum videtur ». Hujusmodi est illa quoque conquestio:

Utinam ne in nemore[2] Pelio securibus
Cæsa cecidisset[3] abiegna ad terram trabes!

8. *Commune est, quod nihilo magis ab adv. quam a nobis facit.* Id est, quod in nostram causam non magis confert quam in adversariorum.

9. *Si veram causam... non commisisset.* Resp. 37; Her. II, 25.

10. *Aut si perspicue.* Syllabam *si* addidi sequutus fidem cod. Grevenb. Gaut. — Quem Sch. et Ern. sequuti sunt, at non Lallem.

11. *Quum te expetebant*, etc. Verba Atrei ad Thyestem, ex Ennio in tragœdia Thyeste. Aut levis, aut nulla est defensio. Omnes te suffragiis adjuvabant: mea opera non erat adeo utilis: te deserui. Paust.

XLIX. 1. *Ex ea duos Gracchos.* Monet ad oram Grev. etiam legi *duo*, antiquo videlicet modo. Gaut.

2. *Utinam ne in nemore*, etc. Versus ex Ennii Medea. Resp. Her. II, 22.

3. *Cæsa cecidisset.* Schützius dat: « cæsa accidisset », inducitque Ouden-

Longius enim repetita est, quam res postulabat. Mala definitio est, quum aut communia describit, hoc modo : « Seditiosus est is, qui malus atque inutilis est civis ». Nam hoc non magis seditiosi, quam ambitiosi, quam calumniatoris, quam alicujus improbi hominis vim describit. Aut falsum quiddam dicit, hoc pacto : « Sapientia est pecuniæ quærendæ intelligentia ». Aut aliquid non grave, nec magnum continens, sic : « Stultitia est immensæ gloriæ cupiditas ». Est hæc quidem stultitia, sed ex parte quadam, non ex omni genere, definita. Controversum est, in quo ad dubium demonstrandum dubia causa affertur[4], hoc modo :

Eho tu, dii, quibus est potestas motus superum atque inferum,
Pacem inter sese conciliant, conferunt concordiam.

Perspicuum est, de quo non est controversia : ut, « si quis, quum Orestem accuset, planum faciat, ab eo matrem esse occisam ». Non concessum est, quum id, quod augetur[5], in controversia est, ut, «si quis,

dorpium loquentem : MSS nec omnes et ed. Omnib. « cæsæ cecidissent ad terram trabes » : nisi quod in Voss. c. schol. sit *concidissent*. Mihi certum est, tam hic, quam lib. II ad Her. cap. 22, et in Topicis, cap. 16, ac de Natur. Deor. lib. III, cap. 30, de Fato, cap. 15, restitui debere « cæsa cecidisset abiegna ». Diserte enim in optimis Topicorum membranis Vossianis inveni : « nisi enim accidissent abiegnæ ad terram trabes ». Ut Davisius in suis, sic ego vidi in tribus membranis Leidd. de Nat. Deor. nec non in uno Voss. de Fato « cæsæ accidissent ». Veram lectionem ante Davisium ad loc. de Nat. Deor. jam vidit Gifanius ad Lucret. IV, 216. Quamquam ibi rectius ex MSS legas *in terram*, uti docuit Nic. Heins. ad Ov. Fast. V, 360, « accidere in menses ».

4. *Dubia causa affertur*. *Dubium affertur* cod. Voss. c. schol. haud improbante Oud. Sch. — *Dubia causa aff.* Argumentatio : « Mihi succensere non debes : nam ut dii inter se conveniunt, ita neque inter nos dissidium esse deceat ». Rem dubiam confirmaturus, adducit rem maxime dubiam ; deorum scilicet concordiam. Versus Ennii sunt, ex Euripidis Cresphonte. Mus. — Respice Herenn. lib. II, cap. 25.

5. *Quod augetur*. MS Cass. Gu. et edd. pr. *agitur*. Illud, quod Aldus primus edidit, verum est. Patet e sequentibus, « si quis in hoc maxime commoretur », quod est *augere*. Ern.

quum Ulyssem[6] accuset, in hoc maxime commoretur : Indignum esse, ab homine ignavissimo virum fortissimum, Ajacem, necatum ». Turpe est, quod aut eo loco, in quo dicitur; aut eo homine, qui dicit[7]; aut eo tempore, quo dicitur; aut iis, qui audiunt; aut ea re, qua de agitur, indignum, propter inhonestam rem[8], videtur. Offensum est, quod eorum, qui audiunt, voluntatem lædit : ut, « si quis apud equites romanos, cupidos judicandi, Cæpionis legem judiciariam[9] laudet ».

L. Contrarium est, quod contra ea dicitur, quæ ii, qui audiunt, fecerunt : ut, si quis apud Alexandrum Macedonem contra aliquem urbis expugnatorem diceret, « nihil esse crudelius, quam urbes diruere », quum ipse Alexander Thebas diruisset. Inconstans est, quod ab eodem de eadem re diverse dicitur : ut, « si quis, quum dixerit, qui virtutem habeat, eum nullius rei ad bene vivendum indigere, neget postea sine bona valitudine posse bene vivere; aut se amico adesse propter benivolentiam; sperare enim[1] aliquid commodi ad se perventurum ». Adversum est, quod

6. *Ulyssem*. *Ulixen* cod. Voss. c. schol. quod probat Oudend. Alii *Ulixem*. Sch.

7. *Qui dicit*. Vulgo *dicat*, male : nam cetera verba omnia sunt in indicativo. Ern.

8. *Propter inhonestam rem*. Schützius corrigit « propter inhonestatem », quia commode non dicitur : « aut ea re... indignum propter inhonestam rem ».

9. *Cæpionis legem judiciariam*. Cod. Voss. 1, Leid. 2, 3, dant : « Cæpionis legem agrariam » : male. Agitur enim de lege judiciaria Q. Servilii Cæpionis, a. U. c. 647 lata, qua judicia cum senatu et equitibus communicabantur, quæ lege Sempronia a. U. c. 630, ad equites a senatu fuerant translata. Sch.

L. 1. *Sp. enim*. MSS plures et edd. pr. *tamen*, pro quo Aldus *enim* dedit. Sane *tamen* melius. Utrumque spurium judicat Oud. et in schol. MS reperit neutrum. Gu. 1, « aut sperare al. » an *at sp. a.* quid si : « sperare dicat » : nam verbum tale desideratur, quod contrarium sit præcedenti *neget*. Ern. — Hæc prorsus Ernestii conjectura Schützium induxit, ut post *benivolentiam* adderet *aiat*, quod collegit ex lectione Gu. 1, « aut sperare »,

ipsi causæ aliqua ex parte officit : ut « si quis hostium vim, et copias, et felicitatem augeat, quum ad pugnandum milites adhortetur ».

(L.) Si non ad id, quod instituitur[2], accommodabitur aliqua pars argumentationis, horum aliquo in vitio reperietur[3] : si plura pollicitus pauciora demonstrabit; aut si, quum totum debebit ostendere, de parte aliqua loquetur, hoc modo : « Mulierum genus avarum est; nam Eriphyle auro viri vitam vendidit »; aut si non id, quod accusabitur, defendet : ut, « si quis, quum ambitus accusabitur[4], manu se fortem esse defendet » : ut « Amphion apud Euripidem, item apud Pacuvium, qui, vituperata musica, sapientiam laudat »; aut si res ex hominis vitio vituperabitur, ut, « si quis doctrinam ex alicujus docti vitiis reprehendat[5] »; aut si qui[6], quum aliquem volet laudare, de felicitate ejus, non de virtute dicat[7]; aut si qui rem cum re ita comparabit, ut alteram se non putet laudare, nisi alteram vituperarit; aut si alteram ita laudet, ut alterius non faciat mentionem; aut si, quum de certa re quæretur, de communi instituetur oratio : ut, « si quis, quum aliqui deliberent, bellum

quod forsan, inquit, ex « siat, sperare » ortum sit.

2. *Instituitur.* Lallem. « institutum est ». Idem infra *loquatur* pro *loquetur*, cum Ernestio.

3. *Horum al. in v. reperietur.* Id est, reperiemus ejusmodi argumentationem aliquo horum vitiorum quæ sequuntur, laborare. Pergit jam ad alterum vitiosæ argumentationis genus. Wetz.

4. *Accusabitur ... defendet.* Schützius dat « accusetur ... defendat ». Male hic, inquit, futurum tempus repetitur. Semper enim in exemplis, quæ locis argumentorum vitiosis subjiciuntur, conjunctivus præsentis excipit futurum indicativi. Sic postea : « aut si quum de certa re *quæritur*, de communi *instituatur* oratio, etc. »

5. *Reprehendat.* Hoc loco iterum recte præsens conjunctivi ponitur, non, ut Lambinus edidit, *reprehendet*. Sch.

6. *Aut si qui.* Lallem. « aut si quis »; item infra « aut si quis rem » pro « aut si qui rem ». Idem fecit Schützius utroque loco.

7. *Dicat... aut si alter. ita laudet.* Schützius dat « dicet ... aut si alteram

gerant[8], an non, pacem laudet omnino, non illud bellum inutile esse demonstret»; aut si ratio alicujus rei reddetur falsa, hoc modo : « Pecunia bonum est, propterea quod ea maxime vitam beatam efficit[9]» ; aut si infirma, ut Plautus,

> Amicum castigare[10] ob meritam noxiam,
> Immune est facinus; verum in ætate utile
> Et conducibile : nam ego amicum hodie meum
> Concastigabo pro commerita noxia[11];

aut eadem, hoc modo : « Maximum malum est avaritia; multos enim magnis incommodis affecit[12] pecuniæ cupiditas» ; aut parum idonea, hoc modo : « Maximum bonum est amicitia; plurimæ enim delectationes[13] sunt in amicitia ».

LI. (LI.) Quartus modus erat reprehensionis, per

ita laudabit ». Hic, inquit, recte Lambinus futurum tempus adhibuit, quod consecutio membrorum, ut posteriora prioribus congruant, necessario postulat. Ceterum in prioribus edd. memorabili vitio transposita erant verba « aut si de communi instituetur oratio », post verba : « ut si quis quum... inutile esse demonstret ». Primus correxit Jan. Gulielmius e MSS et Grut. e codd. Pall. Sch.

8. *Bellum gerant*. Sic Ernesti auctoritate MSS Gu. 1, 2, Cass. rescripsit, ut sententiæ convenientius. Vulgo « bellum geratur ». Sch.

9. *Efficit*. Pro vulgato *efficiat*, quod nullo modo locum habet. Non enim est obliqua oratio; et pronuntiatur sine dubitatione. Mox in *si infirma* MSS Oud. non habent *si*. Et potest abesse, ut mox « aut parum idonea ». Sed non est tanti. Ern.

10. *Amicum castig*. In Trinummo, act. I, sc. 1, vs. 1. De Plauti versibus immerito fortasse reprehensis respice Her. II, 23.

11. *Pro commerita noxia*. Schützius cum Lallem. addit hunc versum : « Invitus, ni me id invitet, ut faciam fides », ne admonito quidem lectore. Qui versus non apparet apud Ernest. nec apud Guter. qui testatur eum in nullo Pall. nec in Grev. inveniri : habet Lambinus, tum Bipontina editio et Wetzelius.

12. *Affecit*. Pro vulgato *afficit* rectius MSS Oud. Cass. etc. pr. nam ab experientia sumitur argumentum. Ern. — Quasi, increpat Schützius, non ab eadem experientia sumatur, si quis dicat « multos afficit », sed quoniam h. l. exemplum affertur argumenti, quo idem per idem demonstratur, præsens tempus, ut in sequente exemplo rationis parum idoneæ, aptius est.

13. *Delectationes*. Amicitiæ parum tribuit, qui delectationes tantum ex ea sperat.

quem contra firmam argumentationem, æque firma aut firmior ponebatur[1]. Hoc genus[2] in deliberationibus maxime versabitur, quum aliquid, quod contra dicatur, æquum esse concedimus, sed id, quod nos defendimus, necessarium esse demonstramus : aut quum id, quod illi defendant, utile esse fateamur; quod nos dicamus, demonstremus esse honestum. Ac de reprehensione hæc quidem existimavimus esse dicenda. Deinceps[3] nunc de conclusione ponemus.

(LII.) Hermagoras degressionem[4] deinde, tum postremam conclusionem ponit. In hac autem degressione ille putat oportere quamdam inferri orationem, a causa, atque a judicatione ipsa remotam, quæ aut sui laudem, aut adversarii vituperationem contineat, aut in aliam causam deducat, ex qua conficiat aliquid confirmationis, aut reprehensionis, non argumentando, sed augendo per quamdam amplificationem. Hanc si quis partem putarit orationis, sequatur Herma-

LI. 1. *Ponebatur.* Schützius dat *ponitur* cum Victorin. et cod. Voss. e schol. ed. Omnib. hic, inquit, præsens tempus requiritur, etsi præcedat *erat.* Is modus per quem... *ponitur,* in partitione nostra quartus *erit* modus. Neque vero est, quod *erit* rescribamus, ut Oudendorpio placebat. Sch.

2. *Hoc genus*, etc. In hac ῥήσει tempora non constant. In prima parte sunt indicativi, in altera conjunctivi : et totum pendet a *versabitur*, sive, ut cod. vett. habent, *versatur.* Utra pars alteri sit accommodanda, non decernam. Lambinus rem sensit, correxitque *fatemur, demonstramus.* Debebat etiam corrigere *defendemus*, et sic a Cicerone esse scriptum vix dubitamus. Ern. — Schützius dat : « versatur... defendamus... fatemur... demonstramus esse honestum ». — De deliberationibus infra II, 52.

3. *Deinceps... ponemus.* In hoc loco valde variant libri. Assentior Oud. qui totum delendum putat. MS Gu. 1, *conclusionem*, m. sec. addidit *ponemus.* Ernest. — Schützius hanc phrasim omnino ejecit ut spuriam. Antequam, inquit, hac transitionis formula uti posset auctor, quæ recte in fine cap. 52 ponitur, de *degressione* ex Hermagoræ sententia agendum erat.

4. *Degressionem.* Ita cum Lambino et Ernestio scribendum duximus, et paullo post *degredi*; memores eorum, quæ Dukerus ad Florum, et Grævius de differentia verborum *degredi* et *digredi* observarunt. Sch. — De causis autem et de degressionibus

goram licebit[5]. Nam et augendi, et laudandi, et vituperandi præcepta a nobis partim data sunt, partim suo loco dabuntur. Nobis autem non placet[6], hanc partem in numero reponi, quod de causa degredi, nisi per locum communem[7], displicet; quo de genere posterius est dicendum[8]. Laudes autem et vituperationes non separatim placet tractari, sed in ipsis argumentationibus esse implicitas. Nunc de conclusione dicemus.

LII. (LIII.) Conclusio[1] est exitus et determinatio totius orationis : hæc habet partes tres, enumerationem, indignationem, conquestionem. Enumeratio est[2], per quam res disperse et diffuse dictæ unum in locum coguntur, et reminiscendi causa unum sub adspectum subjiciuntur. Hæc si semper eodem modo tractabitur, perspicue ab omnibus artificio quodam

bene præcipit Cicero, Orat. 2; de claris Or. III, 53. WETZ. — De Hermagora vide notam ad Herennium, I, 11.

5. *Hermagoram licebit. Hermagoram* abest a codd. Oudend. et edit. Omnib. Non tamen omittendum arbitror, ne fiat sententia ambigua. *Licebit* autem sic intelligendum, q. d. « per nos licebit ». Sic apparet, quomodo sequentia his jungantur: « Nam et augendi, etc. » Scilicet significat Cicero, si quis velit Hermagoram sequi, in se nullam esse moram, nam quæ sint augendi, laudandi, vituperandi præcepta, ea se partim dedisse, partim suo loco daturum esse. SCH.

6. *Non placet.* In MSS Oud. et ed. Omnib. legitur « Nobis autem non placuit », quod recte improbavit Ernesti. Si Cicero scripsisset *placuit*, debuisset etiam scribere non *reponi*, sed *reponere*. SCH.

7. *Nisi per locum communem.* Locus communis hic significat orationis particulam, aut etiam oratiunculam, quæ habetur de virtutibus aut in vitia, personis non nominatis, et pertinet ad quoddam rhetorices *progymnasma*, quod Hermogeni sextum est. Tres alios « loci communis » significatus exposuimus ad Quintilian. lib. V, cap. 1, pag. 263, not. 15, et cap. 13, pag. 326, not. 103. CAPP.

8. *Quo de genere posterius est dicendum.* De his enim locis communibus vide infra, II, 15.

LII. 1. *Conclusio.* Sexta orationis pars. Resp. cap. 42. De cujus partibus consule notam ad Her. II, 30.

2. *Enumeratio est.* Ἀνακεφαλαίωσιν Græci vocant, quia per summa dictarum rerum capita decurrit, ut docet Quintil. lib. VI, cap. 1, pag. 361, ubi vide notas 5 et 8. CAPP. — Conf. Her. II, 30.

tractari intelligetur; sin varie fiet[3], et hanc suspicionem et satietatem vitare poterit. Quare tum oportebit ita facere[4], ut plerique faciunt propter facilitatem, singillatim unamquamque rem attingere[5], et ita omnes transire breviter argumentationes[6]; tum autem id[7], quod difficilius est, dicere, quas partes exposueris in partitione, de quibus te pollicitus sis dicturum, et reducere in memoriam[8], quibus rationibus unamquamque partem confirmaris; tum ab iis, qui audiunt, quærere, quid sit, quod sibi velle[9] debeant demonstrari, hoc modo[10] : « Illud docuimus, illud planum fecimus». Ita simul et in memoriam redibit auditor, et putabit nihil esse præterea, quod debeat desiderare.

3. *Sin varie fiet.* Schütz. *fiet* recidit, ut Ernestio placebat, et quod jam olim Omnibonus fecerat.

4. *Ita facere.* Hæc verba spuria nobis videntur. Sch.

5. *Sing. un. rem attingere.* Ut planius intelligatur quid sit quo hic primus enumerationis modus a secundo differat, comparandus est locus ad Herenn. II, 30 : « Item curandum est ... in confirmatione et confutatione ». Itaque primo loco Cicero eum enumerationis modum, quo omnia singillatim repetuntur, altero eum quo per capita itur et ad partitionem omnia referuntur exponit. Sch.

6. *Transire breviter arg.* Placebat Lambino aliorum *transigere :* sed contra exemplaria vetusta, neque ratio postulat. Grut. — *Transire.* Id est, dicendo percurrere. Græce διέρχεσθαι, διεξοδεύειν, μετέρχεσθαι, διεξιέναι. Eodem sensu Tullius pro Roscio Amerino, cap. 32 : « sed in animo est leviter transire, ac tantummodo perstringere unamquamque rem ». Capp.

7. *Tum autem id, quod diff.* Hanc Schützius damnat interpunctionem, qui distinguit : « tum autem, id quod difficilius ».

8. *Et reducere in memoriam.* Pal. sec. ac tert. *reducturum*, quod monere visum est. Grut.

9. *Quod sibi velle d. demonstrari.* Variant hic libri, nec ex iis certi quid extricari potest. Conf. II, 43, ubi sic est : « quid præterea audire aut exspectare debeat » : quod eodem redit : unde vulgatum commode servatur. Sch. — Schützius dat « quod sibi velint amplius dem. » Quod reposuimus, inquit, et aptum est ad sensum, et simili loco sub finem hujus capitis respondet, ubi dicitur : « quidnam amplius desideratis judices » : denique Victorini paraphrasi confirmatur qui h. l. sic reddidit : « quid amplius velint cognoscere ».

10. *Hoc modo : Illud doc. ill. p. f.* Sic Pal. pr. ac sec. neque habebat editionum prima, nisi quod haberet, « Illud docuimus, hoc planum fec. »

Atque in his generibus (ut ante dictum est) tum tuas argumentationes transire separatim; tum id[11], quod artificiosius est, cum tuis contrarias conjungere; et quum tuam argumentationem dixeris, tum, contra eam quod afferebatur, quemadmodum dilueris, ostendere. Ita per brevem comparationem, auditoris memoria et de confirmatione, et de reprehensione redintegrabitur. Atque hæc aliis actionis[12] quoque modis variare oportebit. Nam quum ex tua persona enumerare possis, ut, quid, et quo quidque loco dixeris, admoneas; tum vero personam aut rem aliquam inducere, et enumerationem ei totam attribuere. Personam hoc modo : « Nam si[13] legis scriptor exsistat, et quærat a vobis, quid dubitetis; quid possitis dicere, quum vobis hoc et hoc sit demonstratum ? » Atque hic, item ut in nostra persona[14], licebit alias singillatim transire omnes argumentationes, alias ad partitiones singula genera referre, alias ab auditore, quid desideret, quærere, alias hæc facere per comparationem suarum et contrariarum argumentationum.

Vulgata : « Docuimus hoc, illud pl. fec. » Grut. — Hæc autem verba glossatori debita Schütz. arbitratur. Cicero, inquit, quærendum esse dixerat ab iis, qui audirent, quid esset quod sibi amplius vellent demonstrari; quomodo igitur quadrabat, exemplum non quæstionis, sed enuntiationis ponere? Sch.

11. *Tum id, quod.* Sch. damnat hanc interpunctionem, distinguens « tum, id quod », ut supra.

12. *Actionis quoque modis.* Schütz. dat « dictionis quoque modis », quia de actione hic non agitur, conferrique jubet ad Her. IV, 45.

13. *Nam si...demonstratum.* Non audiendus est Oudend. qui sic h. l. legendum putat : « Numquid si legis scriptor exsistat, et quærat si quid a vobis, dubitetis dicere? » Vulgatum integrum est et sanum, modo notetur in verbis « quid possitis dicere » esse apodosin, quæ refertur ad « nam si, etc. » Sch.

14. *Ut in nostra persona, licebit*, etc. Tunc veluti si non aliam personam induxisses, licebit percurrere omnes argumentationes singulas, tum referre singula genera ad partitiones (enumerare de quibus partibus singulis exposueris in partitione), tum ab auditore quid desideret quærere, tum tuas cum contrariis argumentationibus componendo, has diluere, illas confirmare. Wetz.

Res autem inducetur[15], si alicui rei hujusmodi, legi, loco, urbi, monumento attribuetur oratio per enumerationem, hoc modo : « Quid? si leges loqui possent, nonne hæc apud vos quererentur? Quidnam amplius desideratis, judices, quum vobis hoc et hoc planum factum sit? » In hoc quoque genere[16] omnibus eisdem modis uti licebit. Commune autem præceptum hoc datur ad enumerationem, ut ex unaquaque argumentatione, quoniam tota iterum dici non potest, id eligatur, quod erit gravissimum, et unumquodque quam brevissime transeatur; ut memoria, non oratio renovata videatur[17].

LIII. (LIV.) Indignatio est oratio, per quam conficitur, ut in aliquem hominem magnum odium, aut in rem[1] gravis offensio concitetur. In hoc genere illud primum intelligi volumus, posse omnibus ex locis iis, quos in confirmandi præceptis posuimus[2], tractari indignationem. Nam ex iis rebus, quæ personis atque negotiis[3] attributæ sunt, quævis amplificationes et indignationes[4] nasci possunt : sed tamen ea, quæ se-

15. *Res autem... urbi, monumento.* Schützius sic verba transponit, « Res autem inducetur, si lege, loco, urbi, monumento aut alicui rei hujusmodi », auctore Victorino, atque structuræ elegantioris causa, quia nemini placere posse putat ita dictum « Res inducetur... si alicui rei ».

16. *In hoc quoque genere ... licebit.* Errat Purgoldus, quum legendum opinatur : « In hoc quoque genere non omnibus eisdem modis uti licebit ». Nempe putabat h. l. referri ad initium hujus capitis, ubi negatur enumerationem semper eodem modo tractari oportere. Verum hic locus de « re inducenda » respicit illum proxime antecedentem de « persona inducenda », et in hoc quidem omnes illos modos adhiberi posse dicitur, ut *alias* ad partitiones singula genera referantur, *alias* ab auditore quid desideret, quæratur. SCH.

17. *Indignatio.* Altera conclusionis pars. Cap. 52. WETZ.

LIII. 1. *Aut in rem.* Cod. Voss. c. schol. « aut in aliquam rem », quod probat Oudend. SCH.— Non opus est.

2. *Ex locis iis, q. in c. p. posuimus.* A capite 24 ad 41.

3. *Atque negotiis.* Schützius dat « et quæ neg. » e cod. Voss. c. schol. Oudendorp. probatum. Leid. 3 habet « aut quæ », et sic etiam cod. Fulv. Ursini. SCH.

4. *Quævis ampl. et indignationes.*

paratim de indignatione præcipi possunt, consideremus.

Primus locus sumitur ab auctoritate, quum commemoramus, quantæ curæ res ea fuerit [5] diis immortalibus, aut eis, quorum auctoritas gravissima debeat esse. Qui locus sumetur ex sortibus [6], ex oraculis [7], vatibus, ostentis, prodigiis, responsis, et similibus rebus, item ex majoribus nostris, regibus, civitatibus, gentibus, hominibus sapientissimis, senatu, populo, legum scriptoribus. Secundus locus est, per quem, illa res ad quos pertineat [8], cum amplificatione, per indignationem, ostenditur, an ad omnes [9], aut ad majorem partem, quod atrocissimum est; an ad superiores, quales sunt ii, quorum ex auctoritate indignatio sumitur, quod indignissimum est [10]; an ad pares

Schütz. delet « et indignationes » cum edit Omnib. Nam hoc, inquit, tantum requiritur vocabulum generis *amplificationis*, cui subjecta est ut species *indignatio*; quum igitur dicitur « quavis ampl. » non debet apponi « et indignationes ». Sch. — Quos Noster h. l. enumerat locos indignationis, eosdem decem priores enumeravit (Her. II, 30) amplificationis locos.

5. *Fuerit diis imm.* Delevi *aut* ante *diis* auctoritate MSS Oudend. et Gu. utriusque et edd. pr. Primus dedit Aldus. Ern.

6. *Ex sortibus*. De sortibus consule Ruperti ad Juvenal. I, 82. Wetz.

7. *Ex oraculis*. Delet *ex*, ut inutile, Schützius.

8. *Ad quos pertineat*. Hoc est, qui sint hac re violati.

9. *An ad omnes...an ad superiores...an ad pares...an ad inferiores.* Cod. Voss. c. schol. a pr. m. item Voss. 1, 2, cum edit. Omnib. Hic quatuor pro particula *an* præbent *aut*. Id probavit Oudend. non enim *quæri* ad quos pertineat, sed *ostendi* ad quos pertineat. Sed hæc vana est subtilitas, quæ Ernestio quoque illusit. Nam si dicitur aliquis ostendere, ad quos pertineat aliquid, in hoc *ostendendi* verbi simul notio *quærendi* includitur. Et vero *an* h. l. scriptum esse a Cicerone similis locus, quem hic sequutus, in lib. ad Herenn. II, cap. 30, evincit, ubi auctor ille, « Secundus locus est, inquit, quum consideramus, illæ res, de quibus criminamur, ad quos pertineant, utrum ad omnes, quod atrocissimum est, an ad superiores...an ad pares...an ad inferiores ». Ceterum in hoc inciso, « an ad omnes, aut ad majorem partem » retinui *aut*, quia hic in verbis « ad majorem partem », non novum interrogandi membrum continetur, sed primum tantum restringitur; *aut* enim hic idem valet, quod alias « aut certe ». Sch.

10. *Quod ind. est.* Hic Schützius

animo, fortuna, corpore, quod iniquissimum est; an ad inferiores, quod superbissimum est. Tertius locus est, per quem quærimus, quidnam sit eventurum, si idem ceteri faciant; et simul ostendimus, huic si concessum sit, multos æmulos ejusdem audaciæ futuros: ex quo, quid mali sit eventurum, demonstrabimus. Quartus locus est, per quem demonstramus, multos alacres exspectare, quid statuatur; ut ex eo, quod uni concessum sit, sibi quoque tali de re quid liceat, intelligere possint. Quintus locus est, per quem ostendimus, ceteras res perperam constitutas, intellecta veritate, commutatas corrigi[11] posse: hanc esse rem, quæ si sit semel judicata, neque alio commutari judicio, neque ulla potestate corrigi possit. Sextus locus est, per quem consulto et de industria factum esse demonstratur, et illud adjungitur, voluntario maleficio veniam dari non oportere; imprudentiæ concedi[12] nonnumquam convenire. Septimus locus est, per quem indignamur, quod tetrum, crudele, nefarium, tyrannicum factum esse[13] dicamus, per vim,

delet *est*, item infra post *superbissimum*.—*Superiores* interpretatur Wetzelius per *majores*, male. Eos intelligit Tullius, qui animo, fortuna, corpore nobis præstant.

11. *Commutatas corrigi*. Schützius dat « commutari aut corrigi ». Sic, inquit, emendandum duxi vulgatam, quod sensum nec per se satis aptum præbet, nec sequentibus verbis: « neque ullo commutari judicio...neque ulla potestate corrigi, etc. » accurate respondet. Oudendorpio prorsus delendum videtur *commutatas*, et abest in cod. Voss. c. schol. a m. pr. Sed *commutare* est rei alicui prorsus sublatæ aliam substituere, *corrigere* est rem vitiosam servare quidem, sed ita, ut vitia emendes. Itaque utrumque h. l. requiritur. Sch.

12. *Imprudentiæ concedi*. Eleganter pro *condonari* V. Clar. Itaque non audiam MS Leid. in quo omittitur, ut intelligatur e præcedentibus veniam dari. Ceterum fortasse transposita sunt membra, et sic fuit: « imprudentiæ...convenire, voluntario...oportere »; nam sic Cicero solet struere, ut in proxime antecedentibus. Ern. — Schützius servari debere ordinem vulgatum putat, quia sic est in loco simili ad Herenn. II, 30. Idem cum Ernestio probat *concedi*.

13. *Per quem...factum esse...per vim*, etc. Schützius dat: « per quem indignamur, quod tetrum, crudele,

per manum opulentam[14], quæ res ab legibus et ab æquabili jure remotissima sit.

LIV. Octavus locus est, per quem demonstramus, non vulgare, neque factitatum esse, ne ab audacissimis quidem hominibus, id maleficium, de quo agitur; atque id a feris quoque hominibus, et a barbaris gentibus, et immanibus bestiis remotum esse. Hæc erunt, quæ in parentes, liberos, conjuges, consanguineos, supplices, crudeliter facta dicentur; et deinceps si qua proferantur in majores natu, in hospites, in vicinos, in amicos, in eos, quibuscum vitam egeris; in eos, apud quos educatus sis, in eos, a quibus eruditus, in mortuos, in miseros et misericordia dignos, in homines claros, nobiles et honore usos[1], in eos, qui neque lædere alium, nec se defendere potuerint[2], ut in pueros, senes, mulieres : quibus omnibus[3] acriter excitata indignatio, summum in eum, qui violarit horum aliquid[4], odium commovere poterit.

nefarium, tyrannicum facinus esse dicamus, factum esse per vim, etc. » In vulgata, inquit, primum hoc ineptum est, quod indignatio videatur ad id, quod ab oratore dicatur, non ad id, quod factum sit, pertinere; nam si dicitur « indignamur, quod dicamus », hoc idem est ac « indignamur nos dicere »; sicut infra : « indignamur, quod nobis hoc primum acciderit », idem valet ac « indignamur nobis accidisse ». — Vocabulum *facinus* h. l. adhibitum esse, colligitur e loco simili ad Herenn. II, 30 : « Septimus locus est, quo ostendemus tetrum facinus, crudele, nefarium, tyrannicum esse ». Sch.

14. *Per manum opulentam*. Hæc lectio jam Ernestium aliosque male habuit. Sed in edd. vett. et cod. Palat. teste Grutero, est « manum, opulentiam ». Recte. Nam potest crudele facinus astu ac dolo perpetrari; potest item per *vim*, h. e. unius hominis, per *manum*, scil. armatam multorum, per *opulentiam*, h. e. abusu potentiæ per opes acquisitæ. Ceterum Purgold. conj. « per manum opulentium ». Sch.

LIV. 1. *Et honore usos*. Id est, magistratus. Vid. Clav. in hac voce. Ernest.

2. *Potuerint*. Vulgo *potuerunt* : sed præcepit « quibuscum vitam egeris... apud quos educatus sis »; quæ necessariam faciunt correctionem. In MSS ultima syllaba per compendium scripta est; unde error natus. Ern.

3. *Quibus omnibus*. Schütz. « quibus ex omnibus » e codd. Voss. 1, Leid. 2, ed. Omnib.

4. *Violàrit horum aliquid*. Schütz. dat « horum aliquem violarit » e cod.

Nonus locus est, per quem cum aliis, quæ constat esse peccata, hoc, quo de quæstio est, comparatur; et ita per contentionem [5], quanto atrocius et indignius sit illud, quo de agitur, ostenditur. Decimus locus est, per quem omnia, quæ in negotio gerendo acta sunt, quæque post negotium consequuta sunt [6], cum uniuscujusque [7] indignatione et criminatione colligimus, et rem verbis quam maxime ante oculos ejus, apud quem dicitur, ponimus; ut id, quod indignum est, perinde illi videatur indignum, ac si ipse interfuerit, ac præsens viderit. Undecimus locus est [8], per quem ostendimus ab eo factum, a quo minime oportuerit, et a quo, si alius faceret, prohiberi conveniret. Duodecimus locus est, per quem indignamur, quod nobis hoc primis acciderit, nec alicui umquam usu evenerit [9]. Tertiusdecimus locus est, si cum injuria contumelia juncta demonstratur, per quem locum in superbiam et arrogantiam odium concitatur. Quartusdecimus locus est, per quem petimus ab iis, qui audiunt, ut ad suas res nostras injurias referant; si ad pueros pertinebit, de liberis suis cogitent; si ad mulieres, de uxoribus; si ad senes, de patribus aut parentibus [10]. Quintusdecimus locus est, per quem

Voss. c. schol. Oudend. probante, ut aptius præcedentibus.

5. *Contentionem*, quam vocat Her. comparationem, II, 30.

6. *Post negotium consequuta sunt.* Oud. *gestum* excidisse putat. Ego *post* deleri malim: supra I, 28, « res, quæ gestum negotium consequatur ». Sed non est necesse. Ad Div. I, 5: « tempora, quæ post profectionem tuam consequuta sunt ». Ern.

7. *Cum uniuscujusque ind. et crim.* *Uniuscujusque* durius jungitur *indignationi*, et proprie convenit tantum *criminationi*; sed hujus formæ multa apud Veteres exempla sunt, int. indignatione in unoquoque commovenda.

8. *Undecimus locus est.* Hunc locum, et qui sequuntur, non habet Herennius.

9. *Usu evenerit.* Ita Pal. sec. ceteri et Grev. *venerit*, quod placebat Gulielmio; sic et Schutz. dedit e Voss. 2, Leid. 3. Sic et Gu. 1, teste Ernest. Vide ad cap. 10.

10. *De patribus aut parentibus.*

dicimus, inimicis quoque et hostibus ea, quæ nobis acciderint, indigna videri solere. Et indignatio [11] quidem his fere de locis gravissime sumetur.

LV. (LV.) Conquestionis [1] autem hujusmodi de rebus partes petere oportebit. Conquestio est oratio, auditorum misericordiam captans. In hac primum animum auditoris mitem et misericordem conficere oportet, quo facilius conquestione commoveri possit. Id locis communibus efficere oportebit, per quos fortunæ vis in omnes, et hominum infirmitas ostenditur: qua oratione habita graviter et sententiose, maxime demittitur [2] animus hominum, et ad misericordiam comparatur; quum in alieno malo suam infirmitatem considerabit.

Deinde primus locus est misericordiæ, per quem, quibus in bonis fuerint [3], et nunc quibus in malis sint, ostenditur. Secundus, qui in tempora tribuitur, per quem, quibus in malis fuerint, et sint, et futuri sint, demonstratur. Tertius, per quem unumquodque deploratur incommodum, ut in morte filii, pueritiæ delectatio, amor, spes, solatium, educatio, et, si qua [4], simili in genere, quolibet de incommodo per conquestionem dici poterunt. Quartus, per quem res turpes, et humiles, et illiberales proferentur, et in-

Avis atque aliis ejus generis cognatis, quos, annotante Ernestio, sic a patribus etiam jurisconsulti distinguunt. WETZ.

LV. 1. *Conquestionis*. Quæ est tertia conclusionis pars, cap. 52, et Herennio, II, 30, est commiseratio, misericordiæ commotio. Ceterum hæc verba usque ad ea, « conquestio est, etc. » tamquam laciniam inepte loco a glossatore assutam, quippe qua orationis filum interrumpatur, resecuit Schütz. non injuria. WETZ.

2. *Demittitur*. Possit aliquis conjicere *delinitur*, quod bene conveniret superioribus: sed demitti de omni adfectu tristiori dicitur. Vid. Clav. ERNEST.

3. *Per quem, quibus in bonis fuerint*. Schützius addit *rei*, ne subjecto careat hæc sententia, et quæ proxime sequuntur.

4. *Et, si qua, simili in genere*, etc. Schütz. « et si qua simili in genere quolibet incommoda, per conquestionem dici poterunt ». Nempe, ait,

dignæ ætate, genere, fortuna, pristino honore, beneficiis, quas passi perpessurive sint. Quintus[5] est, per quem omnia ante oculos singillatim incommoda ponentur, ut videatur is, qui audit, videre, et re quoque ipsa, quasi adsit, non verbis solum, ad misericordiam ducatur. Sextus, per quem[6] præter spem in miseriis demonstratur esse; et, quum aliquid[7] exspectaret, non modo id non adeptus[8] esse, sed in summas miserias incidisse. Septimus[9], per quem ad ipsos, qui audiunt, similem casum convertimus, et petimus, ut de suis liberis, aut parentibus, aut aliquo, qui illis carus debeat esse, nos quum videant, recordentur. Octavus, per quem aliquid dicitur esse factum, quod non oportuerit, aut non factum, quod oportuerit, hoc modo : « Non affui, non vidi, non postremam ejus vocem audivi, non extremum ejus spiritum[10] excepi ». Item : « Inimicorum in manibus mortuus est, hostili in terra turpiter jacuit insepultus; a feris diu vexatus, communi quoque honore in morte caruit ». Nonus, per quem oratio ad mutas et expertes animi

verba « per conquestionem dici poterunt », apodosin faciunt sententiæ : « si qua incommoda », ubi subintelligendum *sunt*. — Wetzelius quoque hæc malit.

5. *Quintus*. Non diversus a decimo indignationis loco. Wetz.

6. *Per quem... demonstratur esse.* Schütz. habet « per quem aliquis præter spem, etc. » constructionis fulciendæ causa, quum hic transitus fiat a plurali numero, in prioribus misericordiæ locis usurpato, ad singularem. Sic, inquit, postea non est quod *exspectaret* in *exspectares* mutetur, quod Purgoldo in mentem venit.

7. *Et quum aliquid exspectaret.* Schütz. addit *boni*, frustra. J. V. L. — Oppositionis vis postulabat, ut « boni aliquid exspectaret » scriberemus. Sch.

8. *Non adeptus*, pro vulg. *adeptum*, cum Lambino dedimus, idque latinitas postulat. Ern.

9. *Septimus.* Non diversus a quartodecimo indignationis loco, c. 54, 8; quum ad judices conversi ab his petimus, ut de fortunæ varietate cogitantes similem casum ob oculos sibi ponant. Wetz.

10. *Non extr. ejus spiritum.* Sch. habet « non extremum spiritum », Lambinum sequutus, qui *ejus* delevit.

res[11] fertur : ut, si ad equum, domum, vestem, sermonem alicujus accommodes, quibus animus eorum, qui audiunt et aliquem dilexerunt, vehementer commovetur. Decimus[12], per quem inopia, infirmitas, solitudo demonstratur. Undecimus, per quem aut liberorum, aut parentum, aut sui corporis sepeliendi, aut alicujus ejusmodi rei commendatio fit. Duodecimus, per quem disjunctio deploratur ab aliquo, quum diducaris[13] ab eo, quicum libentissime vixeris, ut a parente, filio, fratre, familiari. Tertiusdecimus, per quem cum indignatione conquerimur, quod ab iis, a quibus minime conveniat, male tractemur, propinquis, amicis, quibus benefecerimus, quos adjutores fore putaverimus; aut a quibus indignum sit[14], ut servis, libertis, clientibus, supplicibus.

Quartusdecimus, qui per obsecrationem sumitur : in quo orantur modo illi, qui audiunt, humili et supplici oratione, ut misereantur. Quintusdecimus, per quem non nostras, sed eorum, qui cari nobis debent esse, fortunas conqueri nos demonstramus. Sextusdecimus est[15], per quem animum nostrum in alios misericordem esse ostendimus; et tamen amplum, et excelsum, et patientem incommodorum esse, et futurum esse[16], si quid acciderit, demonstramus. Nam

11. *Ad mutas et expertes animi res.* Schütz. habet ex MSS Ox. ω, 1, « mutas res et expertes animi », ordine, ut putat, concinniore.

12. *Decimus ... demonstratur.* Cf. Herenn. II, 31.

13. *Quum diducaris ab eo, quicum libentissime vixeris.* Qualis est oratio Ciceronis pro Milone. Wetz.

14. *Aut a quibus indignum sit.* Vulgo *est.* Illud rectius, quod habent MSS. Apud Oudend. *sit* ante « a quibus non conveniat ». Ern. — Quem Schütz. probat.

15. *Sextusdecimus est.* Vulgo hic et supra post *Quintus* additur *est*, quod auctoritate codd. Oudend. delevimus. Sch. — Vide Her. II, 31.

16. *Et patientem inc. esse, et futurum esse. Incommodorum* suspectum est Oudendorpio, qui in uno codice id in margine modo reperit. Non displicet : nam alias verbum *patiens* in tali oratione nude ponitur. Ern. —

sæpe virtus et magnificentia, in qua[17] gravitas et auctoritas est, plus proficit ad misericordiam commovendam, quam humilitas et obsecratio. Commotis autem animis, diutius in conquestione morari non oportebit. Quemadmodum enim dixit rhetor Apollonius, « lacryma nihil citius arescit ».

(LVI.) Sed quoniam et satis videmur[18] de omnibus partibus orationis dixisse, et hujus voluminis magnitudo longius processit; quæ sequuntur, deinceps in secundo libro dicemus.

Est tamen in loco simili apud Herenn. II, 31. Sch. — Recepi alterum *esse* post *futurum* e MSS Gron. Oudend. Cass. Gu. 1, 2, et videtur hoc loco aliquid efficaciæ habere repetitio ejus. Ernest.

17. *In qua*. MSS Oudend. omnes, Cass. Gu. 1, *in quo*, quod præfert Oudend. ut aut intelligatur *animus*, aut, quod malim, negotio, demonstrative que dicatur, cujus formæ plura exempla sunt; idque exquisitius vulgato est. Ern. — Optime monuit Oudend. ut hanc MSS omnium, quos viderat lectionem vulgatæ *in qua* præferremus; *in quo* nimirum est « in quo homine ». Sch. — Exemplum rei vide apud Cic. pro Milone, cap. 34.

18. *Et satis videmur... dixisse*. Sic MSS plures apud Oud. Cass. Gu. 2, edd. vett. nisi quod *et* in principio relinquimus, auctore MS uno Leid. et sic edidit Lamb. Vulgo, « et satis ut videmur... diximus ». Ern.

M. T. CICERONIS
RHETORICORUM
SEU
DE INVENTIONE RHETORICA

ARGUMENTUM

E SCHUTZII EDITIONE DESUMPTUM.

Procemium ducitur a consilio Zeuxis Heracleotæ, quo in pingendo Crotoniatis Helenæ simulacro usus erat, ut e quinque formosissimis virginibus, quæ venustissima essent, in imaginem suam transferret, cui quidem consilio ratio auctoris comparatur, quippe qui omnibus in unum coactis scriptoribus, quod quisque commodissime præcipere visus esset, excerpendum putarit, ita tamen, ut de suo quoque nonnihil in commune conferret, cap. 1-3.

Sequitur locorum confirmandi et reprehendendi in singula genera causarum expositio.

Ac primum quidem Cicero de judiciali genere agit, in quo proficiscitur a conjecturali constitutione, cap. 4; cujus exemplo proposito exponit locos, quorum pars aliqua in conjecturalem incidit controversiam, cap. 5, sqq. Conjectura autem capitur 1° ex causa, quæ distribuitur in impulsionem et ratiocinationem; ad utramque et accusatoris, cap. 6, 7, et defensoris, cap. 8, loci exponuntur; 2° ex persona, cujus conjecturæ argumentis breviter repetitis, cap. 9, quomodo accusator, cap. 10, et defensor, cap. 11, utatur, docet; 3° ex facto, ubi suspiciones ducuntur partim ex negotio separatim, in quo spectantur, quæ sint cum eo continentia, quid in gestione ipsa negotii occurrat, quid sit adjunctum, et quæ consequantur, cap. 12; partim communiter ex personis atque negotio. Postea docet auctor hic nec facile esse, nec necessarium distinguere, ut in superioribus partibus, quo pacto quidque accusatorem, et quomodo defensorem tractare oporteat, cap. 14; exponitque locos communes, qui in conjecturalem constitutionem incidere soleant, cap. 15, 16.

Secundo loco de nominis controversia seu constitutione definitiva agit; cujus exemplum ponit, cap. 17, et qui sint accusatoris et defensoris loci, cap. 18, ostendit.

Tertio constitutionem translativam pertractat, quæ cur rarius in consuetudine romana incidat, postquam demonstravit, cap. 19, exemplum ejus proponit; et quæ in hac causa ab utroque quærenda sint, demonstrat, cap. 20.

Quarto accedit ad constitutionem generalem, in qua primum negotialis exemplo proposito, cap. 21, et præceptis, cap. 22, illustratur. Deinde juridicialis, in qua æqui et iniqui natura, et præmii aut pœnæ ratio quæritur, ejusque partes duæ tum absoluta, cap. 23, tum assumptiva. In assumptiva primum comparationis, cap. 24, exemplum et loci traduntur; deinde simili modo relatio criminis, cap. 26-28, tum remotio criminis (in qua tum causa, cap. 29, tum ipsa res, cap. 30, removetur), tum denique concessio pertractatur. Cujus duæ partes sunt: primum purgatio, vel ex imprudentia, vel ex casu, vel ex necessitudine, cap. 31-33; deinde deprecatio, cap. 34-36. Restabat earum causarum in juridiciali parte constitutionis generalis expositio, in quibus de præmio et pœna quæritur. Hanc subjungit orator, cap. 37-39, ita tamen, ut de præmii tantum ratione agat.

Sequitur locus de his controversiis, quæ in scripto versantur.

Hic primum exponitur controversia ex ambiguo, cap. 40, 41; deinde ea, quæ ex scripto et sententia constitit, cap. 42, in quo scriptoris sententia ab eo, qui sententia se defendit, tum semper ad idem spectare demonstratur, tum aut ex facto, aut ex eventu aliquo ad tempus accommodatur. Sequuntur loci ejus, qui scriptum defendit, cap. 43-46; et ejus, qui contra scriptum dicit, cap. 47, cum locis communibus utriusque, cap. 48. Tum controversia quæ ex contrariis legibus nascitur, cap. 49, et quæ ex ratiocinatione, cap. 50; denique ea, quæ ex definitione exsistit, cap. 51, pertractatur.

Hactenus de argumentationibus, quæ in judiciale genus accommodantur.

Deinceps agitur de genere deliberativo ac demonstrativo, c. 52.

In deliberativo genere quæritur de iis, quæ honesta, quæ honesta et utilia, et quæ utilia sint, cap. 53. Itaque primum de genere honestatis, quod omni ex parte propter se petitur, c. 54; deinde de honesto, cui utilitas adjuncta est, cap. 55; postremo de utilitate agitur, c. 56. Et quoniam his tribus attributæ erant necessitudo et affectio, de necessitudine dicitur, cap. 57; de affectione, cap. 58.

Ultimo loco de genere demonstrativo breviter exponitur, ita ut loci laudum et vituperationum demonstrentur, c. 59, totaque disputatio de inventione rhetorica finitur, cap. 60.

M. T. CICERONIS
RHETORICORUM,
SEU
DE INVENTIONE RHETORICA,
LIBER SECUNDUS.

I. (1.) Crotoniatæ quondam, quum florerent omnibus copiis, et in Italia quum in primis[1] beati[2] numerarentur, templum Junonis, quod religiosissime colebant, egregiis picturis locupletare voluerunt. Itaque Heracleotem Zeuxim[3], qui tum longe ceteris excellere pictoribus existimabatur, magno pretio conductum adhibuerunt. Is et ceteras complures tabulas pinxit, quarum nonnulla pars usque ad nostram memoriam propter fani religionem remansit[4]: et, ut excellentem muliebris formæ pulchritudinem muta in sese imago contineret, Helenæ se pingere simulacrum velle[5] dixit.

I. 1. *Q. in primis.* « Quum in primis » multæ habent edd. ut inter nuperas Lallem. et Olivet. Lambin. « quum primis » edidit e MS, idque Ernesti probavit, quia repetitio τοῦ *quum* in tali narratione admodum frigeat. Sch.

2. *Beati*, divites. Confer indicem Horatii.

3. *Zeuxim.* Quem Plinius olymp. 95, anno 4, id est, anno Urbis conditæ 358 floruisse dicit, pro Crotoniatis Agrigentinos substituens, remque ita narrans: « tantus diligentia fuit, ut facturus Agrigentinis tabulam, quam in templo Junonis Laciniæ publice dicarent, inspexerit virgines eorum nudas et quinque elegerit, ut, quod in quaque laudatissimum esset, pictura redderet ». Wetz.

4. *Remansit. Permansit* conj. Lambin. Sch.

5. *Se pingere simulacrum velle.* « Pingere simulacrum velle se » MS Altorf. Sch.

Quod Crotoniatæ, qui eum muliebri in corpore[6] pingendo plurimum aliis præstare sæpe accepissent, libenter audierunt. Putaverunt enim[7], si, quo in genere plurimum posset, in eo magnopere elaborasset, egregium sibi opus illo in fano relicturum.

Neque tum eos illa opinio[8] fefellit. Nam Zeuxis illico quæsivit ab eis, quasnam[9] virgines formosas haberent. Illi autem statim hominem duxerunt[10] in palæstram, atque ei pueros ostenderunt multos, magna præditos dignitate[11]. Etenim quodam tempore Crotoniatæ multum omnibus corporum viribus et dignitatibus antesteterunt[12], atque honestissimas ex gymnico certamine victorias domum cum maxima laude retulerunt. Quum puerorum igitur formas et corpora magno[13] hic opere miraretur : Horum, inquiunt illi[14], sorores sunt apud nos virgines; quare, qua sint illæ

6. *Muliebri in corpore præstare.* Pinxerat enim, Plinio referente, Alcmenam et Penelopen, in qua pinxisse mores visus est. Wetz.

7. *Putaverunt enim, si.* Edd. vett. « putaverunt enim eum, si ». Sed *eum* abest a MSS Lambin. Grut. Oudend. et rectius abest. Sch.

8. *Neque tum eos illa opinio.* Edd. ante Aldum, « neque tamen ». Sane *tamen* est alienum; sed quorsum pertineat *tum*, quod utique in MSS plerisque est, non magis intelligo. Ern. — Sch. omittendam esse dicit vocem *illa* cum MS Leid. 3, ne particula *tum* abundet, et omittit.

9. *Quasnam.* Lambinus conjicit *ecquasnam*. Lectio vulg. tamen præferenda, ne parum urbanus videatur pictor, si a Crotoniatis quæsivisset, an omnino formosas quasdam puellas haberent. Hoc vero tantum scire volebat, quænam essent formosæ. Sch.

10. *Duxerunt.* Recte Ernest. hoc e MSS Oudend. Cass. Gu. et edd. pr. pro vulg. *deduxerunt* recepit. Sch.

11. *Magna præd. dign.* Pulchritudine virili, si Wetzelio credas. At sunt postea et virgines dignitate præditæ.

12. *Antesteterunt.* Septem simul Crotoniatas fuisse Olympionicas refert Strabo, VI, 12, proverbium afferens : Κροτωνιατῶν ὁ ἔσχατος πρῶτός ἐστι τῶν ἄλλων Ἑλλήνων. Construe autem verba ita : Omnibus multum antesteterunt viribus et dignitatibus. Wetz.

13. *Quum p. igitur formas et c. magno.* Est versus longus, quem destruendum putabat Gulielmius fide libri Grevenb. « corpora et formas ». Pall. adhærent vulgatæ. Grut. — Schutz. Gulielmium sequutus est.

14. *Inquiunt illi. Illi*, quod in compluribus edd. omittitur, recte repetunt MSS Oud. Cass. Guelf. Sch.

dignitate, potes ex his suspicari. Præbete igitur mihi, quæso, inquit, ex istis virginibus formosissimas, dum pingo id, quod pollicitus sum vobis, ut mutum in simulacrum ex animali exemplo veritas transferatur.

Tum Crotoniatæ [15], publico de consilio [16], virgines unum in locum conduxerunt, et pictori, quas vellet, eligendi potestatem dederunt. Ille autem quinque delegit; quarum nomina multi poetæ memoriæ tradiderunt [17], quod ejus essent judicio probatæ, qui verissimum pulchritudinis [18] habere judicium debuisset. Neque enim putavit, omnia, quæ quæreret ad venustatem, uno in corpore se reperire posse, ideo quod nihil, simplici in genere [19], omni ex parte [20] perfectum natura expolivit: itaque [21], tamquam ceteris non sit habitura quod largiatur, si uni cuncta concesserit, aliud alii commodi, aliquo adjuncto incommodo, muneratur.

II. (II.) Quod quoniam nobis quoque voluntatis accidit [1], ut artem dicendi perscriberemus, non unum aliquod proposuimus exemplum, cujus omnes partes, quocumque essent in genere, exprimendæ nobis ne-

15. *Tum Crot.* Sic MSS aliquot apud Oud. recte pro *tunc*. Ern.

16. *Publ. de consilio*. Cod. Grev. « communi de consilio ». Quod sine causa præferebat Gulielmius. Sch. — Omittit *de* MS Guelf. 1. Ern.

17. *Tradiderunt*. Laub. ex uno MS laudat « prodiderunt ».

18. *Ver. pulchritudinis*. « Pulchritudinis verissimum » cod. Alt. Sch.

19. *Simplici in genere*. Id est, in una eademque re, in re singulari, in uno subjecto, ut dialectici dicunt. Ernest.

20. *Omni ex parte*. Gron. et Oud. rescribi volunt « omnibus ex partibus ». Ut est in MSS pluribus. Ille etiam editiones antiquas sic habere dicit: meæ quidem omnes habent vulgatum, quod primum in Victorii Veneta reperi, nec id posteriores Steph. Colin. Manut. imitati sunt. Ern. — Sch. cum Lallem. « omnibus ex partibus ».

21. *Itaque*. Non erat, quod Ernest. de veritate hujus lectionis dubitaret. *Itaque* enim h. l. est idem ac *et ita*, ut Cic. de Officiis, lib. II, cap. 20, et sæpius. Sch.

II. 1. *Voluntatis accidit*. Grevenb. « voluntati »: vultque Gulielmius voluisse exprimere « voluptati ». Garr.

cessario viderentur : sed, omnibus unum in locum coactis scriptoribus, quod quisque commodissime præcipere videbatur, excerpsimus, et ex variis ingeniis, excellentissima quæque libavimus. Ex his[2] enim, qui nomine et memoria digni sunt, nec nihil optime, nec omnia præclarissime quisquam dicere nobis videbatur[3]. Quapropter stultitia visa est[4], aut a bene inventis alicujus recedere, si quo in vitio ejus offenderemur[5], aut ad vitia quoque ejus accedere, cujus aliquo bene præcepto duceremur.

Quod si in ceteris quoque studiis a multis eligere homines commodissimum quodque, quam sese uni alicui certo[6] vellent[7] addicere, minus in arrogantia offenderent[8]; non tantopere in vitiis perseverarent; aliquanto levius ex inscientia[9] laborarent. Ac si par in nobis hujus artis, atque in illo picturæ, scientia fuisset, fortasse magis hoc suo in genere opus nostrum, quam ille[10] in sua pictura nobilis eniteret. Ex

2. *Ex his enim.* « Ex iis enim » Lallem.

3. *Nobis videbatur.* Alii, « vobis videbatur », nescio an operarum vitio.

4. *Stultitia visa est.* Lallem. « stultitia nobis visa est ».

5. *Si quo in v. ejus off.* Gulielmius Lambinum sequutus, deleverat *in*, et aberat ea syllaba a Pal. tert. sed erat in pr. et sec. libris melioribus. Sic et mox « offendere in arrogantia ». Ita enim Pall. nostri, non *arrogantiam*, ut vulgo editum est. Grut. — Attendere jubet Wetzelius ad metaphoram bene continuatam : « recedere, accedere, duci, offendi ».

6. *Uni alicui certo.* Male Lallem. « alicui uni certo ». Sch.

7. *Vellent.* Habet edit. Omnib. *mallent.* Recte autem *vellent* ab Oudendorpio defenditur; subintelligendum nempe *potius* ante *quam*, ut alibi sæpe. Sch.

8. *Minus in arr. offenderent.* Obscuriora hæc verba, quæ sic Wetzelius interpretatur : « Minus arrogantes offenderent (alios) », non ipse satis lucide. Facilius intellexeris, si respexeris ad superiora : « si quo in vitio ejus offenderemur ».

9. *Ex i. laborarent.* Ita Pall. omnes, non *inscitia*, ut aliæ fere edd. Grut. — Schütz. autem dat *inscitia* e Leid. 3 et ed. Omnib.

10. *Quam ille in s. p. n.* Hoc pertinet ad Zeuxin, cujus opus pictorium cum hoc suo comparat, non suum opus cum ipso Zeuxi. Sed verba non accurate rem exprimunt. Videtur esse debere : « quam illius in suo pictura nobilis, eniteret » : nam ante *eniteret* interpungendum esse clarum est. Si

majore enim copia nobis, quam illi, fuit exemplorum eligendi potestas[11]. Ille una ex urbe, et ex eo numero virginum, quæ tum erant, eligere potuit : nobis omnium, quicumque fuerunt, ab ultimo principio hujus præceptionis usque ad hoc tempus, expositis copiis, quodcumque placeret, eligendi potestas fuit.

Ac veteres quidem scriptores artis, usque a principe illo atque inventore Tisia[12] repetitos, unum in locum conduxit Aristoteles[13], et nominatim cujusque præcepta magna conquisita cura perspicue conscripsit, atque enodata diligenter[14] exposuit : ac tantum[15] inventoribus ipsis suavitate et brevitate dicendi præstitit, ut nemo illorum præcepta ex ipsorum libris cognoscat, sed omnes, qui, quod illi præcipiant, velint intelligere, ad hunc, quasi ad quemdam multo commodiorem explicatorem, revertantur. Atque hic qui-

sua servetur, intelligendum est *arte*. Lambinus vitium sensit, qui dedit « quam illius pictura nobilis emiteret », quod eodem redit, nisi quod ille duo verba delet. Sed MSS Gu. 1, « quam ille in sua pictura nobili » ; 2, « quam ille nobilis in sua pictura ». Pro *sua* ed. Junt. *una*. Ern. — Schütz. autem declarat Jac. Frid. Heusing. ad Cic. Off. II, nube exemplorum excitata docuisse hanc formam in vulgata lectione usurpatam apud Ciceronem frequentem esse, è quibus vel ex unis de Oratore libris attulit, I, 4 : « Ingenia vero nostrorum hominum multum ceteris hominibus omnium gentium præstiterunt ». Ibid. cap. 6 : « ut eorum auctoritatem Græcis anteponam ». Cap. 44 : « si cum illorum Lycurgo et Solone nostras leges conferre volueritis ». Et statim : « nostrorum hominum in omni genere prudentiam Græcis anteferre ».

11. *Ex majore... eligendi potestas.* Videtur perturbationis aliquid hac in structura verborum exstitisse. Legendum fortasse *exempla* pro *exemplorum*.

12. *Tisia.* De quo ad Brutum, 12; de Orat. lib. I; Quintilian. II, 17, III, 1, etc. Siculus ille, Coracisque discipulus, qui primus omnium de arte rhetorica scripsit, etsi multi ante satis accuratas orationes et habuerant et scripserant, et iis maxime temporibus locos communes Protagoras literis mandaverat. J. V. L.

13. *Aristoteles.* Eo scilicet libro, in quo exposuit dicendi artes omnium superiorum, ut ait Noster de Orat. II, 38. Wetz.

14. *Enodata diligenter.* Hæc lectio, quam Aldus induxit, superiorum edd. scriptura, « enodate et diligenter », concinnior est. Sch.

15. *Ac tantum.* Ernest. recepit e

dem ipse, et sese ipsum nobis, et eos, qui ante se fuerant, in medio posuit, ut et ceteros[16], et se ipsum per se cognosceremus: ad hoc autem qui profecti sunt, quamquam in maximis philosophiæ partibus operæ plurimum consumpserunt, sicut et ipse, cujus instituta sequebantur, fecerat; tamen permulta nobis præcepta dicendi reliquerunt. Atque alii quoque alio ex fonte præceptores dicendi emanaverunt, qui item permultum ad dicendum, si quid ars proficit[17], opitulati sunt; nam fuit tempore eodem, quo Aristoteles, magnus et nobilis rhetor Isocrates: cujus ipsius quam constet esse artem, non invenimus; discipulorum autem atque eorum, qui protinus ab hac sunt disciplina profecti, multa de arte præcepta reperimus.

III. Ex his duabus diversis sicuti familiis, quarum altera quum versaretur in philosophia, nonnullam rhetoricæ quoque artis sibi curam assumebat, altera vero omnis in dicendi erat studio et præceptione occupata, unum quoddam est conflatum genus a posterioribus, qui ab utrisque ea, quæ commode dici videbantur, in suas artes contulerunt[1]: quos ipsos simul, atque illos superiores, nos nobis omnes, quoad facultas tulit, proposuimus, et ex nostro quoque[2] nonnihil in commune contulimus.

(III.) Quod si ea, quæ in his libris exponuntur, tantopere eligenda fuerunt, quanto studio electa sunt;

MS Leid. « at tantum ». Nihil opus erat vulgatum mutare. Nam illud *ac* h. l. ponitur pro « ac tamen ». Sch.

16. *Ut et ceteros.* Lall. omisit *et*.

17. *Si quid ars proficit.* Non ea vera dubitatio apud eum, qui tam accurate dicendi præcepta tradit. Et idem tamen in Bruto rhetorum *officinis* parum tribuere videtur.

III. 1. *Contulerunt.* Cod. Voss. 2, *retulerunt.*

2. *Ex nostro quoque.* « Ex nostra quoque » laudat Grut. e codd. Pall. et Grev. Sch.

profecto neque nos, neque alios industriæ nostræ pœnitebit. Sin autem temere aliquid alicujus præteriisse, aut non satis eleganter sequuti videbimur, docti ab aliquo, facile et libenter sententiam commutabimus. Non enim parum cognosse, sed in parum cognito stulte et diu perseverasse turpe est : propterea quod alterum communi hominum infirmitati, alterum singulari uniuscujusque [3] vitio est attributum. Quare nos quidem sine ulla affirmatione, simul quærentes, dubitanter unumquodque [4] dicemus, ne, dum parvulum hoc consequimur, ut satis commode hæc perscripsisse videamur, illud amittamus [5]; quod maximum est, ut ne cui rei temere atque arroganter assenserimus. Verum hoc quidem nos [6], et in hoc tempore [7], et in omni vita studiose, quoad facultas feret, consequemur. Nunc autem, ne longius oratio progressa videatur, de reliquis, quæ præcipienda videntur esse, dicemus.

Igitur primus liber, exposito genere hujus artis, et officio, et fine, et materia, et partibus, genera controversiarum, et inventiones [8], et constitutiones,

3. *Uniuscujusque. Cujusque* MS Leid. 2, Voss. c. schol. Alt. Sch.

4. *Unumquodque.* Sic MSS plerique et edd. pr. non *unumquidque.* Ern.

5. *Amittamus.* Burgoldus mavult *omittamus.* Sed h. l. non id, quod quis intermittit, sed emolumentum, quod ei perit, significatur. Sch.

6. *Verum hoc quidem nos.* Schütz. delet *nos* e Gron. codd. duobus.

7. *Et in hoc tempore.* Schütz. dat « et hoc tempore », deleto *in*, quod in hac formula melius omittitur. Lambinum vero reprehendit, qui *tempore* a glossatore adjectum et supervacuum putabat, quod in uno codice non reperiebat.

8. *Et inventiones.* Victorinus explicans hunc locum, « Nam, inquit, de quinque partibus orationis solam inventionem tractat ». Quibus verbis quid sibi velit, non intelligo; satisque apparet, vim hujus loci ignorasse. Ego vero crediderim, *inventiones*, non argumentum, ut quidam falso existimant, sed intentionem in primis, et depulsionem esse intelligendas. Nam proposita controversia, considerandum est primum, an causa consistat; quod ex intentione et depulsione cognoscitur. *Intentio* est prima pars, quum actor proponit et facit litem; *depulsio* est responsio rei. Quum igitur ex intentione et depulsione omnis controversia, i. e. constitutio, sive quæstio fiat, merito *inventiones* appel-

et judicationes[9] continebat, deinde partes orationis, et in eas omnes omnia præcepta. Quare quum in eo ceteris de rebus distinctius dictum sit, disperse autem de confirmatione et de reprehensione : nunc certos confirmandi et reprehendendi in singula causarum genera locos tradendos arbitramur. Et quia, quo pacto tractari conveniret argumentationes, in libro primo non indiligenter expositum est, hic tantum ipsa inventa unamquamque in rem exponentur simpliciter, sine ulla exornatione, ut ex hoc inventa ipsa, ex superiore autem expolitio inventorum petatur. Quare hæc, quæ nunc præcipientur, ad confirmationis et reprehensionis partes referre oportebit.

IV. (IV.) Omnis et demonstrativa, et deliberativa, et judicialis causa, necesse est in aliquo eorum, quæ ante exposita sunt, constitutionis genere, uno pluribusve, versetur. Hoc quamquam ita est, tamen[1] quum communiter quædam de omnibus præcipi possint, separatim quoque aliæ sunt cujusque generis[2], et

lantur. Hoc autem ita esse, facile ex textu intelligi potest : nam sequitur « et constitutiones ». NASCIMB.

9. *Et constitutiones, et judicationes.* Schütz. has delet voces. Primum, inquit, utraque abest a codd. Voss. c. schol. Leid. a, Altorf. « et judicationes » a Manutianis codd. abfuit, « et constitutiones » omittitur ed. Omnib. Deinde ipsa ratio confirmat ista verba temere a mala manu adjecta. Nam « constitutiones » idem est quod « genera causæ ». Et si Cicero voluisset « judicationes » hic ponere, non omisisset ceteras partes judicationi connexas, « quæstionem, rationem, etc. » conf. I, 13. Denique nec Victorinus aliud quid hic legisse videtur præter « genera controversiarum et inventiones ». Ceterum Tullius de genere artis rhetoricæ, et officio, et fine, et materia, et partibus breviter dixerat I, cap. 5-7 ; de genere controversiarum et inventionibus, I, cap. 8 seqq. de partibus orationis, cap. 15 seqq. SCH.

IV. 1. *Tamen quum... possint, separatim.* Purgoldus emendandum censebat, « tamen quum... possunt, tum separatim ». Quod non est necessarium. Nam « tamen quum... possint » idem est ac si dixisset : « etiamsi non negandum est, communiter quædam de omnibus præcipi posse, tamen separatim quoque aliæ sunt ». SCH.

2. *Aliæ sunt cujusque generis, et diversæ præceptiones.* Cod. Altorf. dat « aliæ sunt cujusque generis diviseæ præceptiones ». SCH.

diversæ præceptiones. Aliud enim laus aut vituperatio, aliud sententiæ dictio, aliud accusatio, aut recusatio, conficere debet. In judiciis, quid æquum sit, quæritur; in demonstrationibus, quid honestum; in deliberationibus, ut nos arbitramur, quid honestum sit, et quid utile : nam ceteri utilitatis modo finem in suadendo et in dissuadendo exponi oportere arbitrati sunt.

Quorum igitur generum fines et exitus diversi sunt, eorum præcepta eadem esse non possunt. Neque nunc hoc dicimus[3], non easdem incidere[4] constitutiones; verumtamen oratio quædam ex ipso fine et ex[5] genere causæ nascitur, quæ pertineat[6] ad vitæ alicujus demonstrationem, aut ad sententiæ dictionem. Quare nunc in exponendis controversiis[7], in judiciali genere causarum et præceptorum versabimur; ex quo pleraque in cetera quoque causarum genera, simili implicata controversia[8], nulla cum difficultate transferentur : post autem separatim de reliquis dicemus.

3. *Neque nunc hoc dicimus*. Nunc quod abest cod. Guelf. 1, suspectum videbatur Ernestio; quia in hac forma addi non soleat, sed *nos* aut *vero*. Sensum tamen *nunc* præbet haud ineptum. Sch.

4. *Non easd. incidere constitutiones*. Hoc obscurum est. Nulla varietas est in libris. Lambinus correxit liberius : « non easdem in unumquodque genus causæ incidere constitutiones », quod convenit cum glossa MS Gu. 2 : « in quolibet genere causæ », s. « omnes in omni genere incidere : nam in genere demonstrativo potest incidere omnis constitutio ». Ego conjeci « non in easdem incidere constitutiones », sc. tria illa genera causarum; quod respondet principio : « omnis causa necesse est in aliquo genere constitutionis versetur ». Ceterum et illud verum, easdem constitutiones incidere in omnes causas. Vid. cap. 17. Ernest. — Schützius inutilem putat Ernestii conj. quia idem sensus ex vulg. facile exit.

5. *Et ex genere*. Has voces Schützius ut nullum sensum præbentes delet, conferrique jubet ad cap. 52.

6. *Quæ pertineat... dictionem*. Hoc est, quæ vel ad genus demonstrativum pertineat. Lambin. addidit « aut ad judicium », quo tamen non est opus. Sch.

7. *In exponendis controversiis*. Controversiæ vocabulum hic universe de omni disceptatione sumitur. Sch.

8. *Simili implicata controversia*.

(V.) Nunc ab conjecturali constitutione[9] proficiscemur; cujus exemplum sit hoc expositum[10]: « In itinere quidam proficiscentem ad mercatum quemdam, et secum aliquantum nummorum ferentem, est consequutus[11]. Cum hoc, ut fere fit, in via sermonem contulit : ex quo factum est, ut illud iter familiarius facere vellent. Quare, quum in eamdem tabernam devertissent, simul cœnare, et in eodem loco somnum capere voluerunt. Cœnati discubuerunt ibidem. Caupo autem (nam ita dicitur post inventum, quum in alio maleficio deprehensus esset) quum illum alterum[12], videlicet qui nummos haberet, animadvertisset : noctu, postquam illos arctius jam[13], ut fit, ex lassitudine dormire sensit, accessit, et alterius eorum, qui sine nummis erat, gladium propter appositum e vagina eduxit, et illum alterum occidit, nummos abstulit, gladium cruentatum[14] in vaginam recondi-

Hoc est, si forte in genere deliberativo, vel demonstrativo quædam controversia inciderit, eadem præcepta valebunt, quæ in judiciali genere exponendo tradita sunt. Sch.

9. *Ab conjecturali const.* Sic MSS nostri Gu. a m. pr. et alii recte. Qui « ad conjecturalem const. » scripsere atque edidere, ut edd. pr. ante Aldum, non intellexere verbum *proficisci*, quod h. l. est initium facere. Ern. — Cui Sch. assentitur..

10. *Expositum* quamquam abest a duobus Oudendorp. libris, non delendum Ernestus et Schützius arbitrati sunt.

11. *Est consequutus.* Malim istud cum Pal. sec. et Grev. et marginalibus, quam quod hactenus obsedit libros *est comitatus*. Vult enim in itinere posito supervenisse. Grut. — Quem ceteri editores consequuti sunt.

12. *Quum illum alterum, vid. q. n. haberet, anim.* Schützius interpungit « q. illum alterum videlicet, qui n. haberet, an. » Vulgata, inquit, interpunctio Lambinum induxit, ut scriberet « quum illum alterum nummos habere anim. » Ernestium autem ut hæc verba, « vid. q. n. haberet » glossatori tribueret, eaque delenda putaret. Sed commate, ut fecimus, transposito *videlicet* suaviter notat cauponis sagacitatem, qui statim illum alterum, qui nummos haberet, animadvertisset. Sch.

13. *Postquam illos arctius jam. Jam* delent Schützius et Ernesti, ut inutile.

14. *Cruentatum in vaginam*, etc. Sic MS Lambin. Altorf. Voss. c. schol. Leid. 3, et dedit Ernesti. Sed Schützius cum Lallem. « cruentum in vaginam, etc. »

dit, ipse sese[15] in lectum suum recepit[16]. Ille autem, cujus gladio occisio erat facta, multo ante lucem surrexit, comitem suum[17] inclamavit semel et sæpius. Illum somno impeditum non respondere existimavit: ipse gladium[18], et cetera, quæ secum attulerat[19], sustulit, solus profectus est. Caupo non multo post conclamavit, hominem esse occisum[20], et cum quibusdam deversoribus[21] illum, qui ante exierat, consequitur. In itinere hominem comprehendit, gladium ejus e vagina educit, reperit cruentum: homo in urbem ab illis deducitur[22], ac reus fit ». In hac causa intentio[23] est criminis, « Occidisti ». Depulsio, « Non occidi ». Ex quibus constitutio est[24]. Quæstio eadem in conjecturali, quæ judicatio, « Occideritne ? »

V. (VI.) Nunc exponemus locos, quorum pars aliqua in omnem conjecturalem incidit controversiam. Hoc autem et in horum locorum expositione, et in ceterorum, oportebit attendere, non omnes in omnem

15. *Ipse sese.* Schützius *ipse se*, ut minus durum.

16. *Recepit.* Lambin. *recipit*, minus bene. Sch.

17. *Comitem suum.* Delevi *illum* e medio. Abest edd. pr. Oudendorpius proxime sequens *illum* deleri volebat, quod in scholiaste non repererat; nec magnopere repugnem. Sed sibi respondere tamen videntur *illum... ipse*. Ern. — Cui Sch. assentitur.

18. *Ipse gladium.* « Ipsum glad. » Lamb. male. Sch.

19. *Attulerat, sustulit. Detulerat, abstulit* cod. Voss. c. schol. Sch.

20. *Esse occisum.* Sch. delet *esse* cum cod. Voss. c. schol. probante Oudend.

21. *Deversoribus.* MS Pal. sec. *diversoriis.* Grut.

22. *Ab illis deducitur.* Schützius *ab illis ducitur* e cod. Voss. 1, auctore Oudend.

23. *In hac causa int.* Antea *causa* omittebatur, quod Ernesti desiderabat, Schützius autem in textum inseruit fide MS Gu. 2.

24. *Ex quibus constitutio est. Quæstio eadem in c. q. judicatio: Occideritne ?* Schützius dat : « Ex quibus quæstio est eadem in conjecturali constitutione, quæ judicatio : Occideritne ? » Jam, inquit, Ernesti locum depravatum esse acute sensit, atque ita constitui voluit : « ex quibus quæstio eadem est, quæ judicatio : Occideritne ? » Nostra tamen ratio planior, et iis quæ auctor ad Herennium, I, cap. 17, docet, convenientior esse videtur.

causam convenire. Ut enim omne nomen ex aliquibus, non ex omnibus literis scribitur : sic omnem in causam non omnis argumentorum copia, sed eorum necessaria[1] pars aliqua conveniet. Omnis igitur, ex causa, ex persona, ex facto ipso, conjectura capienda est.

Causa distribuitur in impulsionem, et in ratiocinationem. Impulsio est, quæ sine cogitatione per quamdam affectionem animi facere aliquid hortatur, ut amor, iracundia, ægritudo, vinolentia, et omnino omnia, in quibus animus ita videtur affectus fuisse, ut rem perspicere cum consilio et cura non potuerit; et id, quod fecit, impetu quodam[2] animi potius, quam cogitatione fecerit. Ratiocinatio autem est diligens et considerata faciendi aliquid, aut non faciendi excogitatio. Ea dicitur interfuisse tum[3], quum aliquid faciendum, aut non faciendum[4], certa de causa vitasse, aut sequutus esse animus videtur, ut, si amicitiæ quid causa factum dicetur, si inimici ulciscendi, si metus, si gloriæ, si pecuniæ, si denique, ut omnia generatim amplectamur, alicujus retinendi, augendi, adipiscendive commodi, aut contra rejiciendi, deminuendi, devitandive incommodi causa. Nam horum

V. 1. *Necessaria pars.* Schützius dat *necessario*, ut MSS Oxd. omnes, it. cod. Altorf. ed. Omnib. quasi sensu postulante.

2. *Impetu quodam animi potius, quam cogitatione fecerit.* Schützius delet *animi*. In vulgata, inquit, lectione absurda inest consecutio, scilicet : *animus* ita affectus, ut rem perspicere non potuerit, et id, quod fecit, impetu *animi* fecerit. Quis, quæso, ita loquatur : *animus* impetu *animi* aliquid fecit ?

3. *Ea dicitur interfuisse tum.* Hoc ordine libri scr. meliores et edd. pr. sed in verbo *interfuisse* semper hæsi, quod verbum tantum de personis dicitur, præsertim in tali oratione. Arbitror Ciceronem scripsisse *intercessisse*, quo nihil aptius huic loco esse potest. Ern.

4. *Faciendum, aut non faciendum.* Hæc delet Schützius, quasi a glossatore quodam temere et inepte ex antecedenti ratiocinationis definitione repetita.

in genus alterutrum illa quoque incident, in quibus aut incommodum aliquod majoris vitandi incommodi causa, aut majoris adipiscendi commodi, suscipitur, aut commodum aliquod majoris adipiscendi commodi, aut majoris vitandi incommodi, præteritur.

(VII.) Hic locus sicut aliquod fundamentum est hujus constitutionis; nam nihil factum esse cuiquam probatur, nisi aliquid, quare factum sit, ostenditur[5]. Ergo accusator, quum aliquid impulsione[6] factum esse dicet, illum impetum; et quamdam commotionem animi, affectionemque verbis et sententiis amplificare debebit, et ostendere, quanta vis amoris sit, quanta animi perturbatio ex iracundia fiat, aut ex aliqua causa earum, qua impulsum aliquem id fecisse dicet. Hic et exemplorum commemoratione, qui simili impulsu aliquid commiserint, et similitudinum collatione, et ipsius animi affectionis explicatione[7], curandum est, ut non mirum videatur, si quod ad facinus tali perturbatione commotus animus accesserit[8].

VI. Quum autem non impulsione, verum ratiocinatione aliquem commisisse quid dicet, quid commodi sit sequutus, aut quid incommodi fugerit, demonstrabit, et id augebit, quam maxime poterit, ut, quoad ejus fieri possit, idonea quam maxime causa ad peccandum hortata videatur. Si gloriæ causa; quan-

5. *Nisi aliquid... ostenditur*. MS Gu. 1, Leid. 3, *ostendatur*, quod melius puto. Ern.

6. *Aliquid impulsione*, etc. Schützius « impulsione aliquid », ut ordine magis apto.

7. *Explicatione. Explanatione* præfert Oud. e cod. Voss. c. schol. Sch.

8. *Si... comm. an. accesserit*. Hoc mihi durius, quam pro Ciceronis facilitate videtur, « animus accedit ad facinus ». Arbitror aut delendum esse *animus*, aut *aliquis* scribendum. Ern. — Sequutus Ernestum Schützius *animus* delevit. Wetzelius autem : non est cur Ernest. offendat in *animus*. Quid ante « animus id quod fecit, impetu fecit ».

tam gloriam consequuturam existimarit : item si dominationis, si pecuniæ, si amicitiæ, si inimicitiarum; et omnino quidquid erit, quod causæ fuisse dicet, id summe augere[1] debebit. Et hoc eum magnopere considerare oportebit, non quid in veritate[2] modo, verum etiam vehementius, quid in opinione ejus, quem arguet, fuerit. Nihil enim refert, non fuisse, aut non esse aliquid commodi, aut incommodi, si ostendi potest, ei visum esse, qui arguatur. Nam opinio dupliciter fallit homines; quum aut res aliusmodi est, ac putatur, aut non is eventus est, quem arbitrati sunt. Res aliusmodi est tum, quum aut id, quod bonum est, malum putant; aut contra, quod malum est, bonum; aut quod nec malum est, nec bonum, malum, aut bonum; aut quod malum, aut bonum est, nec malum, nec bonum.

Hoc intellecto, si quis negabit, ullam esse pecuniam, fratris aut amici vita, aut denique officio antiquiorem[3], aut suaviorem, non erit hoc accusatori negandum. Nam in eum culpa, et summum odium transferetur, qui id, quod tam vere et pie dicetur, negabit. Verum illud dicendum erit, illi[4] non esse ita visum : quod sumi oportet[5] ex iis, quæ ad personam pertinent, de quo post dicendum est.

VII. Eventus autem tum fallit, quum aliter accidit, atque ii, qui arguuntur, arbitrati esse dicuntur[1] : ut,

VI. 1. *Id summe augere debebit.* Cf. ad Her. II, 3.

2. *Veritate.* Wetzelius prave admodum interpretatur *vere facto*. Non de ullo facto, sed de natura alicujus rei agitur. Vide exempla quæ sequuntur.

3. *Officio antiquiorem.* Delevi *suo*, quod et sua sponte vitiosum est, et in MS Cass. est inter versus, non in textu. Sermo est de genere in loco communi; et ea oratio non debet reprehendi. Ern. — Quem probat Schütz.

4. *Illi non e. ita visum.* Illi, hoc est, *reo*.

5. *Quod sumi oportet.* Schützius « quod sumi oportebit ».

VII. 1. *Arbitrati esse dic.* Cave ne hunc indicativum conjunctivo permu-

si qui dicatur[2] alium occidisse, ac voluerit, quod aut similitudine, aut suspicione, aut demonstratione falsa deceptus sit; aut eum necasse, cujus testamento non sit heres, quod ejus testamento se heredem arbitratus sit. Non enim ex eventu cogitationem spectari oportere[3]; sed qua cogitatione[4] et spe ad maleficium profectus sit, considerare[5], et quo animo quid quisque faciat[6], non quo casu utatur, ad rem pertinere.

In hoc autem loco, caput illud erit accusatori, si demonstrare poterit, alii nemini causam fuisse faciendi; secundarium, si tantam, aut tam idoneam nemini. Sin fuisse aliis quoque causa faciendi videbitur; aut potestas aliis defuisse demonstranda est, aut facultas, aut voluntas. Potestas, si aut nescisse, aut non

tandum cum Ernestio opineris. Sch.

2. *Si qui dicatur.* Sic MSS Oud. plures, nostri omnes, et edd. pr. ante Aldum, non *si quis*. Et sic supra sæpe. Ern.

3. *Spectari oportere.* MS Cass. habet *oportet*, quamquam a m. s. quod nobis placet. Nam ista non tam e persona accusatoris dicuntur, cujus hic nulla mentio est, quam Ciceronis. Sed ita etiam post esse debebit *pertinet*. Ern. — Schützius autem declarat verum esse lectionem: personam accusatoris intelligi ἀπὸ τοῦ κοινοῦ; non in verbis, quæ præcedunt, *qui arguuntur*, latere.

4. *Qua cogitatione et spe ad maleficium prof. sit.* Post *cogitatione* addunt libri multi scr. et edd. *animus*; comparatque Oudendorpius illud, « animus accesserit », de quo ante vidimus: et variant quoque libri: nam quidam ut ed. Junt. habent *animos* quod e sequentibus huc tractum esse clarum est. Ern. — Lambinus adjuvante MS conjiciebat: « sed qua cogitatione animi et spe ». Gruteri codd. « qua cogitatione animus et spe ». *Animus* tamen quum statim recurrat, ac *profectus sit*, facile referatur ad eum, qui ante dictus est « alium occidisse... aut eum necasse, cujus testamento non sit heres, quod ejus testamento se heredem arbitratus sit », ab hoc recipiendo abstinui. Sch.

5. *Considerare.* Quia *considerare* pendet ab *oportere*, et hoc totum « sed qua considerare », respondet e contrario priori, videtur rectius *considerari*, aut ante *spectare*: sed in Gu. 2 fuit *considerari* a m. pr. Ern. — Schützius dedit *considerari*.

6. *Et quo animo quid quisque faciat.* Injuria hæc a glossatore inserta putabat Oudendorpius. Ταυτολογίαν ille sibi visus erat hic reperisse, quæ nulla est. In verbis enim: « et quo... pertinere » eadem, quæ antea separatim de certi hominis maleficio dicta erant, nunc generatim de omnibus rebus, in quibus casus et eventus animi opinionem fallit, enuntiantur. Sch.

affuisse, aut conficere aliquid non potuisse[7] dicetur. Facultas, si ratio, adjutores, adjumenta, et cetera, quæ ad rem pertinebunt[8], defuisse alicui demonstrabuntur. Voluntas, si animus a talibus factis vacuus, et integer esse dicetur. Postremo, quas ad defensionem rationes reo dabimus, iis accusator ad alios ex culpa eximendos abutetur. Verum id brevi faciendum est, et in unum multa sunt conducenda, ut ne alterius defendendi causa hunc accusare, sed hujus accusandi causa defendere alterum videatur.

VIII. Atque accusatori quidem hæc fere sunt in causa facienda, et consideranda. (VIII.) Defensor autem ex contrario primum impulsionem aut nullam fuisse dicet, aut, si fuisse concedet, extenuabit, et parvulam quamdam fuisse demonstrabit, aut non ex ea solere hujusmodi facta nasci docebit. Quo et[1] erit in loco demonstrandum, quæ vis et natura ejus sit affectionis, qua impulsus aliquid reus commisisse dicetur: in quo et exempla, et similitudines erunt proferendæ, et ipsa diligenter natura ejus affectionis quam lenissime[2] quietissimam ad partem explicanda, ut et

7. *Aut conf. al. non pot. dicetur.* Schützius dat, « aut conficere non pot. aliquis dicetur », non admonito lectore.

8. *Pertinebunt.* An *pertinebant*, aut *pertinerent?* schol. MS Leid. *pertinent*, quod ex eo oriri potuit per compendium. Ern. — Non erat quod Ernesti *pertinebant* aut *pertinerent* reponendum suspicaretur. Etenim *quæ pertinebunt* h. l. idem est, ac quæ accusatori pertinere videbuntur; in quo futurum tempus æque ac in *demonstrabuntur* valet. Sch.

VIII. 1. *Quo et.* MSS Oudend. et nostri copulam addunt, nec id sapit glossatorem. Ern. — Quem Schützius sequitur.

2. *Quam lenissime quiet. ad partem.* Schütz. dat cum Lambino « quam lenissimam et quietissimam ad part. » In vulgata, inquit, primum difficile est dicere, quid sit « lenissime explicare »; deinde adverbia ista sic deinceps posita, « diligenter quam lenissime », insolentem facerent structuram. *Affectionem* autem « ad lenissimam et quietissimam partem » explicare nihil aliud est, quam ejus vim oratione sic minuere, ut ex ea facinus tam crudele aut turbulentum oriri potuisse haud videatur. Quod his vocabulis

res ipsa a facto crudeli et turbulento ad quoddam mitius et tranquillius traducatur, et oratio tamen[3] ad animum ejus, qui audiet[4], et ad animi quemdam intimum sensum accommodetur.

Ratiocinationis autem suspiciones infirmabit, si aut commodum nullum fuisse, aut parvum, aut aliis magis fuisse, aut nihilo sibi magis, quam aliis, aut incommodum sibi majus, quam commodum dicet : ut nequaquam fuerit illius commodi, quod expetitum dicatur, magnitudo aut cum eo incommodo, quod acciderit, aut cum illo periculo, quod subeatur, comparanda : qui omnes loci similiter in incommodi quoque[5] vitatione tractabuntur.

Sin accusator dixerit, eum[6] id esse sequutum, quod ei visum sit commodum, aut id fugisse, quod putarit esse incommodum, quamquam in falsa fuerit opinione; demonstrandum erit defensori, neminem tanta esse stultitia[7], qui tali in re possit veritatem ignorare. Quod si id concedatur, illud non concessum iri, ne dubitasse quidem hunc, quid ejus juris esset,

« lenissimæ et quietissimæ partis » designatur, idem mox « mitius et tranquillius » dicitur. Sch.

3. *Et oratio tamen*. MSS quidam et edd. vett. *tunc* vel *tum*, quod Oud. placet. Immo sensus *tamen* postulat. Est enim hic : defensor debet rem in leniorem partem interpretari, et vero etiam animum judicis apte ad defensionem movere. Ern. — Quem probat Schützius.

4. *Ad animum ejus, qui audiet, et ad animi q. int. s. accommodetur*. Hæc integra esse nemo mihi facile persuaserit. Forsan ita scripsit Cicero : « ad mentem ejus, qui audiet, et ad animi quemdam intimum sensum »; vel sic : « ad ejus, qui audiet, intimum sensum ». Ceterum quæ sit horum verborum sententia in promptu est. Cicero jubet oratorem exemplis et similitudinibus hoc efficere, ut illa affectionis descriptio, qua ejus natura ad lenissimam et quietissimam partem traducatur, ipsis judicibus vera esse videatur, ab eorumque mentibus ac sensibus minime abhorreat. Sch.

5. *In incommodi quoque*. *Quoque* abest ab uno Gron. cod. Sch.

6. *Eum id esse sequutum*. Schützius dat *reum*, quia *eum* non habet, quo referatur.

7. *Tanta esse stultitia*. « Tantæ stultitiæ » alii, ut Lallem. Oliv. Sch.

sed id, quod falsum fuerit, sine ulla dubitatione pro falso, quod verum, pro vero probasse[8]. Quod si dubitaverit, summæ fuisse amentiæ, dubia spe impulsum, certum in periculum se committere. Quemadmodum autem accusator, quum ab aliis culpam demovebit[9], defensoris locis utetur : sic iis locis, qui accusatori dati sunt, utetur reus, quum in alios ab se crimen volet transferre.

IX. (IX.) Ex persona autem conjectura capietur, si eæ res, quæ personis attributæ sunt, diligenter considerabuntur, quas omnes in primo libro exposuimus[1]. Nam et de nomine nonnumquam aliquid suspicionis nascitur. Nomen autem quum dicimus, cognomen quoque[2] intelligatur oportet. De hominis enim[3] certo et proprio vocabulo agitur : ut si dicamus, « Idcirco

8. *Non concessum iri... pro vero probasse.* Schützius plurima mutavit in h. l. Primum, inquit, semicolon post *concessum iri* mutavi in colon; nam illud, quod negatur concessum iri, non est in superioribus, sed in iis quæ proxime sequuntur. Deinde pro « ejus juris », quod h. l. sensum non admittit, scripsi *verius;* et glossema ineptum « pro falso, quod verum », quod totam sententiam, quæ sequitur, pervertit, expunxi. Ita omnia facile explicantur. Si accusator dixerit, reum id esse sequutum, quod ei visum sit commodum, aut id fugisse, quod putaverit esse incommodum, quamquam *in falsa* fuerit *opinione;* demonstrandum erit defensori, neminem tanta esse stultitia, qui tali in re possit veritatem ignorare. Quod si id concedatur (aliquem posse in his veritatem ignorare), illud (quod sequitur) non concessum iri, ne dubitasse quidem hunc, quid verius (commodum) fuerit, sed id, quod falsum fuerit, sine ulla dubitatione pro vero probasse. Quod si (autem) dubitaverit, summæ fuisse amentiæ, dubia spe impulsum certum in periculum se committere. SCH.

9. *Demovebit.* Sic rectissime Gu. 1, pro vulgato *dimovebit.* Orat. III, 6 : « odium demovere ab aliquo ». Dom. 26, « demovetur labes a rep. » ERN. — Similiter infra cap. 29 et 30.

IX. 1. *Exposuimus.* Cap. 24, 25 libri primi. WETZ.

2. *Cognomen quoque.* Additur *et agnomen* cod. Grev. Pal. 1, Altorf. Sed vereor ne hoc a glossatore sit. Immo tota ῥήσει *nomen... oportet* facile carebamus. SCH. — Lallem. addit *et agnomen.*

3. *De hominis enim certo et p. v. agitur.* Schützius ait se hæc verba, ut manifestum scioli alicujus emblema ex Inv. I, 24, consarcinatum, delevisse : illius tamen in contextu apparent.

aliquem Caldum[4] vocari, quod temerario et repentino consilio sit »; aut si, « Ea re[5] hominibus Græcis imperitis[6] verba dedisse, quod Clodius, aut Cæcilius[7], aut Mucius, vocarentur[8] ». Et de natura licet aliquantulum ducere suspicionis. Omnia enim hæc, vir, an mulier; hujus an illius civitatis sit; quibus sit majoribus, quibus consanguineis, qua ætate, quo animo, quo corpore, quæ naturæ sunt attributa, ad aliquam conjecturam faciendam pertinebunt. Et ex victu multæ trahuntur suspiciones, quum, quemadmodum, et apud quos, et a quibus educatus et eruditus sit, quæritur, et quibuscum vivat, qua ratione vitæ, quo more domestico vivat[9]. Et ex fortuna sæpe argumentatio nascitur, quum, servus an liber, pecuniosus an pauper, nobilis an ignobilis, felix an infelix, privatus an

4. *Caldum*. MSS quidam *callidum* vel *calidum*. Burm. ad Quintil. p. 883, *Calidium*, quod et Oud. placet. Mihi vulgatum placet, ut sit exemplum cognominis, quod id nominis verbo intelligendum dixit. Ern. — Et fuit cognomen nonnullorum ex gente Cælia. Sch.

5. *Ea re*. Sic MSS Cass. Gu. et alii apud Oud. edd. pr. deleto *de*. Ern. — Lallem. « ea de re ».

6. *Hominibus græcis imp. Græcos* habent MSS quatuor ap. Oud. Gu. 1 a m. 2. edd. pr. item Manut. Victor. Sensus est, quod illis nominibus homines in aliquo genere vitii vel virtutis noti essent. Ernest. — Notantur Græci, qui quum JCtum aliquem vellent consulere, ad aliquem deveniebant indoctum, quod scil. putarent, omnes Clodios et Mucios JCtos esse, ut Appius Claudius Cæcus vel Mucii Scævolæ, juris peritia clarissimi. Sch. — Non hic de JCtis, ut quidam crediderunt; sed de ipsa vocabulorum similitudine cum vocibus istis: « claudus, cæcus, mutus ». Hæc Gallicus interprés. Wetzelius autem: « nomina hominibus imperitis nonnisi uno aliquo virtutis genere cognita, quum plura sint vitiis quoque famosa: plures ex illis gentibus juris prudentia clarissimi non autem omnes ». — Equidem non video cur non intelligatur aliquem nomine suo, quod cum aliquo viro claro commune haberet, abusum ut homines imperitos deciperet. Vid. n. 8.

7. *Cæcilius*. Pro *Cæcilius* arbitror Ciceronem scripsisse *Cascellius*; nam in *Cascelliorum* familia jurisprudentiæ laus pæne hereditaria fuit. Sch.

8. *Vocarentur*. Schützius dat *vocaretur* e cod. Voss. c. schol. quod exemplum ab uno, non a pluribus petitur; et « dedisse... vocaretur » pendent ab antecedente *aliquem*.

9. *Quo more dom. vivat*. Schützius dat *utatur* propter repetitionem « et quibuscum vivat, qua ratione vitæ », et quod diligentissime Cicero in ea-

in potestate sit[10], aut fuerit, aut futurus sit, consideratur; aut denique aliquid eorum quæritur, quæ fortunæ esse attributa intelliguntur. Habitus autem quoniam in aliqua perfecta[11] et constanti animi aut corporis absolutione consistit, quo in genere est virtus, scientia, et quæ contraria sunt; res ipsa, causa posita, docebit, ecquid hic quoque locus suspicionis ostendat. Nam affectionis quidem ratio perspicuam solet præ se gerere[12] conjecturam, ut amor, iracundia, molestia : propterea quod et ipsorum vis intelligitur, et quæ res harum aliquam rem consequantur[13], faciles cognitu sunt. Studium autem quoniam est assidua et vehemens ad aliquam rem applicata magna cum voluntate occupatio, facile ex eo ducetur argumentatio, quam res ipsa desiderabit in causa. Item ex consilio sumetur aliquid suspicionis. Nam consilium est, aliquid faciendi non faciendive excogitata ratio. Jam facta[14], et casus, et orationes, quæ sunt omnia (ut in confirmationis præceptis dictum est) in tria tempora distributa, facile erit videre, ecquid afferant ad conjecturam confirmandam suspicionis[15].

X. (x.) Ac personis quidem res eæ sunt attributæ, ex quibus[1] omnibus unum in locum coactis, accusa-

dem re alibi dictionem variaverit, Inv. I, 25. Quintil. Inst. Orat. V, 10, rationem vitæ *studium*, morem domesticum *victum* vocat.

10. *In potestate sit.* Hoc dedit Gruterus pro « cum potestate sit » auctoritate trium codd. Lamb. et trium Pall. Sch. — Privato rectius opponitur qui est in potestate, id est, in magistratu. Ern.

11. *Perfecta.* Lallem. *et perfecta.* — De habitu et affect. resp. I, 25.

12. *Præ se gerere.* Usitatius est *ferre.* Sed et similibus in formis *gerere* dicitur, ubi usitatius est *ferre*, ut *palam gerere* ad Att. XVI, 9. Ern.

13. *Consequantur.* Schützius *consequuntur.*

14. *Jam facta.* Sic duo codd. Lambini. « Item facta » edd. vett. quod servavit Lallem. Sch.

15. *Conjecturam confirmandam s.* *Confirmandam conjecturam susp.* cod. Altorf. Sch.

X. 1. *Ex quibus.* Schütz. simpliciter *quibus.*

toris erit improbatione[2] hominis uti. Nam causa facti parum firmitudinis habet, nisi animus ejus, qui insimulatur, in eam suspicionem adducatur, ut a tali culpa non videatur abhorruisse. Ut enim animum alicujus improbare nihil attinet, quum causa, quare peccaverit[3], non intercessit[4] : sic causam peccati intercedere leve est, si animus nulli minus honestæ rationi affinis ostenditur. Quare vitam ejus, quem arguit, ex ante factis accusator improbare debebit, et ostendere, si quo in pari ante peccato convictus sit. Si id non poterit[5]; si quam in similem ante suspicionem venerit, ac maxime, si fieri poterit, simili aliquo in genere ejusdem modi causa aliqua commotum peccasse, aut in æque magna re, aut in majore, aut in minore : ut si, quem[6] pecunia dicat inductum fecisse, possit demonstrare aliqua in re ejus[7] aliquod factum avarum. Item in omni causa naturam, aut victum, aut studium, aut fortunam, aut aliquid eorum, quæ personis attributa sunt, ad eam causam, qua commotum peccasse dicet, adjungere, atque ex dispari quoque genere culparum, si ex pari sumendi facultas non erit, improbare animum adversarii oportebit :

2. *Improbatione*. Schützius *in improbatione*.

3. *Peccaverit*. MSS Cass. Gu. *peccarit*, quod videtur esse pro *peccaret*. Ern. — MSS Oud. Cass. Guelf. *peccavit*, bene. Sch.

4. *Intercessit*. Cod. Voss. c. schol. a m. pr. Voss. 1, Leid. omnes et MSS Cass. Gu. Recte. Olim in plurimis edd. *intercesserit*. Sch.

5. *Si id non poterit*. Pessima lectio insedit Ernesti editionem, e qua in Bipontinam fluxit, « sed id non poterit ». Post *poterit* addit cod. Altorf. « monstrare debebit », quod si plures codd. addicerent, haud spernerem. Ut nunc est, licet ex antecedentibus repetere *ostendet*. Sch.

6. *Ut si, quem*. Est ab editione prima; ne hoc forte quis attribuat Lambino : vulgata *si qui*, MSS *si quidem*, item *si quid*. Gaut.—Schützius emendatum a Lambino putat et olim fuisse dicit, « si quis », minus apte.

7. *Possit demonstrare aliqua in re ejus aliquod*. Schützius retraxit *ejus* ante *possit*, quod concinnius esse jam Ernesti monuerat, nisi, inquit, pro *quem* scribendum *qui*. MS Cass. dat *quidem*.

« Ut, si avaritia inductum arguas fecisse, et avarum eum, quem accuses[8], demonstrare non possis; aliis affinem esse vitiis doceas, et ex ea re[9] non esse mirandum, qui in illa re turpis, aut cupidus, aut petulans fuerit, hac quoque in re eum deliquisse[10] ». Quantum enim de honestate et auctoritate ejus, qui arguitur, detractum est, tantumdem[11] de facultate totius est defensionis deminutum. Si nulli affinis poterit vitio reus ante admisso[12] demonstrari; locus inducetur ille, per quem hortandi judices erunt, ut veterem famam hominis nihil ad rem putent pertinere. Nam eum ante celasse, nunc manifesto teneri; quare non oportere hanc rem ex superiori vita spectari, sed superiorem vitam ex hac re improbari, et aut potestatem ante peccandi non fuisse, aut causam; aut, si hæc dici non poterunt, dicendum erit illud extremum, non esse mirum, si nunc primum deliquerit. Nam necesse est[13], eum, qui velit peccare, aliquando primum delinquere. Sin vita anteacta ignorabitur, hoc loco præterito, et cur prætereatur, demonstrato, argumentis accusationem statim confirmare oportebit.

XI. (xi.) Defensor autem primum, si poterit, debebit vitam ejus, qui insimulabitur, quam honestissi-

8. *Accuses. Accusas* cod. Altorf. Sch. — De re cf. Her. II, 3.

9. *Ex ea re.* Schützius *ea re* cum cod. Leid. 1.

10. *Eum deliquisse*. Schütz. « eumdem deliquisse ». Illud, inquit, jam Purgoldus commendavit, recte advocato loco simili ad Herenn. II, 5: « deinde qui illud fecerit tam nequiter, eumdem hoc tam perperam fecisse, non esse mirandum ».

11. *Tantumdem de f.* Schützius « tantumdem ei de fac. » auctore Oud. qui *ei* reperit in suis codd.

12. *Reus ante admisso.* Videntur hæc esse a manu potius interpretis quam auctoris. Gaut. — Quo suadente Schützius delevit.

13. *Nam n. est.* Arbitror scribendum *esse*: pertinet enim ad firmandum id, quod præcedit: sic ante « nam eum ante celasse », et sic sæpe. Ern. — Ex cujus sententia Schützius reposuit *esse*. Vide Quintil. VII, 2.

mam demonstrare. Id faciet, si ostendet aliqua ejus nota et communia officia : quod genus, in parentes, cognatos, amicos, affines, necessarios; etiam quæ magis rara et eximia sunt, si ab eo cum magno aliquo labore[1], aut periculo, aut utraque re, quum necesse non esset, officii causa, aut in rempublicam, aut in parentes, aut in aliquos eorum, qui modo expositi sunt, factum aliquid esse dicet; deinde si nihil deliquisse, nulla cupiditate impeditum ab officio recessisse. Quod eo confirmatius erit, si, quum potestas impune aliquid faciendi minus honeste fuisse dicetur, voluntas ei faciendi demonstrabitur abfuisse.

Hoc autem ipsum genus[2] erit eo firmius, si eo ipso in genere, quo arguetur, integer antea fuisse demonstrabitur : ut si, quum avaritiæ causa fecisse arguatur, minime omni in vita pecuniæ cupidus fuisse doceatur. Hic illa magna cum gravitate inducetur indignatio, juncta conquestioni, per quam[3] miserum facinus esse, et indignum demonstrabitur, quum animus omni in vita fuerit a vitiis remotissimus, eam causam, putare, quæ homines audaces in fraudem rapere soleat, castissimum quoque hominem ad peccandum potuisse impellere; aut iniquum esse, et

XI. 1. *Cum magno aliquo labore... f. al. esse dicet*. Grevenb. habet « cum magno aliquid labore... factum esse dicit », quod *factum* restat in Pall. Gaut. — Schützius dat cum Lallem. « facta esse dicet » pro « factum aliquid esse dicet », e cod. Altorf. et edit. Victor. damnatque *factum aliquid*, quia ita nimium sæpe occurrit pronomen *aliquis*. Vulgatam probat Ernestius.

2. *Ipsum genus*. Delet *genus* Schützius, ut male e sqq. verbis « ipso in genere » interpolatum : nam non *genus* aliquod hic firmius dici, sed argumentum quod modo propositum erat.

3. *Per quam miserum... demonstrabitur*. Spurium quid sapit illud *demonstrabitur;* si abesset, et *per quam* unica dictione enuntiaretur melius esset sententiæ. Gaut.—Quod et Oudendorpio placet. Recte. Sermo est de conquestione, quæ non demonstrat qua est conquestio, sed per locos, id est, argumenta quibus firmetur æquitas conquestionis. Sed de his h. l. non est sermo. Ernest. —

optimo cuique perniciosissimum, non vitam honeste actam tali in tempore quam plurimum prodesse, sed subita ex criminatione, quæ confingi quamvis facile[4] possit, non ex anteacta vita, quæ neque ad tempus fingi, neque ullo modo immutari possit, facere judicium[5].

Sin autem in ante acta vita aliquæ turpitudines erunt[6] : aut falso venisse in eam existimationem dicuntur[7], aut ex aliquorum[8] invidia, aut obtrectatione, aut falsa opinione ; aut imprudentiæ, necessitudini, aut persuasioni adolescentiæ, aut alicui non malitiosæ animi affectioni attribuentur, aut dissimili in genere[9] vitiorum, ut animus non omnino integer, sed a tali[10] culpa remotus esse videatur. Ac si nullo modo[11] vitæ turpitudo, aut infamia leniri poterit oratione : negare oportebit de vita ejus et[12] moribus quæri, sed de eo crimine, quo de arguatur[13], quare, ante factis omissis, illud, quod instet, agi oportere.

Schützius propositam correctionem in textum recepit.

4. *Quæ confingi quamvis f. Quamvis* aberat ab edd. pr. Gronovius id e MSS eruit, Ernesti recepit. Cod. Voss. c. schol. « quæ conf. quamvis falso possit » superscripto *facile*, unde Oudend. conj. « quæ confingi facile quamvis falso possit ». Cod. Altorf. « quamvis facile fingi possit, quamvis falso possit ». Sch.

5. *Facere judicium.* An fieri? nam facere non respondet superiori *prodesse*. Ern.

6. *Turp. erunt.* Schützius *inerunt* e cod. Voss. 1, Leid, 3, Ernestio non improbante.

7. *Dicuntur.* Schützius cum Lallem. *dicetur* reponit, ut ad reum, qui arguitur, pertineat.

8. *Aut ex aliquorum.* Schützius delet *aut* cum cod. Altorf.

9. *Dissimili in genere.* Schützius dat « dissimili genere » e cod. Leid. quia vulgata « dissimili in genere » nexum orationis obscuratur.

10. *A tali.* Sch. *ab tali.*

11. *Ac si nullo modo... agi op.* Confer ad Her. II, 3, et ad Quintil. VII, 2, 29. Wetz.

12. *Et moribus.* Schützius cum Lallem. dat « et de moribus » auctoritate codd. Gron. et Oud.

13. *Quo de arguatur.* Schützius omittit particulam *de*, quia, inquit, « crimine aliquo aliquem arguere » dicitur, ut paullo ante, « eo ipso in genere, quo arguetur », non *de crimine arguere.* In uno cod. Oud. invenit « de quo arguatur ».

XII. (XII.) Ex facto autem ipso suspiciones ducentur, si totius administratio negotii ex omnibus partibus[1] pertentabitur : atque hæ suspiciones partim ex negotio separatim, partim communiter ex personis atque ex negotio proficiscentur. Ex negotio duci poterunt, si eas res, quæ negotiis attributæ sunt, diligenter considerabimus. Ex iis igitur in hanc constitutionem convenire videntur genera earum[2] omnia, partes generum pleræque[3].

Videre igitur primum oportebit, quæ sint continentia cum ipso negotio, hoc est, quæ ab re separari non possunt[4]. Quo in loco satis erit diligenter considerare[5], quid sit ante rem factum, ex quo spes perficiendi nata, et faciendi facultas quæsita videatur; quid in ipsa re gerenda; quid postea consequutum sit.

Deinde ipsius est negotii gestio pertractanda. Nam hoc genus earum rerum, quæ negotio attributæ sunt[6], secundo in loco nobis est expositum. Hoc ergo in genere spectabitur locus, tempus, occasio, facultas : quorum uniuscujusque vis diligenter in confirmationis præceptis explicata est. Quare, ne aut hic non admonuisse, aut ne eadem iterum dixisse videa-

XII. 1. *Ex omnibus partibus.* « Ex ipsius partibus » cod. Altorf. Sch.

2. *Genera earum.* Vulg. « genera eorum ». Sed *earum* refertur ad antecedens *rerum*, sicut paullo post « genus earum rerum ». Sch. — De negotiis resp. I, 26.

3. *Partes gen. pleræque.* Lambinus conjecerat « part. g. pleræque omnes », quia in MSS invenerat « p. g. pleræque non omnes ». Sed illud « non omnes » e glossa adjectum. Sch.

4. *Separari n. possunt.* Inclinavi in *possint.* Sed *possunt* stare potest, si pro definitione continentium ista sunt. Si propositioni toti respondent, *possint* verum est. Ern. — Lambinus *possint.* Sed quia his verbis « quæ... possunt », inest initio, explicatio vocabuli *continentia*, indicativus requiritur. Sch.

5. *Considerare.* MSS Voss. 2, *considerasse*, quod non displicet. Ern.

6. *Negotio attributæ sunt.* Schützius « negotio sunt attributæ », ut concinnius, cum Lambino.

mur, breviter demonstrabimus[7], quid quaque in parte considerari oporteat. In loco igitur opportunitas, in tempore longinquitas, in occasione commoditas ad faciendum idonea, in facultate copia et potestas earum rerum, propter quas[8] aliquid facilius fit, aut sine quibus omnino confici non potest, consideranda est.

Deinde videndum est, quid adjunctum sit negotio, hoc est, quid majus, quid minus, quid æque magnum sit, quid simile : ex quibus conjectura quædam ducitur, si, quemadmodum res majores, minores, æque magnæ similesque agi soleant, diligenter considerabitur. Quo in genere eventus[9] quoque videndus erit, hoc est, quid ex unaquaque re[10] soleat evenire, magnopere considerandum est[11]; ut metus, lætitia, titubatio.

Quarta autem pars erat ex iis, quas negotiis dicebamus esse attributas, consecutio. In ea quæruntur ea, quæ gestum negotium confestim, aut ex intervallo consequuntur. In qua videbimus ecquæ[12] consuetudo sit, ecquæ lex[13], ecquæ actio[14], ecquod ejus rei arti-

7. *Breviter demonstrabimus.* In libris duobus repertum est *injecimus.* Sane lectio non olet glossam. At videtur esse debere *injiciemus :* non quo non et illud ferri possit, sed quia Cicero in tali re futuro utitur. Ern. — Inde Sch. dedit *injiciemus.*

8. *Propter quas. Per quas*, quod est in quibusdam libris, præfert Oudendorp. Sch. — Ernestius certe usitatius dixit.

9. *Eventus.* De quo c. 6; cf. Her. II, 5; Top. 12; Part. 33. Wetz.

10. *Quid ex unaquaque re.* MSS quidam « quid ex qua re ». Voss. 2, Cass. « ex quaque re ». Ern.

11. *Magnopere c. est.* Hæc sine dubio spuria sunt : nam definitionem modo eventus voluit dare. Ernest. — Cujus opinione inductus Schützius delevit.

12. *Ecquæ consuetudo.* Schützius habet « videbimus ecqua consuetudo » : item infra duobus locis *ecqua* pro *ecquæ.*

13. *Ecquæ lex.* Has voces, quas in editionibus Gruteriana posterioribus male excidisse jam Oudendorp. monuit, restituimus. Sch. — Vide infra not. 14.

14. *Ecquæ actio.* Hic in MSS pluribus, etiam apud Victorinum, additur

ficium sit, aut usus, aut exercitatio, hominum aut approbatio, aut offensio; ex quibus nonnumquam elicitur aliquid suspicionis.

XIII. (XIII.) Sunt autem aliquæ[1] suspiciones, quæ communiter et ex negotiorum, et ex personarum attributionibus sumuntur. Nam et ex fortuna, et ex natura, et ex victu, studio, factis, casu, orationibus, consilio, et ex habitu animi aut corporis pleraque pertinent ad easdem res[2], quæ rem credibilem, aut incredibilem facere possunt, et cum facti suspicione junguntur.

Maxime enim quæri oportet in hac constitutione, primum potueritne aliquid fieri; deinde ecquo ab alio[3] potuerit; deinde facultas, de qua ante diximus; deinde utrum id facinus[4] sit, quod pœnitere[5] fuerit

lex et *pactio* pro *actio*. *Ecqua lex*, *ecqua actio*, quod verum putat Oud. Sed nec lex nec pactio convenit ceteris rebus quæ hic in causis suspicionis ponuntur, omnis hominis in quem suspicio quæritur consuetudo, artificium, usus, exercitatio. Deinde distinctionem mutavi, et interpunxi ante *hominum*: nam hoc pertinet ad approbationem et offensionem. Ern. — Mirum est Oudendorpio in mentem non venisse locum de Inv. I, cap. 28, ad quem hic respicitur, ubi Cicero deinde, inquit, « ecqua ea de re aut ejus rei sit lex, consuetudo, actio, judicium, scientia, artificium ». Nam quod Oud. Victorinum testem advocat lectionis *pactio*, id vero testimonium nullum est. Is enim lectionem *actio* his verbis explicat, pag. 111 ed. Venet. « Deinde quod ait *consuetudo, actio, judicium, scientia, artificium*, et hæc omnia gestum negotium consequuntur. Nam et consuetudo rei jam antea gestæ est, et rursus rem gestam solet aliqua actio consequi vel judicium ». Hæc ille ad Inv. I, 28. Deinde ad eum, in quo versamur, locum: « quarta etiam, inquit, pars, quæ gestum negotium consequitur, ad conjecturam tribuet argumenta; ubi quæritur lex, consuetudo, actio, usus, exercitatio ». Sch.

XIII. 1. *Aliquæ*. Id est, *aliæ quæ*, ut sæpe, quod ignorantes hic *aliæ*, vel *et aliæ* dedere. Ern. — *Et aliæ* cod. Voss. c. schol. Voss. 1, Leid. 2, 3, Altorf. quod præfert Oud. nisi forte legatur *et aliæ aliquæ*, vel quod idem significat *et aliquæ*. Sch. — Ipse habet *et aliquæ*.

2. *Easdem res*. *Eas res* MS Altorf. Leid. 2. Sch.

3. *Ecquo ab alio*. Schützius « si quo ab alio », quod interpretatur: *an quo*, et hoc est in codd. Leid. 1, 3.

4. *Utrum id facinus*. *Utrum* pro *num* etiam alibi est. Sed tamen Gu. 2 habet *num*. Vid. Clav. Ern.

5. *Quod pœnitere*. Cave ne cum

necesse; item quod spem celandi non haberet; deinde necessitudo; in qua, num necesse fuerit id aut fieri, aut ita fieri, quæritur. Quorum pars ad consilium pertinet, quod personis attributum est, ut in ea causa, quam exposuimus[6]. Ante rem erit, quod in itinere se tam familiariter applicaverit, quod sermonis causam quæsierit[7], quod simul deverterit[8], cœnarit[9]. In re, nox, somnus. Post rem, quod solus exierit, quod illum tam familiarem comitem[10] tam æquo animo reliquerit, quod cruentum gladium habuerit.

Horum pars[11] ad consilium pertinet. Quæritur enim, utrum videatur diligenter ratio faciendi esse habita et excogitata, an ita[12] temere, ut non verisimile sit, quemquam tam temere ad maleficium accessisse. In quo quæritur, num quo alio modo commodius potuerit fieri, vel a fortuna administrari. Nam sæpe, si

Lambino legas *cujus*. Adi Victorin. pag. 199; Sanctii Min. III, 1, ibique Perizon. pag. 266, et Davis. ad Cicer. Tusc. 5, 28: « nihil, quod pœnitere possit, facere », et ad Minut. Fel. cap. 28: « unum solummodo, quod non ante fuerit, pœniteret ». Oud.

6. *Ut in ea causa, quam exposuimus*. Vide supra c. 4.

7. *Quæsierit*. Hanc formam quæ est apud Victor. it. in MSS Oud. omnibus, vulgatæ *quæsiverit* præferendam censui. Sch.

8. *Deverterit*. Sic MSS, non *diverterit*. Recte. Ern.

9. *Cœnarit*. *Dein cœnarit* habet cod. Voss. c. schol. Voss. 1, 3, idque probat Oud. Nobis tamen hic frigere videtur *dein*. Sch.

10. *Tam fam. comitem*. Sic Victorii editio, neque aliter Pal. tert. aut Grev. Gaut. — Sic et Gu. uterque teste Ern. qui sic cum Victorio edidit. Refertur, inquit, ad superiora, ubi de uno itineris comite sermo. Comitatus autem de uno vix commode dicitur. — *Comitatum* Lallem. utrumque abest a cod. Voss. c. schol. a m. pr. Sch.

11. *Horum pars . . . quæritur enim*. Hæc omnia absunt a schol. Oud. et pro iis est *rursum*. Sane repetitio illa « horum. . . pertinet » non valde placet, quamquam etiam similes repetitiones notavi. Sed *quæritur enim* abest a Voss. 2, Cass. et ei non bene convenit, quod statim sequitur « in quo quæritur », saltem legendum erit « quæritur etiam ». Ern. — Schützius deletis superioribus, habet tantum: « rursum quæritur ». Quia, inquit, hoc adverbio eleganter Latini utuntur in connectendo: ut Quint. I, 10, 40; IV, 5, 2. Pro *q. enim* Voss. c. schol. habet *q. ergo*. Sed nec *enim* nec *ergo* h. l. quadrat. Sch.

12. *An ita temere . . . temere ad*

pecuniæ[13], si adjumenta, si adjutores desint, facultas fuisse faciendi non videtur. Hoc modo si diligenter attendamus[14], apta inter se esse intelligimus hæc, quæ negotiis, et illa, quæ personis sunt attributa.

(XIV.) Hic neque facile est, neque necessarium distinguere, ut in superioribus partibus, quo pacto quidque accusatorem, et quomodo defensorem tractare oporteat. Non necessarium, propterea quod, causa posita, quid in quamque conveniat, res ipsa docebit eos, qui non omnia hic se inventuros putabunt, sed [ad ea[15], quæ præcepta sunt, comparationis modo] quamdam in commune mediocrem intelligentiam conferent: non facile autem, quod et infinitum est tot de rebus utramque in partem singillatim de unaquaque explicare, et alias aliter hæc in utramque partem causæ solent convenire. Quare[16] considerare hæc, quæ exposuimus, oportebit.

maleficium accessisse. Schützius delet prius *temere*. Lambinus, quia in duobus codd. aberant ista: « Ut non verisimile sit quemquam tam temere », conjiciebat simpliciter legendum esse: « an temere ad mal. accessisse ». Nobis ista in duobus codd. verborum omissio, quæ errore librarii propter duplex *temere* facile fieri potuit, non eo valere videtur, ut ea spuria videri possint. Sed potius prius *temere* intrusum putamus, et *an ita* sic explicandum, ut intelligatur, *an ita*, sc. *negligenter* ratio faciendi sit habita.

13. *Si pecuniæ, si adjumenta.* Addidimus *si* adjumentis e MSS Gu. Cass. ut saltem æquabilis lectio sit; nec tamen lectionem certam puto. Edd. vett. habent « si pecuniæ adjumenta, si adjutores »: post interpunctio mutata est: *si pecuniæ, adj. si adj.* Mihi etiam *adjumenta* de glossa sæpe suspecta fuere. Mox cap. 14, tantum *adjutor* est. Ern. — Recte Ernesti addidit *si*, idemque præbet cod. Leid. 1, et Voss. c. schol. Cur autem Ernestio *adjumenta* de glossa suspecta fuerint, causam nullam video. Certe jam in definitione facultatis, c. 7, cum adjutoribus componebantur. Sch.

14. *Attendamus... intelligimus.* Schützius *attendemus... intelligemus.* Jam sine dubio verum esse *intelligemus* Ern. dixerat.

15. *Ad ea... modo.* Hæc sine dubio spuria sunt, et a glossatore adjecta. Absunt vero præter ultimum vocabulum a cod. Voss. c. schol. Ernesti spuria judicans uncis inclusit. Sed *modo* quoque ab aliena manu est. In cod. Altorf. inverso ordine legitur: *modo comp.* Sch.

16. *Quare considerare hæc, quæ exposuimus, oportebit.* Forsan ab

XIV. Facilius autem ad inventionem animus incedet[1], si gesti negotii et suam, et adversarii narrationem sæpe et diligenter pertractabit, et quod[2] quæque pars suspicionis habebit, eliciens, considerabit, quare, quo consilio, qua spe perficiendi quidque factum sit; cur hoc modo potius, quam illo; cur ab hoc potius, quam ab illo; cur nullo adjutore, aut cur hoc; cur nemo sit conscius, aut cur sit, aut cur hic sit; cur hoc ante factum sit; cur hoc ante factum non sit; cur hoc in ipso negotio; cur hoc post negotium; aut quid factum de industria, aut quid rem ipsam consequutum sit; constetne oratio aut cum re, aut ipsa secum; hoc hujusne rei sit signum, an illius, an et hujus[3] et illius, et utrius potius; quid factum sit, quod non oportuerit, aut non factum, quod oportuerit.

Quum animus hac intentione omnes totius negotii partes considerabit, tum illi ipsi in medium[4] conservati loci procedent, de quibus ante dictum est[5]; et quum[6] ex singulis, tum ex conjunctis argumenta certa

eodem glossatore, qui illa inculcaverat, hæc quoque interjecta sunt. Sch.

XIV. 1. *Animus inc.* MSS tres Lambini, Oudendorpii omnes, it. cod. Altorf. *animus incidet.* Neutrum tamen satis placet. Fortasse verius « facilius autem ad inventionem animo incident »; ut pluralis hujus verbi referatur ad hæc « in utramque partem ». Sic Orat. II, cap. 34 extr. « nihil te effugiet, atque omne, quod erit in re, occurret atque incidet ». Sch.

2. *Quod quæque pars.* Correxi *quod* pro vulg. *quid*, quod est h. l. alienum: deberet enim sequi *habeat*, non *habebit.* Compendia scribendi in hoc pronomine decepere homines, quæ non sunt constantia. Ern. — Quem Sch. probat.

3. *An et hujus et illius.* Addidimus primum *et* ex Oud. et nostris MSS. Ernest.

4. *Tum illi ipsi in medium conservati loci.* Sensus est: Tum reconditi loci conjecturarum efferent se in lucem: et quum ex iis separatim sumptis, tum ex iis simul sumptis fient argumenta. Praust. — Quid *conservati* hic significare possit, ambigo: forsan Cicero scripsit *universi loci procedent.* Sch. — Forsan *conjecturæ.* Suspicatur Wetzelius *coacervati.* Quo sensu nescio.

5. *De quibus ante dictum est.* Hoc ipso libro, cap. 5.

6. *Et quum... tum ex conj.* Ern. dat *tum... tum* ex MSS Oud. et suis, quem Sch. sequutus est.

nascentur. Quorum argumentorum pars probabili, pars necessario in genere versabitur. Accedunt autem ad conjecturam sæpe quæstiones[7], testimonia, rumores : quæ contra omnia[8] uterque simili via præceptorum torquere ad suæ causæ commodum debebit. Nam et ex quæstione suspiciones[9], et ex testimonio, et ex rumore aliquo pari ratione, ut ex causa, et ex persona, et ex facto duci oportebit.

(XV.) Quare nobis et ii videntur errare, qui hoc genus suspicionum artificii non putant indigere, et ii, qui aliter hoc de genere, ac de omni conjectura præcipiendum putant. Omnis enim iisdem ex locis conjectura sumenda est : nam et ejus, qui[10] in quæstione aliquid dixerit, et ejus, qui in testimonio, et ipsius rumoris[11] causa et veritas ex iisdem attributionibus reperietur. Omni autem in causa pars argumentorum est adjuncta ei causæ solum, quæ dicetur[12], et ab ipsa ita ducta, ut ab ea separatim in omnes ejusdem generis causas transferri non satis commode possit; pars autem est pervagatior, et aut in omnes ejusdem generis, aut in plerasque causas accommodata.

7. *Quæstiones.* Id est, tormenta quæ adhibito corporis cruciatu veritatem exprimunt. De quæstionibus his sive tormentis, itemque de testimoniis et rumoribus agit ex professo Quint. lib. V, cap. 3, 4, 7, p. 265-268, et seq. CAPP.

8. *Quæ contra omnia uterque simili via.* Hoc verbum *contra* explicare h. l. non possum : arbitror esse delendum. ERN. — Delevit Schütz. ut ineptum.

9. *Ex quæstione suspiciones.* Lambini editiones præferunt *suspiciosior*, quo quid sibi velit nescio : alterum enim restat in MSS nostris et editis, nisi quod P. Manutii *suspicionem*. GRUT.

10. *Nam et ejus, qui... et ejus qui.* Schützius dat, « et ejus quod... et ejus quod ». Nam, inquit, non de causa et veritate ejus, de quo quæstio habita est, vel ejus, qui testimonium dixit, agitur, sed de veritate et causa eorum, quæ in quæstione vel testimonio dicta sunt.

11. *Et ipsius rumoris causa et veritas ex*, etc. Editio prima « rumoris veritas ex ». Pal. sec. « causa et veritatis ex ». GRUT.

12. *Quæ dicetur*, MSS Oud. Gu. 1, et ed. pr. *dicitur.* Illud aut melius,

XV. Hæc ergo argumenta, quæ transferri in multas causas possunt, locos communes nominamus. Nam locus communis aut certæ rei quamdam continet amplificationem : ut si quis hoc velit ostendere, eum, qui parentem necarit, maximo supplicio esse dignum; quo loco, nisi perorata et probata [1] causa, non est utendum : aut dubiæ, quæ ex contrario quoque habeat probabiles rationes argumentandi : ut suspicionibus credi oportere, et contra [2], suspicionibus credi non oportere. Ac pars locorum communium per indignationem [3], aut per conquestionem inducitur, de quibus ante dictum est; pars per aliquam probabilem utraque ex parte rationem.

Distinguitur autem oratio atque illustratur maxime, raro inducendis locis communibus, et aliquo loco [4], jam certioribus illis [auditoribus et [5]] argumentis confirmatis. Nam et tum conceditur commune quiddam dicere, quum diligenter aliquis proprius causæ locus

aut æque bonum arbitror : sæpius quidem futurum est apud Cic. in hac forma. Ern. — Sch. contra *dicitur* reponit et tuetur.

XV. 1. *Nisi perorata et pr.* Schol. Voss. non habet *et probata*. Sed supra scriptum super « perorata, confirmata et probata ». Saltem inverterim « probata et perorata ». Ernest. — Schützius omnino delet *et probata*, ut glossatoris, et sic Oudendorpio quoque visum.

2. *Et contra*. Quæ sequuntur mihi suspecta sunt. Cicero non solet illi *contra* talem interpretationem addere : nisi vero ipsum *contra* insititium est. Ern.

3. *Per indig*. In edd. plerisque *aut per indig*. particulam *aut*, qua carent MSS Oudend. omnes, Ernesti delevit. Sch. — De indignatione et conquestione vide lib. I, c. 53 et 55.

4. *Raro . . . et aliquo loco*. *Raro* h. l. est pro *interdum*, et *aliquo l.* pro *idoneo loco*; quod utrumque in usu locorum communium est videndum. Ern.—Quem probat Schützius, cum Purgoldo reponere *apto loco* necesse non existimans.

5. *Auditoribus et*. Hæc delet Schützius; sic, inquit, edd. vett. ut Ald. ex Manutii correctione Venet. 1557 : nec cod. Voss. c. schol. habet vocem *auditoribus*, nisi inter versus pro interpretatione, cum Victorino, qui *certioribus* ita supplet : scil. *auditoribus*. Itaque recte judicavit Oudend. sicut edidimus, legendum esse. « Certioribus argumentis» bene interpr. schol. cod. Voss. « propriis et causæ ipsius ».

tractatus est, et auditoris animus aut renovatur ad ea, quæ restant, aut omnibus jam dictis exsuscitatur. Omnia enim ornamenta elocutionis, in quibus et suavitatis et gravitatis plurimum consistit, et omnia, quæ in inventione verborum[6] et sententiarum aliquid habent dignitatis, in communes locos conferuntur. Quare, non ut causarum, sic oratorum quoque multorum communes loci sunt. Nam nisi ab iis, qui multa[7] exercitatione magnam sibi[8] verborum et sententiarum copiam comparaverint, tractari non poterunt ornate et graviter, quemadmodum natura ipsorum desiderat. Atque hoc sit nobis dictum communiter de omni genere locorum communium.

XVI. (XVI.) Nunc exponemus, in conjecturalem constitutionem qui loci communes incidere soleant[1]: suspicionibus credi oportere, et non oportere; rumoribus credi oportere, et non oportere; testibus credi oportere, et non oportere; quæstionibus credi oportere, et non oportere; vitam anteactam spectari oportere, et non oportere; ejusdem esse, qui in illa re peccarit, et hoc quoque admisisse, et non esse ejusdem; maxime spectari causam oportere, et non oportere. Atque hi quidem, et si qui ejusmodi ex proprio

Adstipulatur etiam similis Ciceronis locus de Orat. III, 27: «loci communes... quibus uti, confirmatis criminibus» oportet, «aliter enim jejuni sunt et inanes». SCH. — Hæc verba sunt perturbata. Forte sic ordo fuit, «auditor jam certioribus illis argum. confirmatis». *Et*, quod omisi, abest a MS Cass. sed tamen dura est forma orationis pro «per certiora argumenta». Itaque fortasse *auditoribus* delendum; vide et Oudend. qui aliter. ERNEST.

6. *Verborum et sent.* Al. «et verb. et sent.» — De re vid. Her. IV, 3.

7. *Multa exercitatione.* «Multa in exercitatione» codd. Oud. omnes, it. codd. Medic. Oud. probat, nec Ernestio sapere librarium videtur.

8. *Sibi verborum et sententiarum.* Delevi *et* post *sibi* auctoribus MSS multis. ERN.

XVI. 1. *Qui loci communes incidere soleant.* Cf. omnino cum hoc c. Her. II, 6-8, ubi idem argumentum tractatur. WETZ.

argumento communes loci nascentur, in contrarias partes deducentur[2].

Certus autem locus est accusatoris, per quem auget facti atrocitatem; et alter, per quem negat malorum misereri oportere : defensoris, per quem calumnia accusatorum cum indignatione ostenditur; et per quem cum conquestione misericordia captatur. Hi, et ceteri omnes loci communes, ex iisdem præceptis sumuntur, quibus ceteræ argumentationes : sed illæ tenuius, et acutius, et subtilius tractantur; hi autem gravius, et ornatius, et quum verbis, tum etiam sententiis excellentibus. In illis enim finis est, ut id, quod dicitur, verum esse videatur; in his, tametsi hoc quoque videri oportet, tamen finis est amplitudo[3]. Nunc ad aliam constitutionem transeamus.

XVII. (XVII.) Quum est nominis controversia, quia vis vocabuli definienda verbis est, constitutio definitiva dicitur. Ejus generis exemplo nobis posita sit hæc causa : « C. Flaminius[1] is, qui consul rempublicam male gessit bello Punico secundo, quum tribunus plebis esset, invito senatu, et omnino contra voluntatem omnium optimatum, per seditionem ad populum legem agrariam ferebat. Hunc pater suus concilium plebis habentem de templo[2] deduxit : arcessitur

2. *In contrarias partes deducentur.* Sic Victorinus: alii MSS et edd. pr. *deducuntur.* Sed illud melius de consuetudine Ciceronis. Sensus est : et ad accusandum et ad defendendum adhiberi copiose tractati possunt. Verba « in contrarias partes » non bene intellecta *diducentur* peperere, quod in vulgatis inde ab Aldo fuit. Ern.

3. *Amplitudo.* H. l. idem quod *amplificatio*, Herenn. II, 30. Argumentationes rem demonstrant; loci communes amplificant. Cf. Her. III, 2.

XVII. 1. *C. Flaminius.* Tribun. pl. ann. 525, ut scribit Cic. Cat. IV, 4; Brut. 14, ubi agrum Picentem et Gallicum viritim contra senatus auctoritatem divídit. Deinde consul iterum ann. 535, apud Lacum Trasimenum infausta clade occubuit contra Hannibalem. Liv. XXII, 4; Corn. in Hannib. 4; Polyb. III, 83. Wetz.

2. *De templo.* Rostris, quippe loco inaugurato, ut Verr. III, 96; Vat. 10.

majestatis ». Intentio est[3], « Majestatem minuisti, quod tribunum plebis de templo deduxisti ». Depulsio est[4], « Non minui majestatem ». Questio est, « Majestatemne minuerit ». Ratio[5], « In filium enim quam habebam potestatem, ea usus sum ». Rationis infirmatio, « At enim, qui patria potestate[6], hoc est, privata quadam, tribunitiam [potestatem], hoc est, populi potestatem infirmat, minuit is majestatem ». Judicatio[7] est, « Minuatne is majestatem, qui in tribunitiam potestatem patria potestate utatur ». Ad hanc judicationem argumentationes omnes afferri oportebit.

(XVIII.) Ac ne quis forte arbitretur, nos non intelligere, aliam quoque incidere constitutionem in hanc causam; eam nos partem solam sumimus, in quam præcepta nobis danda sunt. Omnibus autem partibus hoc in libro explicatis, quivis omni in causa, si diligenter attendet, omnes videbit constitutiones, et earum partes, et controversias, si quæ forte in eas incident. Nam de omnibus perscribemus[8].

Primus ergo accusatoris locus est, ejus nominis, cujus de vi quæritur, brevis, et aperta, et ex hominum opinione definitio, hoc modo : « Majestatem minuere, est de dignitate, aut amplitudine, aut potestate populi, aut eorum, quibus populus potestatem

3. *Intentio est.* Hoc est, accusatio, sive accusatoris actio. CAPP.

4. *Depulsio est.* Id est, accusationis refutatio, sive rei defensio. CAPP.

5. *Ratio.* Αἰτία vel αἴτιον, id est, causa quam reus ad sui defensionem profert. CAPP.

6. *Qui patria potestate, hoc est, privata quadam, trib. potestatem, hoc est.* Ernesti *quadam* et *potestatem* uncis inclusit ut spuria. In MSS Gu. 2, non est, « hoc est pop. potestatem ». Ceterum libri valde fluctuant. Schützius voces *quadam* et *potestatem* delevit auctoribus Oud. et Ern. At censet J.V.L. retinendum *quadam*.

7. *Judicatio est.* Τὸ κρινόμενον, id est, hoc ipsum de quo judices laturi sunt sententiam. CAPPER.

8. *Perscribemus.* MSS Oudendorp. et Gu. 1, *præscribemus*, i. e. præcipiemus : quod probat Oudend. Sic est infra, c. 22. Sed et *perscribemus* recte dicitur in hac sententia. ERN.

dedit, aliquid derogare ». Hoc sic breviter[9] expositum, pluribus verbis est et rationibus confirmandum, et ita esse, ut descripseris, ostendendum. Postea ad id, quod definieris, factum ejus, qui accusabitur, adjungere oportebit, et ex eo, quod ostenderis esse, verbi[10] causa, majestatem minuere, docere, adversarium majestatem minuisse, et hunc locum totum communi loco confirmare, per quem ipsius facti atrocitas, aut indignitas, aut omnino culpa cum indignatione augeatur.

Post erit infirmanda adversariorum descriptio. Ea autem infirmabitur, si falsa demonstrabitur. Hoc ex opinione hominum sumetur, quum, quemadmodum, et quibus in rebus homines in consuetudine scribendi, aut sermocinandi eo verbo uti soleant, considerabitur. Item infirmabitur, si turpis, aut inutilis esse ostendetur ejus descriptionis approbatio, et si, quæ incommoda consequutura sint, eo concesso[11], ostendetur[12]; id autem ex honestatis et utilitatis partibus sumetur, de quibus in deliberationis præceptis exponemus : et si cum definitione nostra[13] adversariorum definitionem conferemus, et nostram, veram, honestam, utilem esse demonstrabimus; illorum, contra.

9. *Hoc sic breviter expositum..... confirmandum*. Alii, « Hoc si breviter expositum (est), confirmandum est ».

10. *Verbi causa*. Hæc delet Schütz. Spurium esse, inquit, Lambinus recte judicavit : nam si novum aliquod Cicero proferret exemplum e multis electum, locum haberet « verbi causa ». Nunc quum in eodem illo exemplo de « majestate minuenda » versetur, nec hunc demum de ea dicere incipiat, ridiculum esset « verbi causa » h. l. adjicere. Sch.

11. *Eo concesso*. Hoc quidem vitiosum est : edd. pr. « eis concessis » : quod non melius est. Simplicissimum est cum Lambino corrigere, « ea concessa ». Quidam libri habent *ejus*, unde Oudendorp. facit « ejus concessu » : sed id de personis, non de rebus dicitur. Ern. — Schützius dedit : « ea concessa ».

12. *Ostendetur*. Schützius, auctore Oud. e cod. Leid. 1, recepit *demonstrabitur*, ne bis idem verbum deinceps positum offenderet.

13. *Et si cum definitione nostra*. Libri Suffredi nostri verbo auctiores : « et si infirmabitur cum definitione nostra ». Pall. non variant, nisi quod

Quæremus autem res, aut majori[14], aut pari in negotio similes, ex quibus affirmetur nostra descriptio.

XVIII. Jam si res plures erunt definiendæ : ut, si quæratur, « Fur sit, an sacrilegus[1], qui vasa ex privato sacra surripuerit » ; erit utendum pluribus definitionibus; deinde simili ratione causa tractanda. Locus autem communis in ejus malitiam, qui non modo rerum, verum etiam verborum potestatem sibi arrogare conetur, ut et faciat quod velit, et id, quod fecerit, quo velit nomine appellet.

Deinde defensoris primus locus est, item nominis brevis, et aperta, et ex opinione hominum descriptio, hoc modo : « Majestatem minuere est aliquid de republica, quum potestatem non habeas, administrare ». Deinde hujus confirmatio similibus et exemplis, et rationibus. Postea sui facti ab illa definitione separatio. Deinde locus communis, per quem facti utilitas, aut honestas adaugetur.

Deinde sequitur adversariorum definitionis reprehensio, quæ iisdem ex locis omnibus, quos accusatori præscripsimus, conficitur; et cetera post eadem præter communem locum inducentur. Locus autem communis erit defensoris is, per quem indignabitur, accusatorem sui periculi causa non res solum convertere, verum etiam verba commutare conari. Nam illi quidem communes loci, qui aut calumniæ accusatorum demonstrandæ, aut misericordiæ captandæ, aut facti indignandi, aut a misericordia deterrendi causa sumuntur, ex periculi magnitudine, non ex causæ genere ducuntur. Quare non in omnem causam, sed

exstet in sec. « aut sic eum de definitione n. » SCH.

14. *Aut majori, aut pari*. Schütz. cum Lallem. « aut majori, aut minori, aut pari », non admonito lectore.

XVIII. 1. *Fur sit, an sacrilegus*. Resp. I, 8; Her. II, 30. — *Item*, ut supra *accusatoris*, cap. 17.

in omne causæ genus incidunt. Eorum mentionem[2] in conjecturali constitutione fecimus. Inductione[3] autem, quum causa postulabit, utemur.

XIX. (XIX.) Quum autem actio translationis[1] aut commutationis indigere videtur, quod non aut is agit, quem oportet, aut cum eo, quicum oportet, aut apud quos, qua lege, qua pœna, quo crimine, quo tempore oportet, constitutio translativa appellatur. Hujus nobis exempla permulta opus sunt[2], si singula translationum genera quæramus : sed quia ratio præceptorum[3] similis est, exemplorum multitudine supersedendum est. Atque in nostra quidem consuetudine multis de causis fit, ut rarius incidant translationes. Nam et prætoriis exceptionibus multæ excluduntur actiones, et ita jus civile habemus constitutum, ut causa cadat is, qui non, quemadmodum oportet, egerit. Quare in jure plerumque versantur. Ibi enim et exceptiones postulantur, et quodammodo agendi potestas datur, et omnis conceptio privatorum judiciorum[4] constituitur. In ipsis autem judiciis ra-

2. *Eorum mentionem.....fecimus.* Sup. cap. 15, 16 hujus libri. SCH.

3. *Inductione autem.* Vulg. addunt *eorum*, quod recte abest a MSS aliquot. Oudend. Cass. Guelf. 1, et jam Ernesti rejecit. SCH. — Lallem. retinuit. Edd. pr. « eorum locorum ». — De inductione resp. I, 31, 32.

XIX. 1. *Translationis.* Cap. 19, 20 ; cf. I, 8. WETZ.

2. *Opus sunt.* Schütz, *opus sint.*

3. *Quia ratio præceptorum similis est.* Inutilis est conjectura Purgoldi, qui pro *similis* legi vult *facilis*. Cicero enim hoc innuit, non opus esse ad singula translationum genera singulis exemplis, quia ratio præceptorum in omnibus similis est. Hoc explicatione sua firmat Marius Victorinus. Si quid mutandum esset, præferrem doctissimi Jacobsii emendationem, in censura animadversionum Purgoldi propositam, ut legeretur « ratio præceptorum simplex est ». Enimvero *similis* eumdem sensum parit, et eodem modo positum occurrit c. 32, init. SCH.

4. *Conceptio privatorum judiciorum.* Schütz. dat « conceptio privatarum actionum ». Actiones quidem, inquit, concipiuntur et formulæ, at judiciorum nulla est conceptio. Ac si Cicero scripsisset « privatorum judiciorum », deinceps scribere debuisset : « in publicis autem judiciis rarius incidunt ». Nunc autem quum scripserit : « in ipsis autem judiciis », intel-

rius incidunt, et tamen si quando incidunt, ejusmodi sunt, ut per se minus habeant firmitudinis, confirmentur autem assumpta alia aliqua constitutione : ut in quodam judicio, « Quum venefici [5] cujusdam nomen esset delatum, et, quia parricidii causa subscripta esset, extra ordinem esset acceptum, quum in accusatione alia quædam crimina testibus et argumentis confirmarentur, parricidii autem solum mentio facta esset; defensor in hoc ipso multum oportet et diu consistat [6] : quum de nece parentis nihil demonstratum sit, indignum facinus esse, ea pœna afficere eum, qua parricidæ afficiuntur [7]; id autem, si damnetur [8], fieri necesse esse [9], quoniam et id causæ

liguntur judicia publica, quæ proprie et κατ' ἐξοχὴν dicuntur judicia, hisque opponitur antea « in jure », id est, in jurisdictione civili et prætoria, quæ item proprie *jurisdictio* appellatur. Cicero docet, ex Romanorum consuetudine s. more, rarius omnino incidere translationes s. causas translativas; et in causis privatis quidem, quod rarius incidant, has esse causas, quod et prætoriis exceptionibus multæ excludantur actiones, et secundum jus civile causa cadat is, qui non, quemadmodum oporteat, egerit. Si quæ tamen incidant translationes, eas in jure (civili) plerumque versari. — In ipsis autem publicis judiciis rarius etiam (quam in privatis) incidere; et si quando incidant, per se minus habere firmitudinis, confirmari autem assumpta alia quadam constitutione. Sch.

5. *Quum venefici.....mentio facta esset; defensor*. Hic est oratio ἀνακόλουθος, quod viri docti non animadverterunt. Nam exemplum propositum est rei præteritæ; unde debebat sequi quid defensor dicere debuerit in hac causa : sed Cicero præcipit, ut de re futura, aut quæ incidere possit, « quum nomen delatum esset..... defensor in hoc...oportet ». Secus est in aliis exemplis, ut mox : ubi præcepit quidem Cicero in præsenti, sed sine conjunctione tali cum præcedente. Ern. — Ἀνακολουθίαν evitat Schützius sic interpungendo : « ut in quodam judicio, quum...esset. Defensor ». Putat tamen ante vocabulum *defensor* excidisse verba « hoc in genere causæ », vel similia, quibus Cic. post exemplum causarum expositum uti solet.

6. *Multum oportet et diu consistat*. Ita cod. Voss. c. schol. Leid. 2. Quam lectionem vulgatæ « oportet ut » Oud. et Ernesti prætulerunt. Sch.

7. *Afficiuntur*. Indicativus hic servandus, etsi conjunctivum requiri putabat Ernesti. Sch.

8. *Damnetur*. Ern. bene *damnetur* pro vulg. *damnaretur* dedit. Sch.

9. *Necesse esse*. Vitiosam quorumdam MSS et edd. lectionem « necesse esset », male defendit Gronov. Sch.—

subscriptum, et ex ea re[10] nomen extra ordinem[11] sit acceptum. Ea igitur pœna si affici reum non oporteat, damnari quoque non oportere, quoniam ea pœna damnationem necessario consequatur ». Hic defensor, pœnæ commutationem ex translativo genere inducendo, totam infirmabit accusationem. Verumtamen ceteris quoque criminibus defendendis[12] conjecturali constitutione translationem confirmabit.

XX. Exemplum[1] autem translationis in causa nobis positum sit hujusmodi : « Quum ad vim faciendam quidam armati venissent, armati contra præsto fuerunt, et cuidam equiti romano, quidam ex armatis, resistenti, gladio manum præcidit. Agit is, cui manus præcisa est, injuriarum. Postulat is, quicum agitur, a prætore exceptionem, EXTRA QUAM[2] IN REUM CAPITIS PRÆJUDICIUM FIAT. Hic is, qui agit, judicium purum postulat; ille, quicum agitur, exceptionem addi ait oportere ». — Quæstio est, « Excipiendum sit, an non ». — Ratio, « Non enim oportet, in recuperatorio judi-

Ex hac vitiosa lectione natum est *damnaretur* pro *damnetur*.

10. *Ex ea re*. Schütz. « ea re » cum MSS Oud. omnibus.

11. *Nomen extra ordinem*. Nempe judicia de criminibus eo ordine, quo erant delata, habebantur; si vero atrocius crimen esset, ut parricidii, extra ordinem nomen accipiebatur, et judex extraordinarius dabatur. Sch.

12. *Criminibus defendendis*. Id est, propulsandis, ut « injuriam oportere defendi » Cic. pro Rosc. Am. 1. Sch.

XX. 1. *Exemplum.....hujusmodi*. Forte Cicero scripsit : « Exemplum autem translationis in causa positæ sit nobis hujusmodi ». Ut translatio in causa posita sit ejusmodi causa translativa, quæ per se satis habeat firmitudinis, nec alia quadam constitutione assumpta debeat confirmari, ut in priore exemplo. Sch.

2. *Extra quam in reum c. p. fiat*. Quia nimirum is, qui equiti romano manum præciderat, præter hanc atrocem injuriam cædis quoque factæ vel reus erat, vel certe suspectus : ut se ab illa saltem injuriarum actione liberaret, postulabat a prætore exceptionem, extra quam in reum capitis præjudicium fiat; h. e. nisi, antequam de ista injuriarum actione judicetur, reus ob maleficium, de quo inter sicarios quæritur, judicandus esset. Sch. — Equidem sic intelligo : Qui ad vim faciendam venerant, ii tamquam sicarii, rei capitis esse debebant. At unus ex illis postulabatur injuriarum ab eo

cio[3], ejus maleficii, de quo inter sicarios quæritur, præjudicium fieri ». — Infirmatio rationis, « Ejusmodi sunt injuriæ, ut de his indignum sit non primo quoque tempore judicari ». — Judicatio, « Atrocitas injuriarum satisne causæ sit, quare, dum de ea judicetur, de aliquo majore maleficio, de quo judicium comparatum sit, præjudicetur ». Atque exemplum quidem hoc est. (xx.) In omni autem causa ab utroque quæri oportebit, a quo, et per quos, et quomodo, et quo tempore aut agi, aut judicari, aut quid statui de ea re conveniat.

Id ex partibus juris, de quibus post dicendum[4] est, sumi oportebit, et ratiocinari, quid in similibus rebus fieri soleat, et videre, utrum malitia aliud[5] agatur, aliud simuletur, an stultitia, an necessitudine, quod alio modo agi non possit, an occasione agendi sic sit judicium aut actio constituta, an recte sine ulla re ejusmodi res agatur[6]. Locus autem communis contra eum, qui translationem inducet, fugere judicium ac pœnam, quia causæ diffidat. A translatione[7] autem,

equite, cujus manum absciderat. H. e. repetebatur ab eo certa aliqua pecunia, in illatæ injuriæ, manus scilicet abscissæ reparationem. Damnari autem in hoc recuperatorio judicio non poterat, quin simul auctor illatæ violentiæ agnosceretur, et ita manifestus rei capitalis ante capitale judicium fieret. Rogat ille, ne tale præjudicium in se fiat, et postulat a prætore exceptionem talibus actionibus a lege ipsa constitutam his verbis : « extra quam in reum capitis præjudicium fiat ».

3. *In recuperatorio judicio.* Recuperatorium judicium est, in quo judices dantur injuriis æstimandis, qui recuperatores dicti sunt. Sch.

4. *De quibus post dicendum est.* Inde a cap. 23.

5. *Utrum malitia aliud agatur.* Delevi *quid* ante *aliud* e MSS duobus. Schol. Gu. 2 pariter omittit, et sic de simulatione loquitur Cicero. Ern. — Quem probat Schütz. — Ubi aliud agitur, aliud simulatur, ibi est dolus malus, definiente Aquilio apud Ciceronis Offic. III, 14. Cf. ad Herenn. II, 14. Wetz.

6. *Ejusmodi res agatur.* Schützius delet *res*, quia hic, ubi quæritur, an aliquis ita ut oportet *egerit*, aptius erat *agitur* absolute poni.

7. *A translatione autem, omnium fore*, etc. Erit locus communis pro

omnium fore perturbationem[8], si non ita res agantur, et in judicium veniant, quo pacto oporteat; hoc est, si aut cum eo agatur, quicum non oporteat, aut alia pœna, alio crimine, alio tempore; atque hanc rationem ad perturbationem judiciorum omnium pertinere. Tres igitur eæ constitutiones[9], quæ partes non habent, ad hunc modum tractabuntur. Nunc generalem constitutionem, et partes ejus consideremus.

XXI. (XXI.) Quum et facto, et facti nomine concesso, neque ulla actionis illata controversia[1], vis et natura, et genus negotii ipsius quæritur; constitutionem generalem[2] appellamus. Hujus primas esse partes duas nobis videri diximus[3], negotialem, et juridicialem. Negotialis est, quæ in ipso negotio juris civilis habet implicatam[4] controversiam. Ea est hujusmodi: « Quidam pupillum heredem fecit; pupillus autem ante mortuus est, quam in suam tutelam[5] venisset[6].

eo qui translationem postulat: omnium fore perturbationem, etc.

8. *Omnium fore perturbationem.* Schütz. « rerum omnium fore perturbationem ». Addidi, inquit, *rerum*, quod abest a codd. et edd. Ernesti putabat *judiciorum* excidisse. Verum sic exsisteret insuavis tautologia; nam statim sequitur: « atque hanc rationem ad perturbationem judiciorum omnium pertinere ».

9. *Tres igitur eæ constitutiones.* Nempe conjecturalis, cap. 4 seqq. definitiva, cap. 17 seqq. translativa, cap. 19 seq. Sch.

XXI. 1. *Neque ulla actionis illata controversia.* Hoc est, neque per constitutionem translativam ex causis, cap. 19, init. expositis, adversario, ut actio transferatur, aut commutetur, postulante. Sch.

2. *Generalem.* Resp. lib. I, c. 9.

3. *Hujus primas esse partes duas nobis videri diximus.* Nempe lib. I, cap. 11; conf. ad Herennium, lib. I, cap. 11, 15. Ceterum apud Nostrum constitutio causæ quarta *generalis*: cujus pars est altera *juridicialis*; Herennio contra constitutio causæ tertia *juridicialis*. Wetz.

4. *Implicatam.* Al. *implicitam*.

5. *Ante... quam in suam t.* Id est, antequam pubes factus esset, et testari posset: *in suam* enim *tutelam* venire, vel *suæ tutelæ* fieri nihil aliud est quam ad pubertatem venire. Goth.

6. *Venisset.* Sic correxi pro *veniret*, in quo est manifestus solœcismus, a germanis librariis ortus. Ern. — — Injuria Ernesti *venisset* reposuit. Cf. Cl. Conr. Heusingeri Præf. ad Cic. de Offic. p. 58, 59. Sch. — Cum Ernestio sentiunt Wetzelius et gallicus interpres.

De hereditate ea, quæ pupillo venit[7], inter eos, qui patris pupilli heredes secundi[8] sunt, et inter agnatos pupilli controversia est. Possessio heredum secundorum est ». Intentio est agnatorum, « Nostra pecunia est, de qua is, cujus agnati sumus[9], testatus non est ». Depulsio est, « Immo nostra, qui heredes secundi testamento patris sumus ». Quæstio est, « Utrorum sit ». Ratio est[10], « Pater enim et sibi, et filio[11] testamentum scripsit, dum is pupillus esset. Quare, quæ filii fuerunt, testamento patris nostra fiant necesse est ». Infirmatio est rationis, « Immo pater sibi scripsit, et secundum heredem non filio, sed sibi jussit esse. Quare, præterquam quod ipsius fuit[12], testamento illius vestrum esse non potest ». Judicatio, « Possitne quisquam de filii pupilli re testari[13]; an heredes secun-

7. *Quæ pupillo venit.* Nempe non de hereditate paterna, sed de adventitia, ex ejus, qui pupillum heredem fecerat testamento. Scн.

8. *Heredes secundi sunt.* Poterat testamentum ex lege infirmari post mortem testatoris, nam aut ante testatorem mori poterant, aut non apti videri ad hereditatem capiendam quos ille heredes instituisset. Quapropter secundos et tertios heredes designare licebat, qui priorum in locum, si res ferret, substituerentur. J. V. L. — Ut hæc tota causa magis dilucidetur, nominibus fictis utamur. Sempronius quidam Caii filium pupillum Titium heredem fecit. Hic Titius moritur antequam in suam tutelam venisset. Pater Caius postea moritur, et in testamento ejus heredes secundi filio substituti sunt Curtii. Inter hos Curtios et Titii agnatos de hereditate ea quæ pupillo a Sempronio venerat, controversia est. Scн.

9. *Is, cujus agnati sumus.* Sc. pupillus antequam in suam tutelam veniret defunctus. Scн.

10. *Ratio est.* Scil. « quam patris heredes secundi afferunt ad depulsionem firmandam ».

11. *Et sibi, et filio.* Patri enim licebat et suo et impuberis filii nomine testamentum facere. Scн.

12. *Quod ipsius fuit, testamento illius. Ipsius*, intellige *patris*, minime autem, quod Ernesti putabat, *filii*. « Vulgo : *quod ipsius fuit in testamento ullius vestrum*, sine sensu. Interpunxi post *fuit : in* delevi, et pro *ullius* dedi *illius* auctoribus MSS et edd. pr. in quibus tantum vitiosa est interpunctio. Aldus primus dedit *ullius*, vitio, ut opinor, operarum » Hactenus Ernesti, qui rem bene, Oud. sequutus, administravit, nisi quod *ullius vestrum* sensu carere frustra negavit. Scн.

13. *Possitne... heredes sint.* Id

di, ipsius patrisfamilias, non filii quoque ejus pupilli heredes sint ». Atque hoc non alienum est[14], quod ad multa pertineat, ne aut nusquam, aut usquequaque dicatur, hic admonere. Sunt causæ, quæ plures habent rationes in simplici constitutione : quod fit, quum id, quod factum est, aut quod defenditur, pluribus de causis rectum, aut probabile videri potest, ut in hac ipsa causa. Supponatur enim ab heredibus hæc ratio : « Unius enim pecuniæ plures, dissimilibus de causis, heredes esse non possunt ; nec umquam factum est, ut ejusdem pecuniæ alius testamento, alius lege heres esset »[15] ; infirmatio hæc erit, « Non est una pecunia : propterea, quod altera jam erat pupilli adventitia ; cujus heres non, illo[16] tempore, testamento quisquam scriptus erat, si quid pupillo accidisset : et de altera, patris etiam nunc mortui voluntas plurimum valebat[17], quæ jam[18] mortuo pupillo suis heredibus concedebat ».

est, possitne pater aliquis de filii pupilli re, de ejus bonis adventitiis testari, ita ut heredes patris secundi etiam in filii bona adventitia succedant, an potius verum sit, heredes secundos patris familias non filii quoque ejus pupilli heredes esse. Sch.

14. *Atque hoc non alienum est.* Fortasse scripsit Cicero, « atque hoc loco non al. est, etc. » Sch.

15. *Heres esset ; infirmatio hæc erit.* Sic interpunxi et scripsi, quum in vulgatis esset : « heres esset. Infirmatio autem hæc erit ». Obfuit hic neglecta conjunctionis observatio : « supponatur e. ab heredibus hæc ratio : « unius enim, etc. heres esset » ; infirmatio hæc erit ». Breviter velut : « si hæc est ratio, infirmatio hæc erit » : hic *autem* locum habere non potest ; sed additum est quia punctum erat post *esset.* *Autem* aberat a schol. Voss. 2. Ern. — Quem Sch. probat.

16. *Illo tempore.* Vulg. « illo in tempore ». Mox verba vulg. « in testamento » vix sunt Ciceronis : saltem *in* delendum fuit, ut feci, auctoribus MSS duobus ap. Oud. et Gu. 2. Ernest.

17. *Valebat.* Schützius dat *valebit*, quod Ernestio non displicebat, ex MS Cass. Gu. Probat Wetzel. item gallicus interpres. MS Leid. *cedebat*, quod placet Oudend. non autem Ernestio.

18. *Quæ jam.* Schützius dat *quæ illam. Jam*, inquit, h. l. sensu caret ; nisi velis lectionem cod. Leid. 3, *cedebat* asciscere : « quæ jam non mortuo pupillo suis », i. e. patris *heredibus cedebat* : quæ tamen verborum constructio perplexa est et ambigua.

Judicatio est, « Unane pecunia fuerit [19] » : ac, si hac erunt usi infirmatione, « Posse plures esse unius pecuniæ heredes dissimilibus de causis » ; de eo ipso judicatio nascitur [20], « Possintne ejusdem pecuniæ plures dissimilibus generibus esse heredes ».

XXII. Ergo una in constitutione intellectum est, quomodo et rationes, et rationum infirmationes et præterea judicationes plures fiant. (XXII.) Nunc hujus generis præcepta videamus. Utrisque, aut etiam omnibus, si plures ambigent, jus [1] ex quibus rebus constet, est considerandum. Initium ergo ejus ab natura ductum videtur; quædam autem ex utilitatis ratione aut perspicua nobis, aut obscura, in consuetudinem venisse; post autem, approbata quædam, aut a consuetudine [2] aut a vero utilia visa, legibus esse firmata: ac naturæ quidem jus esse [3], quod nobis non opinio, sed quædam innata vis afferat, ut religionem, pietatem [4], gratiam, vindicationem, observantiam, veritatem. Religionem, eam, quæ in metu et cærimonia deorum sit, appellant; pietatem, quæ erga patriam, aut parentes, aut alios sanguine conjunctos officium

— Probant Schützium Wetzelius et Gall. interpr.

19. *Fuerit : ac, si hac.* Schützius « fuerit. At, si hac ». Lall. *aut* pro *ac* dedit.

20. *Nascitur.* Schützius *nascetur*, non admonito lectore.

XXII. 1. *Jus.* Cf. infra c. 53, 54.

2. *Aut a consuetudine aut a vero.* Schützius dat cum Lambin. Oliv. Lallem. « a consuetudine aut vero ». Primum, inquit, illud *aut* ante *consuet.* alieno loco inculcatum recte abest a compluribus MSS Oudend. *a vero* Ernesti quidem interpr. « propter veritatem ». Simplicius tamen est *aut vero* exponere, ut Gallorum *ou bien*, aut nostrum *oder aber*. Nam quædam consuetudine approbantur, etiamsi non sint utilia visa. Sch.

3. *Jus esse.* Recte sic pro *est* scribendum credidit libris suis Gronov. Accedunt MSS apud Oud. Cass. Iterum obfuit non animadversa structura. Cohærent autem sic : initium juris ab natura ductum videtur : ac naturæ jus esse, quod nobis... afferat (non locum haberet *afferat*, si verum esset vulgatum *jus est*) *ut religionem*, etc. Ern. — Probante Sch.

4. *Religionem, pietatem, grat. vindicationem.* Inseruimus *gratiam*,

conservare moneat; gratiam, quæ in memoria et remuneratione officiorum, et honoris[5], et amicitiarum observantiam teneat; vindicationem, per quam, vim, et contumeliam, defendendo, aut ulciscendo, propulsamus a nobis, et a nostris, qui nobis esse cari debent, et per quam peccata punimus; observantiam, per quam ætate, aut sapientia, aut honore, aut aliqua dignitate antecedentes veremur[6] et colimus; veritatem, per quam damus operam, ne quid aliter, quam confirmaverimus, fiat, aut factum aut futurum sit. Ac naturæ quidem jura minus ipsa[7] quæruntur ad hanc controversiam, quod neque in hoc civili jure versantur, et a vulgari intelligentia remotiora sunt; ad similitudinem vero aliquam, aut ad rem amplificandam sæpe sunt inferenda.

Consuetudinis[8] autem jus esse putatur id, quod voluntate omnium sine lege vetustas comprobarit. In ea[9] autem jura sunt quædam[10] ipsa jam certa propter vetustatem. Quo in genere et alia sunt multa, et eorum

quæ vox in editione J. V. L. exciderat; nam habent Ernest. Sch. Lallem. Bipont. Wetz. et aliæ quot inspeximus edd. et ex sequentibus necessaria est. De re cf. Part. 22.

5. *Et honoris*. Pro vulgato *honorum*, e MSS Oud. Cass. Gu. edd. pr. Vulgatum Aldus induxit. *Honores* sic non dicuntur. Ern.

6. *Veremur et colimus*. MSS quidam *veneramur*, item edd. pr. ante Ald. duo Oud. *vereremus*: unde colligas *veneremur*; quo sumpto *colamus* post legendum sit. Omnino mirum est, post conjunctivos in antecedentibus, repente post *vindicationem* meros indicativos esse: quod sane secundum veram latinitatem vitiosum est. Credo istam mutationem librariis deberi. Ernest. — Nihil mutandum censet Schützius.

7. *Minus ipsa*. Id est, per se ipsa minus veniunt in controversiam; sed tamen ad similitudinem aliquam, aut ad rem amplificandam interdum inferuntur. Sch.

8. *Consuetudinis*. Cf. infra c. 54, et Her. II, 13.

9. *In ea autem*. Sch. dat « in eo autem », sc. jure consuetudinis, quia *in ea* non habet, quo referatur. Bene monet Wetzelius *ea* referri ad *consuetudinis*.

10. *Jura sunt quædam ipsa jam certa*. *Jura ipsa* hic dicuntur *singularia*, et opponuntur « generibus jurium »; e. c. *pactum* est aliquod genus juris. Quod autem emptio potior ha-

multo maxima pars, quæ prætores edicere consuerunt[11]. Quædam autem genera juris jam certa consuetudine facta sunt : quod genus, pactum, par, judicatum. Pactum est, quod inter aliquos convenit, quod jam ita justum putatur, ut jure præstari dicatur[12]. Par, quod in omnes æquabile est. Judicatum, de quo jam ante sententia alicujus, aut aliquorum constitutum est. Jam jura legitima ex legibus cognosci oportebit. His ergo ex partibus juris, quidquid aut ex ipsa re, aut ex simili, aut ex majore[13] minoreve nasci videbitur, attendere, atque elicere pertentando unamquamque partem juris oportebit. Locorum autem communium, quoniam (ut ante dictum est) duo sunt genera, quorum alterum dubiæ rei, alterum certæ continet amplificationem, quid ipsa causa det, et quid augeri per communem locum possit et oporteat, considerabitur. Nam certi, qui in omnes incidant, loci, præscribi non possunt : in plerisque fortasse ab auctoritate[14] jurisconsultorum, et contra auctoritatem dici oportebit. Attendendum est autem

betur conductione, hoc est, *ipsum* quoddam jus, s. jus singulare. *Certa* autem jura sunt, de quibus ambigi non potest. Cf. de Inv. II, 53. Sch.

11. *Consuerunt.* Sch. *consueverunt.*

12. *Jure præstari dicantur.* Pro vulgato « juri præstare » : quod ne sensum quidem habet. Sic dedimus partim e MSS, qui habent *jure*, et ex Herenn. II, 13, ubi eadem definitio est. Oudend. tamen malit « jura præstare », i. e. superare e MSS Leid. qui sic habent. Sed id non recte de pactis dicitur. Ern. — Contra Schützius defendit et hic, et ad Herenn. l. c. scribendum esse « jure præstare » ut cod. Altorf. et aliquot Oud.

13. *Aut ex m. min. nasci videbitur, attendere.* Ita Pall. nostri comptius multo quam hactenus vulgata : « aut ex majore, aut ex minore nasci videbitur, quemque attendere, etc. » nam editio prima « quisque attendere » habebat. Grut.

14. *Ab auctoritate jurisconsultorum...dici oportebit.* MSS Oud. habent *duci*, et sic edd. pr. idque defendit Oudend. tamquam loci *duci* debeant *ab auctoritate* JCtorum. Sed ut hoc intelligi possit, tamen alterum « contra auctoritatem » non evenit. Sæpe est in his « dicere ab, et contra », i. e. defendere et refellere. Itaque vulgatum servandum. Hactenus Ern. qui sine dubio verum vidit. Lambinus dedit : « pro auctoritate jurisconsul-

et in hac, et in omnibus, num quos locos communes, præter eos, quos exposuimus, ipsa res ostendat. Nunc juridiciale genus et partes ejus consideremus.

XXIII. (XXIII.) Juridicialis[1] est, in qua æqui et iniqui natura, et præmii aut pœnæ ratio quæritur. Hujus partes sunt duæ, quarum alteram absolutam, assumptivam alteram nominamus. Absoluta est, quæ ipsa in se, non ut negotialis implicite et abscondite, sed patentius et expeditius recti et non recti quæstionem continet. Ea est hujusmodi : « Quum Thebani Lacedæmonios bello superavissent, et fere mos esset Graiis, quum inter se bellum gessissent, ut ii, qui vicissent, tropæum aliquod in finibus statuerent, victoriæ modo in præsentia declarandæ causa, non ut in perpetuum belli memoria maneret; æneum statuerunt tropæum. Accusantur apud Amphictyonas, id est, apud commune Græciæ concilium[2] ». Intentio est, « Non oportuit ». Depulsio est, « Oportuit ». Quæstio est, « Oportueritne ». Ratio est, « Eam enim ex bello gloriam virtute peperimus, ut ejus æterna insignia posteris nostris relinquere vellemus ». Infirmatio est, « Attamen æternum inimicitiarum monumentum Graios de Graiis statuere non oportet ». Judicatio est, « Quum summæ virtutis celebrandæ causa Graii de Graiis

torum » : sed illud *pro* ex interpretatione τοῦ *ab* natum videtur. SCH. — Lambin. *pro* minus eleganter. J. V. L. — Dicit ab auctoritate JC. qui eam defendit, eaque pro se utitur. WETZ.

XXIII. 1. *Juridicialis est.* Resp. cap. 21. Ea quærit de æquo et iniquo, de præmio et pœna; quam inde non inepte Her. I, 11 facit tertiam causæ constitutionem; non, ut Noster, quartæ constitutionis partem. WETZ.

2. *Id est, apud comm. Græciæ concilium.* Gulielmius habet pro adulterinis; et poterant abesse sine detrimento sententiæ : visuntur tamen in membranis nostris omnibus. GRUT. — Hoc a viris doctis spurium putatur; nec valde repugnem. Sed tamen definitiones tales, non valde necessariæ, passim in his libris et ad Her. occurrunt. ERN. — Schützius delevit, auctoribus Lambino et Oudendorpio, qui Alcuini locum, pag. 363, ad partes vocat.

æternum inimicitiarum monumentum statuerint, rectene, an contra fecerint». Hanc ideo rationem subjecimus, ut hoc causæ genus ipsum, de quo agimus cognosceretur. Nam si eam supposuissemus, qua fortasse usi sunt : « Non enim juste, neque pie bellum gessistis» ; in relationem criminis delaberemur, de qua post[3] loquemur. Utrumque autem causæ[4] genus in hanc causam incidere perspicuum est. In hanc argumentationes ex iisdem locis sumendæ sunt, atque in causam negotialem, qua de ante[5] dictum est. Locos autem communes et ex causa ipsa, si quid inerit indignationis aut conquestionis, et ex juris utilitate et natura multos et graves sumere licebit, et oportebit, si causæ dignitas videbitur postulare.

XXIV. (XXIV.) Nunc assumptivam[1] partem juridicialis consideremus. Assumptiva igitur tunc[2] dicitur, quum ipsum ex se factum probari non potest, aliquo autem foris adjuncto argumento defenditur. Ejus partes sunt quatuor : comparatio, relatio criminis, remotio criminis, concessio.

Comparatio[3] est, quum aliquod factum, quod per se ipsum non sit probandum, ex eo[4], cujus id causa factum est, defenditur. Ea est hujusmodi : « Quidam imperator, quum ab hostibus circumsideretur, neque effugere ullo modo posset, depactus est cum eis, ut arma et impedimenta relinqueret, milites educeret[5];

3. *Post.* Vide ad cap. 26-28.

4. *Utrumque causæ genus*, etc. Absolutam constitutionis partem et assumptivam. Wetz.

5. *Qua de ante.* Lallem. *de qua ante.*

XXIV. 1. *Assumptivam.* De qua confer Herennium, I, 14; vide etiam sup. I, 11.

2. *Tunc dicitur.* Schütz. Ernest. *tum dicitur.*

3. *Comparatio.* Herenn. I, 15, et II, 14.

4. *Ex eo.* Vulgo *et ex eo.* Sed copula hic prorsus inepta est. Sch.

5. *Educeret. Abduceret* Lamb. — De re cf. Her. I, 15, ubi C. Popilium nominat.

itaque fecit; armis et impedimentis amissis, præter spem milites conservavit. Accusatur majestatis ». Incurrit huc definitio[6]. Sed nos hunc locum, de quo agimus[7], consideremus.

Intentio est, « Non oportuit arma et impedimenta relinquere ». Depulsio est, « Oportuit ». Quæstio est, « Oportueritne ». Ratio est, « Milites enim omnes periissent ». Infirmatio est, aut conjecturalis[8], « Non periissent »; aut altera conjecturalis, « Non ideo fecisti ». Ex quibus sunt judicationes, « Periissentne »; et, « Ideone fecerit »; aut hæc comparativa, cujus nunc indigemus, « At enim satius fuit amittere milites, quam arma et impedimenta hostibus concedere ». Ex qua judicatio nascitur, « Quum omnes perituri milites essent, nisi ad hanc pactionem venissent[9], utrum satius fuerit amittere milites, an ad hanc conditionem venire ».

(XXV.) Hoc causæ genus ex his locis[10] tractare opor-

6. *Incurrit huc definitio.* Id est, potest hic etiam constitutione definitiva orator uti. Post hæc verba olim in quibusdam edd. ut Victor. addebantur ista : « quid sit lædere majestatem », in quibus recte Lambinus glossatoris manum agnovit, præsertim quum latine non dicatur « lædere majestatem », sed « minuere ». Sch.

7. *Agimus.* Lallem. *agitur.*

8. *Aut conjecturalis.* Lambin. « aut hæc conjecturalis ». Sed pronomen hic rectius omittitur. Secus est in altero membro : « aut hæc comparativa »; ibi enim respondet : « cujus nunc indigemus ». Sch.

9. *Ad hanc pactionem venissent.* Schütz. dat « ad hanc pactionem venisset ». Jure, inquit, *venissent* improbavit Gronovius, quum hæc pactio militum non fuerit, neque hi se excusent de pactione quadam sua, sed, ut ante dixit, ipse imperator : ideoque *venissem* legendum esse conjecit : sed cur *venissem*, ac non potius *venisset?* In judicationibus enim non reus ipse loquens inducitur, sed de ejus causa judices quærentes. Itaque post *venisset* intelligendum est *reus*, ut e. c. cap. 31 : « quum id fecerit, quod non oportuerit, et id non oportere nescierit, sitne supplicio dignus! » Ergo hic et postea rescripsi *venisset.* Sch.

10. *Ex his locis.* Schützius dat « et ex suis locis ». Vulgata, inquit, obscurior est. Nam quinam sunt hi loci? « Ex suis locis », i. e. ex locis comparationi propriis, legendum esse perspicitur ex verbis, quæ infra sequuntur (cap. 15, ubi vide not. 10, Wetze-

tebit[11], et adhibere ceterarum quoque constitutionum rationem atque præcepta; ac maxime conjecturis faciendis infirmare illud, quod cum eo, quod crimini dabitur, ii, qui accusabuntur, comparabunt. Id fiet, si aut id, quod dicent defensores futurum fuisse, nisi id factum esset, quo de facto judicium est, futurum fuisse negabitur; aut si alia ratione, et aliam ob causam, ac dicet se reus fecisse, demonstrabitur esse factum. Ejus rei confirmatio, et item contraria de parte infirmatio ex conjecturali constitutione sumetur. Sin autem certo nomine maleficii vocabitur in judicium, sicut in hac causa (nam majestatis arcessitur), definitione et definitionis præceptis uti oportebit.

XXV. Atque hoc quidem plerumque in genere accidit[1], ut et conjectura[2] et definitione utendum sit. Sin aliud quoque aliquod genus incidet, ejus generis præcepta licebit huc pari ratione transferre. Nam accusatori maxime est in hoc elaborandum, ut id ipsum factum, propter quod sibi reus concedi putat oportere, quam plurimis infirmet rationibus. Quod facile

lium ex Schützii sententia interpretantem) : « Ipsa autem comparatio, separata a ceteris generibus controversiarum, sic *ex sua vi* (id est, ex suis locis) considerabitur, etc. » Sch.

11. *Tractare oportebit, et adhib.* Ernesti dat « tractari oportebit » e duobus libris Oudend. et Lambino sic corrigente. Vulgo « tractari conveniet. Oportebit adhibere », quod sensum commodum non habet, et manifeste ista sunt conjungenda. MS Gu. 1, « tractari convenit et op. » — Habent Schütz. et Wetzelius *tractare*, quia, ut ait Wetzelius, etsi sæpe apud Herenn. verbum *oportet*, et activum et passivum sibi adjungat, minus commode tamen in una eademque verborum constructione.

XXV. 1. *Atque...in genere accidit.* Lambin. in textu : « Atque quidem plerumque in hoc genere incidunt ». Tres ejus MSS habebant « in hoc genere incidunt ». Emendandum vero ipse censebat : « Atque hoc quidem plerumque in hoc genere accidit ». Et hoc quidem optimum ac facillimum est. Suffragantur codd. Pall. Gruteri, nisi quod vitiose est « hoc...accidunt ». Sch.

2. *Et c. et definitione.* Addidimus *et* e MSS. Ern.

est, si quam plurimis constitutionibus aggreditur[3] id improbare.

Ipsa autem comparatio, separata a ceteris generibus controversiarum, sic ex sua vi[4] considerabitur, si illud, quod comparabitur, aut non honestum, aut non utile, aut non necessarium fuisse, aut non tantopere utile, aut non tantopere honestum, aut non tantopere necessarium[5] demonstrabitur.

Deinde oportet accusatorem illud, quod ipse arguat[6], ab eo, quod defensor comparat, separare. Id autem faciet, si demonstrabit, non ita fieri solere, neque oportere, neque esse rationem, quare hoc propter hoc fiat[7], ut, propter salutem militum, ea, quæ salutis causa comparata sunt, hostibus tradantur. Postea comparare oportebit cum beneficio maleficium, et omnino id, quod arguitur, cum eo, quod factum ab defensore laudatur[8], aut faciendum fuisse demonstrabitur, contendere, et hoc extenuando, maleficii magnitudinem simul adaugere. Id fieri poterit, si demonstrabitur, honestius, utilius, magis necessarium

3. *Aggreditur id improbare.* Sic pro vulgato *aggrediatur* aut *aggredietur*, quod est in edd. pr. edidimus e MS Cass. quod et grammatica ratio postulat : « facile est, si aggreditur » : ceteræ lectiones requirunt « facile erit ». Ern. — Schütz. dedit « facile erit...aggredietur », cum codd. plerisque Oud. quia in his plerumque futuro tempore utitur Cicero.

4. *Ex sua vi.* Ex suis locis. Wetz.

5. *Tantopere necessarium demonstrabitur.* Vox ultima abest a MSS plerisque, etiam nostris. Sed ea abesse non potest : nihil enim esset, unde infinitivus penderet. Sed vulgatum *fuisse* ante *demonstrabitur* delendum est : nam ante jam est loco eo, ubi Cicero solet ponere : « aut non necessarium fuisse, aut, etc. » Ern.— Quem probat Schütz.

6. *Arguat.* Schütz. dat *arguit*, quia indicativum poscit consecutio.

7. *Quare hoc propter hoc fiat... tradantur.* Fortasse legendum : « quare hoc propter hoc fiat; ut, cur propter ... tradantur ». Sch.

8. *Arguitur... laudatur... demonstrabitur.* Schützius dat « arguitur... laudatur...demonstratur ». *Laudatur* Ernesti e cod. Guelf. 2 recepit, et favent huic lectioni MSS codd. Voss. c. schol. Voss. 1, 2, qui recte quoque mox habent *demonstratur*. Sch.

fuisse[9] id, quod vitarit reus, quam illud, quod fecerit. Honesti[10] autem et utilis et necessarii vis et natura in deliberationis præceptis cognoscetur.

Deinde oportebit ipsam illam comparativam judicationem exponere, tamquam causam deliberativam, et de ea ex deliberationis præceptis deinceps dicere. Sit enim hæc judicatio, quam ante exposuimus : « Quum omnes perituri milites essent, nisi ad hanc pactionem venissent[11], utrum satius fuerit perire milites, an ad hanc pactionem venire ». Hoc ex locis deliberationis, quasi aliquam in consultationem res veniat, tractari oportebit.

XXVI. Defensor autem, quibus in locis ab accusatore aliæ constitutiones erunt inductæ[1], in iis ipse quoque ex iisdem constitutionibus defensionem comparabit; ceteros autem omnes locos, qui ad ipsam comparationem pertinebunt, ex contrario tractabit.

Loci communes[2] erunt, accusatoris, in eum, qui quum de facto turpi aliquo, aut inutili, aut utroque fateatur, quærat tamen aliquam defensionem, et facti inutilitatem, aut turpitudinem cum indignatione proferre[3]; defensoris, nullum factum inutile, neque turpe, neque item utile, neque honestum putari oportere, nisi, quo animo, quo tempore, qua de causa factum sit, intelligatur : qui locus ita communis est,

9. *Fuisse id, quod.* Sic dedi pro *illud* e MS Leid. In Gu. 1 est *fuisse, quod :* quod præferrem, si in altero non esset *illud.* ERN. — Probat Sch.

10. *Honesti ... cognoscetur.* Infra cap. 53 seqq. SCH.

11. *Venissent.* Schütz. *venisset.* Vid. not. cap. 24, in fine.

XXVI. 1. *Q. in locis ... inductæ.* Ut supra dictum est cap. 24.

2. *Loci communes erunt.* Quod in edd. recentioribus additur *autem*, id a MSS plerisque et edd. pr. abest, et recte delevit Ernesti. SCH.

3. *Proferre; defensoris, nullum,* etc. Sic primum interpunxi. Cohærent enim ita : « loci communes erunt, accusatoris ... defensoris ». Itaque et *est* post *defensoris* delevi, quod additum est ex vitiosa interpunctione : abest-

ut bene tractatus in hac causa, magno ad persuadendum momento futurus sit; et alter locus[4], per quem, magna cum amplificatione, beneficii magnitudo ex utilitate, aut honestate, aut facti necessitudine demonstratur; et tertius, per quem res expressa verbis, ante oculos eorum, qui audiunt, ponitur, ut ipsi se[5] quoque idem facturos fuisse arbitrentur, si sibi illa res, atque ea faciendi causa per idem tempus accidisset.

(xxvi.) Relatio criminis[6] est, quum reus id, quod arguitur, confessus, alterius se inductum peccato, jure fecisse demonstrat. Ea est hujusmodi: « Horatius, occisis tribus Curiatiis[7], et duobus amissis fratribus, domum se victor recepit. Is animadvertit sororem suam de fratrum morte non laborantem; sponsi autem nomen appellantem identidem Curiatii cum gemitu et lamentatione. Indigne passus, virginem occidit. Accusatur ».

Intentio est, « Injuria sororem occidisti ». Depulsio est, « Jure occidi ». Quæstio est, « Jurene occiderit ». Ratio est, « Illa enim hostium mortem lugebat, fratrum negligebat; me et populum romanum vicisse moleste ferebat ». Infirmatio est, « Tamen a fratre

que a Gu. 1, 2. Omnino hæc vitiosa interpunctione divulsa sunt: nam totum a « loci comm. » usque ad *accidisset* unum est: ei rei interpunctionem accommodavimus. Ernest. — Schützius se Ernestio obtemperavisse denuntiat.

4. *Et alter locus. Locus* abest a MS Leid. et delevissem, nisi videretur verbum repetitum esse, quod hoc membrum paullo longius abest a primo: nam sic solet facere. Ern.

5. *Ipsi se quoque idem.* Lallem. omittit *se*.

6. *Relatio criminis.* De qua respice ad Her. II, 15.

7. *Curiatiis.* Ernesti dat *Curiatibus*. Sic, inquit, edidi e MSS quinque Oud. et nostris, atque edd. pr. nam et post est *Curiatis*, et facilius librarius *Curiatibus* mutet in illud, quam illud in hoc, quod usitatius. Utroque certe loco idem verbum esse debet, vel quod nos dedimus, vel *Curiatiis* et *Curiatii*, quod placebat Oud. Ern. — Ultimis verbis Ernestii Gruterus attingitur, qui primum dedit *Curiatii*, deinde, mutata declinatione, *Curiatis*.

indemnatam necari non oportuit ». Ex qua judicatio fit : « Quum Horatia fratrum mortem negligeret, hostium lugeret, fratris[7] et populi romani victoria non gauderet, oportueritne eam a fratre indemnatam necari ».

XXVII. (XXVII.) Hoc in genere causæ, primum si quid ex ceteris dabitur constitutionibus, sumi[1] oportebit, sicut in comparatione præceptum est; postea si qua facultas erit, per aliquam constitutionem illum, in quem crimen transfertur, defendere; deinde, levius esse[2], quod in alterum peccatum reus transferat, quam quod ipse susceperit; postea translationis[3] partibus uti, et ostendere, a quo, et per quos, et quo modo, et quo tempore aut agi, aut judicari, aut statui de ea re convenerit; ac simul ostendere, non oportuisse ante supplicium, quam judicium, interponere. Tum leges quoque, et judicia demonstranda sunt, per quæ potuerit id peccatum, quod sponte sua reus punitus sit[4], moribus et judicio vindicari. Deinde negare debebit, audiri oportere id, quod in eum criminis conferatur, de quo is ipse, qui conferat, judicium fieri noluerit; et id, quod judicatum non sit, pro infecto haberi oportere; postea impudentiam demonstrare eorum, qui eum nunc apud judices accu-

7. *Fratris et populi.* Lallem. « de fratris et populi ».

XXVII. 1. *Sumi oportebit.* Schütz. dat « sumi ab accusatore oportebit », hæc verba restituens ex ed. Lambini, quia semper diserte accusatoris partes defensoris partibus opponuntur.

2. *Levius esse, quod.* Delevi *illud*: non est in MS Voss. et ita hoc simile erit sequenti, in quo nullum tale pronomen est. Ern.

3. *Translationis.* Quam Tullius alibi vocat, « translativam causæ constitutionem», Græci μετάληψιν, et aliquando παραγραφήν. Tunc autem locum habet hic quæstionis oratoriæ status, quum litigantium alter contendit non apud hos judices, aut non hoc tempore, aut non hac lege secum agi oportere. Capper.

4. *Punitus sit.* Active pro *punierit.* Deponentis enim forma in hoc verbo sæpius occurrit. Sch. — Ut Mil. 13; Phil. 8; Offic. I, 25. Wetz.

sent, quem sine judicibus ipsi condemnarint, et de eo judicium faciant, de quo jam ipsi supplicium sumpserint. Postea perturbationem judicii futuram dicemus[5], et judices longius, quam potestatem habeant, progressuros, si simul et de reo, et de eo, quem reus arguat, judicarint; deinde, hoc si constitutum sit, ut peccata homines peccatis, et injurias injuriis ulciscantur, quantum incommodorum consequatur; ac si idem facere[6] ipse, qui nunc[7] accuset, voluisset, ne hoc quidem ipso quidquam opus fuisse judicio; si vero ceteri quoque[8] idem faciant, omnino judicium nullum futurum.

Postea demonstrabitur, ne si[9] judicio quidem illa damnata esset, in quam id crimen ab reo conferatur, potuisse hunc ipsum de illa supplicium sumere: quare esse indignum, eum, qui ne de damnata quidem pœnas sumere potuisset, de ea supplicium sumpsisse, quæ ne adducta quidem sit in judicium. Deinde postulabit, ut legem, qua lege fecerit, proferat.

Deinde quemadmodum in comparatione præcipiebamus, ut illud, quod comparabitur[10], extenuaretur

5. *Judicii futuram dicemus.* Schütz. suadente Lambino, delevit *dicemus*, quum propter primam personam male respondeat antecedentibus et consequentibus: esse enim ἀπὸ τοῦ κοινοῦ *demonstrabitur* hic repetendum.

6. *Si idem facere...voluisset.* Accusator nimirum sic dicere poterat: Ego si voluissem Horatium sic ulcisci, ut ille sororem ultus esset, eum prius occidissem, quam accusassem; ut ne opus quidem hoc judicio fuisset. Sch.

7. *Qui nunc accuset.* Sic reposui necessario pro *accusat;* quod in hoc contextu ne tironi quidem condonarem. Sic post recte in simili constructione *conferatur.* Enr. — Mox pro « opus fuisse jud. » Lallem., « opus fuisset jud. »

8. *Si vero ceteri quoque idem faciant.* Lambinus in uno codice hic addita vidit ista: « ut sine judicio eos puniant, quos accusant »: easque recte interpolata esse judicavit. Sch.

9. *Ne si...potuisse hunc ipsum*, etc. Scilicet hoc romanò more triumviris capitalibus relinquendum fuisset. Sch.

10. *Comparabitur.* Sic scribendum semper judicavi, pro *comparabatur.* Ecce id est in Cass. nisi quis malit, *compararetur*, quod est in Gu. 2 et

ab accusatore quam maxime : sic in hoc genere oportebit illius culpam, in quem crimen transferetur, cum hujus maleficio, qui se jure fecisse dicat, comparare. Postea demonstrandum est, non esse illud ejusmodi, ut ob id hoc fieri conveniret[11]. Extrema est[12], ut in comparatione, assumptio judicationis, et de ea per amplificationem ex deliberationis præceptis dictio.

XXVIII. (XXVIII.) Defensor autem, quæ per alias constitutiones inducentur, ex iis locis, qui traditi sunt, infirmabit; ipsam autem relationem[1] comprobabit, primum augendo ejus, in quem refert crimen, culpam et audaciam, et quam maxime per indignationem, si res feret, juncta conquestione, ante oculos ponendo; postea levius demonstrando reum punitum, quam sit ille promeritus[2], et suum supplicium[3] cum illius injuria conferendo. Deinde oportebit eos locos,

schol. apud Oud. et hoc ipse prætulissem, nisi ὁμοιοτέλευτα displicerent. Ern. — Male Ernest. reposuit *comparabitur*, quamquam hoc exstat in MS Cass. Si de re præsenti sermo fuisset, Cicero sic dixisset : « in comparatione præcipimus, ut illud, quod comparatur, extenuetur ». Jam quum res in præteritum imperfectum traducatur, necesse est ita dicere : « præcipiebamus, ut illud, quod comparabatur, extenuaretur ». Sch. — Lallem. dat *comparabatur*.

11. *Conveniret*. Vitiosum hoc quidem est : aut *convenerit* scribendum, aut *conveniat*. Ern.

12. *Extrema est... assumptio judicationis*. Hoc quid sit, facilius intelligetur comparato loco, ad quem hic respicitur cap. 25 : « Deinde oportebit ipsam illam comparativam judicationem exponere, et de ea ex deliberationis præceptis deinceps dicere, etc. » Sch. — Vide infra de deliberationibus, cap. 51.

XXVIII. 1. *Relationem*. Id est, eum qualitatis assumptivæ statum, quem Cicero « relationem criminis », Herennianus rhetor « translationem criminis », Græci ἀντέγκλημα (quasi recriminationem) appellant. Capp.

2. *Quam sit ille promeritus*. Oud. in MSS optimis reperit : « quam sit illius pro meritis », quod plane verum judicat : estque plane Ciceronianum ; sed ea lectio si probetur, *sit* deleatur, quod et ipsi placet. Ern. — Et sic dedit Schütz. « quam illius pro meritis », deleto *sit*.

3. *Et suum supplicium*. Fortasse legendum « et sumptum supplicium ». Sch. — Quam emendationem si admiseris, certe *illius* ante *injuria* parum placebit.

qui ita erunt ab accusatore tractati, ut refelli, et contrariam in partem converti possint, quo in genere sunt tres extremi[4], contrariis rationibus infirmare. Illa autem acerrima accusatorum criminatio, per quam perturbationem fore omnium judiciorum demonstrant, si de indemnato supplicii sumendi potestas data sit, levabitur, primum si ejusmodi demonstrabitur injuria, ut non modo viro bono, verum omnino homini libero videatur non fuisse toleranda; deinde ita perspicua, ut ne ab ipso quidem, qui fecisset, in dubium vocaretur; deinde ejusmodi, ut in eam is maxime debuerit animadvertere, qui animadverterit; ut non tam rectum, non tam fuerit honestum, in judicium illam rem pervenire, quam eo modo, atque ab eo vindicari[5], quomodo et a quo sit vindicata; postea sic rem fuisse apertam, ut judicium de ea re fieri nihil attinuerit. Atque hic demonstrandum est rationibus, et rebus similibus, permultas ita atroces, et perspicuas res esse, ut de his non modo non necesse sit, sed ne utile quidem, quam mox judicium fiat[6], exspectare.

Locus communis accusatoris in eum, qui quum id, quod arguitur, negare non possit, tamen aliquid sibi spei comparet ex judiciorum perturbatione. Atque hic utilitatis judiciorum demonstratio, et de eo conquestio, qui supplicium dederit indemnatus; in ejus autem, qui sumpserit, audaciam et crudelitatem, indignatio. Ab defensore, in ejus, quem ultus sit, au-

4. *Tres extremi.* Vid. c. 27, in fine.

5. *Ab eo vindicari*, sic pro *vindicare*, scripsi e MSS Cass. Gu. 1, 2, Leid. duo, edd. vett. idque et contextus postulat. Ern.

6. *Quam mox jud. fiat.* Quid sit hic vulgatum « quin mox judicium fiat » nemo dicat. Haud cunctanter edidi « quam mox judicium fiat ». Sic est pro Rosc. Com. 1 : « exspecto, quam mox Chærea hac ratione utatur ». Ern. — Cui Schütz. assentitur.

daciam[7] sui conquestione : rem non ex nomine ipsius negotii, sed ex consilio ejus, qui fecerit, et causa, et tempore considerari oportere : quid mali futurum sit, aut ex injuria, aut ex scelere alicujus, nisi tanta, et tam perspicua audacia ab eo, ad cujus famam, aut ad parentes, aut ad liberos pertinuerit, aut ad aliquam rem, quam caram esse omnibus, aut necesse est, aut oportet esse, fuerit vindicata.

XXIX. (XXIX.) Remotio criminis[1] est, quum ejus intentio facti, quod ab adversario infertur, in alium, aut in aliud demovetur[2]. Id fit bipertito[3]. Nam tum causa, tum res ipsa removetur. Causæ remotionis hoc nobis exemplo sit : « Rhodii quosdam legarunt Athenas. Legatis quæstores sumptum, quem oportebat dari, non dederunt. Legati profecti non sunt. Accusantur ». Intentio est, « Proficisci oportuit ». Depulsio est, « Non oportuit ». Quæstio est, « Oportueritne ». Ratio est, « Sumptus enim, qui de publico dari solet, is ab quæstore non est datus ». Infirmatio est, « Vos tamen id, quod publice vobis datum erat negotii, conficere oportebat ». Judicatio est, « Quum iis, qui legati erant, sumptus, qui de publico debebatur, non daretur, oportueritne eos conficere nihilominus legationem ». Hoc in genere primum, sicut in ceteris, si quid aut ex conjecturali, aut ex alia constitutione sumi possit, videri oportebit[4]. Deinde pleraque et ex

7. *Audaciam sui conquestione.* Conjecit Lambinus « audaciam conquestio », quod sequutus fuerat Gulielmius : non ausim ego, Palatinis nihil variantibus. GRUT. — Sed Sch. cum Lallem. dat « audaciam conquestio ».

XXIX. 1. *Remotio criminis.* Tertia assumptivæ pars, c. 24. Cf. Her. I, cap. 15, de definitione, et cap. 8, de *demovere.*

2. *Demovetur.* Ita rescripsit Ernestus auctoritate cod. Voss. c. schol. Vulgo *dimovetur*, minus apte. SCH.— Similiter c. 30 init. *demovebitur.*

3. *Bipertito. Bipartito* Ern. Lallem. Schützius.

4. *Videri oportebit.* Vere judicavit

comparatione[5], et ex relatione criminis in hanc quoque causam convenire poterunt.

Accusator autem illum, cujus culpa id factum reus dicet, primum defendet, si poterit; sin minus poterit[6], negabit, ad hoc judicium, illius, sed hujus, quem ipse accuset[7], culpam pertinere. Postea dicet, suo quemque officio consulere oportere; nec, si ille peccasset, hunc oportuisse peccare; deinde, si ille deliquerit, separatim illum, sicut hunc, accusari oportere, et non cum hujus defensione conjungi illius accusationem.

Defensor autem quum cetera, si qua ex aliis incident constitutionibus, pertractarit, de ipsa remotione sic argumentabitur. Primum, cujus acciderit culpa, demonstrabit; deinde, quum id aliena culpa accidisset, ostendet, se aut non potuisse, aut non debuisse id facere, quod accusator dicat oportuisse: quod non potuerit, ex utilitatis partibus, in quibus est necessitudinis vis implicata[8]; quod non debuerit, ex honestate considerabitur. De utroque distinctius in deliberativo genere dicetur. Deinde omnia facta esse ab reo, quæ in ipsius fuerint potestate; quod minus, quam convenerit, factum sit, culpa id alterius accidisse. Deinde in alterius culpa exponenda demonstrandum est, quantum voluntatis et studii fuerit in ipso: et id signis confirmandum hujusmodi; ex cetera diligentia, ex ante factis, aut dictis; atque hoc ipsi utile

Ernest. *videre*, non *videri*, ut vulgo, scribendum esse. Sch.

5. *Et ex comparatione.* Addidi *et* e MSS Ern. Lallem. omittit.

6. *Sin minus poterit.* Verbum addidit Ernestius.

7. *Ipse accuset.* Ernest. mavult abesse pronomen.

8. *Vis implicata.* Delevi verbum *demonstravit*, quod hic addebatur auctoribus libris bonis apud Oud. Intell. e superioribus *ostendet*: causa interpolationis fuit, quam sæpe dixi. Ernest. — *Demonstravit.* Jam Lambinus deleverat, teste Schützio. Lallem. servavit.

fuisse facere, inutile autem non facere, et cum cetera vita[9] magis hoc fuisse consentaneum, quam quod propter alterius culpam non fecerit.

XXX. Si autem[1] non in hominem certum, sed in rem aliquam causa demovebitur, « ut in hac eadem re, si quæstor mortuus esset, et idcirco legatis pecunia data non esset »; accusatione alterius, et culpæ depulsione dempta, ceteris similiter uti locis oportebit, et ex concessionis[2] partibus, quæ convenient, assumere : de quibus post nobis dicendum erit. Loci autem communes iidem utrisque fere, qui superioribus assumptivis[3], incident; hi tamen certissimi : accusatoris, facti indignatio; defensoris, quum in alio culpa sit, in ipso non sit, supplicio se affici[4] non oportere.

(xxx.) Ipsius autem rei fit remotio, quum id, quod datur crimini, negat neque ad se, neque ad officium suum reus pertinuisse; nec, si quod in eo sit delictum[5], sibi attribui oportere. Id genus causæ est hujusmodi : « In eo fœdere, quod factum est quondam cum Samnitibus, quidam adolescens nobilis porcam sustinuit[6] jussu imperatoris. Fœdere autem ab senatu

9. *Et cum cetera vita. Et ceteræ vitæ* commendat Oud. e MSS. Sch.

XXX. 1. *Si autem.* Lall. *sin autem.*

2. *Concessionis.* Concessio unus est e qualitatis assumptivæ statibus, cui apud Græcos nomen est συγγνώμη, venia, unde a Latinis dicitur etiam *status venialis*, et *deprecatio*. Capp.

3. *Superioribus assumptivis.* Quatuor sunt qualitatis assumptivæ status : comparatio, relatio criminis, et concessio. Duos priores his verbis Tullius designavit. Capp.

4. *Se affici. Se* dedi pro *reum* e libris scriptis Leid. 1, 2, Cass. Gu. 2; nam et in sequentibus de defensore fere loquitur, ac si reus ipse loqueretur. Glossa dedit *reum*. Res clara est ex edd. pr. quæ habent *se reum*, ex quibus *reum* male delegit Aldus. Ern. — Cujus annotationem Schützius expressit.

5. *Si quod in eo sit delictum.* Melius puto vel « si quid ... delictum sit »; ut non substantive dicatur delictum, aut « si in eo delicti sit ». Illud MS Gu. 2 habet; hoc duo apud Oud. Ern. — Sch. dedit « si quid in eo delictum sit ».

6. *Porcam sustinuit.* Mox *tenere* de

improbato, et imperatore Samnitibus dedito[7], quidam in senatu eum quoque dicit, qui porcam tenuerit, dedi oportere ». Intentio est, « Dedi oportet ». Depulsio est, « Non oportet ». Quæstio est, « Oporteatne ». Ratio est, « Non enim meum fuit officium, nec mea potestas, quum et id ætatis, et privatus essem, et esset summa cum auctoritate et potestate imperator, qui videret, ut satis honestum fœdus feriretur ». Infirmatio est, « At enim[8], quoniam tu particeps factus es in turpissimo fœdere summæ religionis[9], dedi te convenit ». Judicatio est, « Quum is, qui potestatis nihil habuerit, jussu imperatoris in fœdere, et in tanta religione interfuerit, dedendus sit hostibus[10], necne ». Hoc genus causæ cum superiore[11] hoc differt, quod in illo concedit se reus oportuisse facere id, quod fieri dicat accusator oportuisse, sed alicui rei, aut homini causam attribuit, quæ voluntati suæ fuerit impedimento, sine concessionis partibus; nam

eadem re. De porca cæsa in fœd. vide Intt. ad Virgil. Æneid. VIII, 642 : « cæsa jungebant fœdera porca »; quod hic est de tenente porcam, quum cæditur, nemo eorum attigit, quod sciam, qui de hoc sacrificio fœderali scripsere. Ern. — Mirifice hic locus illustratur denario quodam argenteo, quem ab Italicis populis, quo tempore bellum Marsicum motum est, cusum, existimare possumus ex eo, quod *Italia* inscriptum in eo sit, et in medio militum fœdus ferientium vir incisus, qui porcam hujusmodi sustinet. Ubb. — De hoc denario, et alio non dissimilis typi consulendus est Spanhemius, Dissert. X, de usu et præstantia Numism. Verburg.

7. *Imperatore Samnitibus dedito.* Si quando imperator præter s. p. q. r. voluntatem ac sententiam, fœdus cum hostibus feriisset, ut populus romanus ea fœderis religione solveretur, imperator ipse in hostium potestatem vinctus tradebatur. Nascimb.

8. *At enim.* Lallem. *attamen.*

9. *Particeps factus es in turp. fœd. summæ religionis.* Construi vult Ernestius in Clave : « particeps in fœdere summæ religionis ». Wetzelius : « particeps summæ religionis ».

10. *Dedendus sit hostibus, necne.* Sic elegantius in MSS duobus Oud. et Gu. 1, quam in ceteris et vulgatis *dedendusne.* Sic et placuit Lambino. Ernest.

11. *Cum superiore.* Pro *a sup.* in vulgatis, e schol. Leid. 2, Gu. 2. Sic Noster sæpius *cum;* vid. Cl. Ern.— Sch. sequutus est.

earum major quædam vis est; quod paullo post intelligetur : in hoc autem non accusare alterum, nec culpam in alium transferre debet, sed demonstrare, eam rem nihil ad se[12], neque ad postestatem, neque ad officium suum pertinuisse aut pertinere. Atque in hoc genere hoc accidit novi, quod accusator quoque sæpe ex remotione criminationem conficit : « ut, si quis eum accuset[13], qui, quum prætor esset, in expeditionem ad arma populum vocarit, quum consules adessent ». Nam ut in superiore exemplo reus ab suo officio et a sua potestate factum demovebat; sic in hoc ab ejus officio ac potestate, qui accusatur, ipse accusator factum removendo, hac ipsa ratione confirmat accusationem. In hac ab utroque ex omnibus[14] honestatis et utilitatis partibus, exemplis, signis, ratiocinando, quid cujusque officii, juris, potestatis sit, quæri oportebit, et fueritne ei, quo de agitur, id juris, officii, potestatis attributum, necne. Locos autem communes ex ipsa re, si quid indignationis ac conquestionis habebit, sumi oportebit.

XXXI. (xxxi.) Concessio[1] est, per quam non factum ipsum probatur[2] ab reo; sed, ut ignoscatur, id pe-

12. *Eam rem nihil ad se, neque ad pot.* Sic e MSS et Oud. et nostris et edd. pr. dedi. Forte tamen fuit « nihil neque ad se », quod etiam elegantius foret. Ern. — Vulgata est : « eam rem nec ad se, nec ad potestatem ». Schützius nostram lect. præbet.

13. *Accuset.* Dedi pro *accusat.* ex Oud. MSS : item infra « et a sua potestate fact. demovebat », pro « ac pot. fact. dimovebat ». Ern.

14. *Ex omn. hon. et utilitatis partibus.* Ita et Pal. sec. nam editio prima omisit *honestatis et* : ideo videlicet quod reperisset in antiquis, « et omnibus honestatis partibus, et omnibus utilitatis partibus »; quod et in vulgata, arbitraretur que alterum membrum esse e varia lectione. Gaut.

XXXI. 1. *Concessio.* Quæ est quarta assumptivæ pars. Resp. I, 11; conf. Her. I, 14, II, 16. Wetz.

2. *Non factum ipsum probatur.* Sic pro *improbatur* MSS plures ap. Oud. et Gu. 1, idque voluere dudum rescribi viri docti. Ego, quia *improbatur* quidem locum omnino non habet, recepi. *Probatur* est rectum judicatur, demonstratur, defenditur, ut mox. Ern. — Jamdudum sic legendum esse do-

titur[3]. Cujus partes sunt duæ, purgatio et deprecatio. Purgatio[4] est, per quam ejus, qui accusatur, non factum ipsum, sed voluntas defenditur. Ea habet partes tres, imprudentiam, casum, necessitudinem[5].

Imprudentia[6] est, quum scisse aliquid is, qui arguitur, negatur : « Ut apud quosdam lex erat, ne quis Dianæ vitulum immolaret. Nautæ quidam, quum adversa tempestate in alto jactarentur, voverunt, si eo portu, quem conspiciebant, potiti essent, ei deo, qui ibi esset, se vitulum immolaturos. Casu erat in eo portu fanum Dianæ ejus, cui vitulum immolari non licebat. Imprudentes legis, quum exissent, vitulum immolaverunt. Accusantur ». Intentio est, « Vitulum immolastis ei deo, cui non licebat ». Depulsio est in concessione posita. Ratio est, « Nescivi non licere ». Infirmatio est, « Tamen, quoniam fecisti quod non licebat, ex lege supplicio dignus es ». Judicatio est, « Quum id fecerit, quod non oportuerit, et id non oportere nescierit, sitne supplicio dignus ».

Casus[7] autem inferetur in concessionem, quum demonstrabitur aliqua fortunæ vis voluntati obstitisse, ut in hac : « Quum Lacedæmoniis lex esset[8], ut,

cuit Vossius, Inst. Orat. lib. IX, his verbis : « quem locum (si leges improbatur) ne quidem gentium deus Hermes possit ἑρμηνεύσειν. Nam concessionem dividit Tullius in purgationem, et deprecationem; purgatio vero ei definitur, per quam ejus, qui accusatur, « non factum, sed voluntas defenditur ». Pugnant autem hæc : in concessione voluntatem improbari; in purgatione, quæ concessionis pars est, voluntatem defendi. Itaque concessionis definitionem leniter, leviterque immuto ac lego : « per quam non factum ipsum probatur ». Sch.

3. *Ut ignoscatur, id petitur.* Oud. sic interpungendum censebat : « ut ignoscatur id, petitur ». Sch.

4. *Purgatio.* Cf. I, 27; Her. I, 14. Wetz.

5. *Necessitudinem.* *Necessitatem* Victor. codd. Leid. omnes. Sch.

6. *Imprudentia est.* Vid. I, 27; Her. I, 14, II, 16. Wetz.

7. *Casus.* Est Her. I, 14, *fortuna.*

8. *Lex esset, ut, hostias.* Hic MSS

hostias nisi ad sacrificium quoddam redemptor præbuisset, capitale[9] esset, hostias is, qui redemerat, quum sacrificii dies instaret, in urbem ex agro cœpit agere. Tum subito magnis commotis[10] tempestatibus fluvius Eurotas is, qui propter Lacedæmonem fluit, ita magnus et vehemens factus est, ut eo traduci victimæ nullo modo possent. Redemptor, suæ voluntatis ostendendæ causa, hostias constituit omnes in litore, ut, qui trans flumen essent, videre possent. Quum omnes studio ejus subitam fluminis magnitudinem scirent fuisse impedimento, tamen quidam capitis arcessierunt ». Intentio est, « Hostiæ, quas debuisti ad sacrificium, præsto non fuerunt ». Depulsio est, concessio. Ratio, « Flumen enim subito accrevit, et ea re traduci non potuerunt ». Infirmatio est[11], « Tamen, quoniam, quod lex jubet, factum non est, supplicio dignus es ». Judicatio est, « Quum in ea re redemptor contra legem[12] fecerit, qua in re studio ejus subita fluminis obstiterit[13] magnitudo, supplicione dignus sit ».

XXXII. Necessitudo[1] autem infertur, quum vi quadam reus id, quod fecerit, fecisse defenditur, hoc modo : « Lex est apud Rhodios, ut, si qua rostrata in portu navis deprehensa sit, publicetur[2]. Quum magna

plerique et edd. vett. addunt *ut*, sicut Cicero ipse loquitur c. 32 init. Cass. et Gu. non habent, sed idem Gu. in fine *esse* non *esset*. Quod Ciceroni usitatius est, in illa librorum varietate, prætuli. ERN.

9. *Capitale. Capital* cod. Gronov. SCHUTZ.

10. *Magnis commotis tempestatibus*, etc. Est a Palat. sec. quemadmodum conjecerat Lambinus : retro cusi *commotus*. GRUT.

11. *Infirmatio est... judicatio est.* *Est* utroque loco Sch. delevit auctoritate codd. Oud.

12. *Contra legem fecerit.* Delevi *aliquid*, quod in hac forma latina consuetudo respuit : et abest a schol. Oudendorp. qui et probat. ERN. — Sch. dat « contra leg. redemptor fecerit ».

13. *Obstiterit.* MS Cass. habet *obsisteret*. ERN.

XXXII. 1. *Necessitudo.* Her. I, 14, II, 16. WETZ.

2. *Publicetur.* Ut c. 40, quod posterioris ætatis scriptores dicunt *confisce-*

in alto tempestas esset; vis ventorum, invitis nautis, Rhodiorum in portum navim coegit. Quæstor navim populi vocat. Navis dominus negat publicari oportere». Intentio est, «Rostrata navis in portu deprehensa est». Depulsio est, concessio. Ratio, «Vi et necessario sumus in portum coacti». Infirmatio[3] est, «Navim ex lege tamen populi esse oportet». Judicatio est, «Quum rostratam navim in portu deprehensam lex publicarit[4], quumque hæc navis, invitis nautis, vi tempestatis in portum conjecta sit; oporteatne eam publicari».

(XXXII.) Horum trium generum[5] idcirco unum in locum contulimus exempla, quod similis in ea[6] præceptio argumentorum traditur. Nam in his omnibus primum, si quid res ipsa dabit facultatis, conjecturam induci ab accusatore oportebit, ut id, quod voluntate factum negabitur, consulto factum, suspicione aliqua demonstretur; deinde inducere definitionem necessitudinis, aut casus, aut imprudentiæ, et exempla ad eam definitionem adjungere, in quibus imprudentia fuisse videatur, aut casus, aut necessitudo, et ab his id, quod reus inferat, separare[7] [id est, ostendere

tur. In rep. enim fit illa navis populi, unde populica, id est, publica; in regno imperatorum, redigitur in fiscum. WETZ.

3. *Infirmatio est . . . judicatio est.* Utroque loco Sch. delet voculam *est*.

4. *Deprehensam lex publicarit.* Lambini editio «lex jubeat publicari», sed vulgatam servant Pall. tres. GRUT.

5. *Horum trium generum.* Imprudentiæ, casus, necessitudinis.

6. *Similis in ea pr. argum. traditur.* *In ea*, sc. genera, exquisita latinitate est, ad modum eorum tractandorum cognoscendum. Vox *argumentorum* abest a MS Voss. Potest sane commode abesse. ERN.

7. *Separare* [*id est, ostendere dissimile*]. Verba «id est, ostendere dissimile», sine dubio sunt glossatoris. Nam sicut verbum *adjungere*, quod verbo *separare* est contrarium, semper nude ponitur, sine explicatione; ut paullò ante; sic et *separare*. *A definitione aliquid separare* est docere, definitionem in id non cadere. Et melius ita sequentia, *quod*, etc. cum verbo *separare* cohibent. ERN. — Sch. verba Ernestio suspecta omnino delevit, probante Wetzelio.

dissimile], quod levius, facilius, non ignorabile, non fortuitum, non necessarium fuerit; postea demonstrare, potuisse vitari; et hac ratione provideri potuisse, si hoc, aut illud fecisset; aut ne sic fecisset[8], præcaveri; et definitionibus ostendere, non hanc imprudentiam, aut casum, aut necessitudinem, sed inertiam, negligentiam, fatuitatem nominari oportere.

Ac si qua necessitudo turpitudinem videbitur habere, oportebit per locorum communium implicationem redarguentem demonstrare[9], quidvis perpeti, mori denique satius fuisse, quam ejusmodi necessitudini obtemperare. Atque tum ex his locis, de quibus in negotiali parte dictum est[10], juris et æquitatis naturam oportebit quærere, et, quasi in absoluta[11] juridiciali, per se hoc ipsum ab rebus omnibus separatim considerare. Atque hoc in loco, si facultas erit, exemplis uti[12] oportebit, quibus in simili excusatione non sit ignotum; et contentione, magis illis ignoscendum fuisse; et ex deliberationis partibus, turpe aut inutile esse concedi eam rem, quæ ab adversario commissa sit; permagnum esse[13], et magno futurum

8. *Aut ne sic fecisset.* Restitui lectionem edd. pr. *ne sic*, quam plerique MSS etiam nostri, præter Gu. 1, habent. Aldus induxit *nisi.* Sed nec sic locus sanatus est : « nam præcaveri ne sic fecisset », non est bene latinum, sed germanismum sapit. Constructio legitima postulat *faceret.* Ern. — Lambinus finxit « ac ne si faceret ». Gulielmius scribebat e plerisque Suffredi libris « aut nec fecisset », quod non contempserim. Gaut. — Sch. dat « aut ni sic », auctore Oud.

9. *Per locorum comm. impl. red. demonstrare.* Id est, per seriem locorum communium redarguere adversarium demonstrando, etc.

10. *De quibus ... dictum est.* Supra c. 21. Wetz.

11. *In absoluta.* Cap. 23. Wetz.

12. *Exemplis uti op.* Schütz. addit « eorum hominum » post *uti*, quæ verba ex Lambiniana revocavit, quia non exemplis, sed hominibus ignoscitur. — At per ellipsin eumdem sensum vulgata præbet.

13. *Permagnum esse.* Edit. Omnib. habet « permagno esse », quod cur probaverit Oudendorpius, non intelligo. Sch.

detrimento, si ea res ab iis, qui potestatem habent[14] vindicandi[15], neglecta sit.

XXXIII. (XXXIII.) Defensor autem conversis omnibus his partibus poterit uti. Maxime autem in voluntate defendenda commorabitur, et in ea re[1] adaugenda, quæ voluntati fuerit impedimento; et se plus, quam fecerit, facere non potuisse; et in omnibus rebus voluntatem spectari opertere; et se convinci non posse[2], quod non absit a culpa; et ex suo[3] nomine communem hominum infirmitatem posse damnari. Deinde nihil indignius esse, quam eum, qui culpa careat, supplicio non carere. Loci autem communes accusatoris, unus in confessione[4], et alter[5], quanta potestas peccandi relinquatur, si semel institutum sit, ut non de facto, sed de facti causa quæratur; defensoris, conquestio calamitatis ejus, quæ non culpa, sed vi majore quadam acciderit, et de fortunæ potestate,

14. *Habent*. Sch. dat *habeant*, quia hic obliquitas conjunctivum requirit : idem enim esse, quod « qui forte judices sint ».

15. *Vindicandi*. Ita Pall. pr. ac tert. item Grev. et Suffridæi; recepta lectio *judicandi*. Grut. — Sch. *vindicandi*, ut significantius, commendat.

XXXIII. 1. *Et in ea re adaugenda*. Ern. omittit *ea*.

2. *Et se conv. non posse*. *Se* arbitror spurium esse, sapitque germanismum, in hac constructione. Sensus h. l. esse debet : non posse demonstrari idoneis argumentis, se a culpa non vacare : id est, « convinci non posse ». Sic convinci dicitur apud Ciceronem. Vid. Cl. Ern. — Cujus auctoritate Sch. *se* delevit, et Wetzelius *convinci* interpretatur per *evinci*. Parad. V, 3; Nat. Deor. III, 17.

3. *Et ex suo nomine comm. h. i. p. damnari*. Sch. delet voces *ex* et *posse*, quæ omittuntur in quibusdam codd. Oudendorp. et jam Ernest. delenda monuerat, ut fiat aptior pressiorque sententia.

4. *In, confessione*. Sch. dat « in confessionem ». Sic, inquit, MSS Oud. omnes, excepto Leid. 2, utique melius quam vulg. « in confessione ». Nam locus communis accusatoris non potest « in confessione » consistere, quippe qui nihil habeat, quod confiteatur; sed debet « in confessionem rei » dirigi, quam scilic. necesse sit pœna consequatur. Sch. — Nisi malis « ex confessione ». Sed nihil mutandum.

5. *Et alter, quanta*. Schütz. delet *et* auctoritate cod. Voss. c. schol. suasu Oudend.

et hominum infirmitate, et uti suum animum, non eventum considerent: in quibus omnibus conquestionem suarum ærumnarum, et crudelitatis adversariorum indignationem inesse oportebit.

Ac neminem mirari conveniet, si aut in his, aut in aliis exemplis scripti quoque controversiam adjunctam videbit. Quo de genere post erit nobis separatim dicendum[6], propterea quod quædam genera causarum, simpliciter, et ex sua vi considerantur; quædam autem sibi aliud quoque aliquod controversiæ genus assumunt. Quare, omnibus cognitis, non erit difficile in unamquamque causam transferre, quod ex eo quoque[7] genere conveniet: ut in his exemplis concessionis inest omnibus scripti controversia[8] ea, quæ ex scripto et sententia nominatur; sed quia de concessione loquebamur, in eam præcepta dedimus. Alio autem loco de scripto et sententia dicemus. Nunc in alteram[9] concessionis partem considerationem intendemus.

XXXIV. (XXXIV.) Deprecatio[1] est, in qua non de-

6. *Post erit nobis separatim dicendum*. Cap. 42, 46.

7. *Quod ex eo q. genere*. Lambin. « quod ex unoquoque genere ». Sed vera est lectio recepta. Nam « ex eo quoque genere » pertinet ad « scripti controversiam », quam paullo ante dixerat in his aliisque exemplis adjunctam esse. Sch. — Lallem. omittit *eo*.

8. *Controversia ea, quæ ex scripto et sententia nom.* Ea græce dicitur περὶ ῥητοῦ καὶ διανοίας, quasi dicas de dicto et sententia. Hoc controversiæ seu status legalis genus fusius exponunt Tullius hic, cap. 42, et Quint. lib. VII, cap. 6. Capp.

9. *Nunc in alt. c. p. considerationem intendemus.* Sch. dat « nunc alteram concessionis partem contendemus ». Cod. Voss. c. schol. inquit, habet: « nunc in . . . contendemus », quod idem est ac *pergemus*, *proficiscemur*. In Voss. 2 legitur: « nunc alteram . . . consideremus ». Cod. Ox. x. « nunc in alteram . . . aciem tendemus ». Nobis verum videtur *contendemus*, ex quo quum alii fecissent *intendemus*, hoc ex glossa quidem suppleverunt, et vel *aciem*, vel « considerationem intendemus » scripserunt. Sch.

XXXIV. 1. *Deprecatio*. Altera concessionis pars, c. 31; cf. I, 11; Her. I, 14, II, 17. Wetz.

fensio facti, sed ignoscendi postulatio continetur. Hoc genus vix in judicio probari potest, ideo quod, concesso peccato, difficile est ab eo, qui peccatorum vindex esse debet, ut ignoscat, impetrare. Quare parte ejus generis[2], quum causam non in eo constitueris, uti licebit. Ut si pro aliquo claro, aut forti viro, cujus in rempublicam multa sint beneficia, dixeris: possis, quum videaris non uti deprecatione, uti tamen, ad hunc modum : « Quod si, judices, hic pro suis beneficiis, pro suo studio, quod in vos habuit semper, tali suo tempore, multorum suorum recte factorum causa, uni delicto ut ignosceretis, postularet, tam dignum[3] vestra mansuetudine, quam virtute hujus esset, judices, a vobis hanc rem, hoc postulante, impetrari ». Deinde augere[4] beneficia licebit, et judices per locum communem ad ignoscendi voluntatem deducere[5].

Quare hoc genus, quamquam in judiciis non versatur, nisi quadam ex parte : tamen quia et pars ipsa inducenda nonnumquam est, et in senatu, aut in con-

2. *Quare parte ejus gen. quum causam non in eo const. uti licebit.* Male Lambin. « quare parce eo genere, quum causam in eo constitueris, ut depreceris, uti licebit ». Sensus enim est, deprecationem, si totam causam in ea velimus constituere, in judiciis vix posse probari; partem tamen ejus, quum causa non in eo genere tota sit constituta, adhiberi posse. Quod verba, quæ paullo post sequuntur, confirmant : « quare hoc genus quamquam in judiciis non versatur, nisi quadam ex parte ». Cf. ad Her. I, 14. Sch.

3. *Tam dignum v. m. quam virtute.* Sequutus sum Victorianam, cui favet etiam editio princeps, item Pal. tert. nam pr. « tunc dignum, etc. » at sec. « tamen dignum v. m. dignum virtute, etc. » quod quidem restat in vulgata, sed rejicit etiam codex Grev. item liber Augustanus, in quo nihilominus remanet *tamen* pro *tam*. Gr. — Lallem. servavit « tamen dignum vestra mansuetudine, dignum virtute hujus esset ».

4. *Augere* scilic. dicendo, quod est *amplificare* apud Herennium, lib. II, cap. 3. Wetz.

5. *Deducere.* Non dubitavi hoc reponere pro vulgato *ducere*, e MSS pluribus et edd. pr. idque verbum proprium est Ciceronis in hac sententia. Primus Aldus *ducere* edidit. Ern.

silio[6] sæpe omni in genere tractanda[7], in id quoque præcepta ponemus. « Nam in senatu[8], et in consilio de Syphace diu deliberatum est; et de Q. Numitorio Pullo apud L. Opimium[9] et ejus consilium diu dictum est. Et magis in hoc quidem ignoscendi, quam cognoscendi postulatio valuit. Nam semper animo bono se in populum romanum fuisse non tam facile probabat, quum conjecturali constitutione uteretur, quam ut, propter posterius beneficium, sibi ignosceretur, quum deprecationis partes adjungeret ».

XXXV. (XXXV.) Oportebit igitur eum, qui, sibi ut ignoscatur, postulabit, commemorare, si qua sua poterit beneficia, et si poterit, ostendere, ea majora esse, quam hæc, quæ deliquerit, ut plus ab eo boni quam mali profectum esse videatur; deinde majorum suorum beneficia, si qua exstabunt, proferre; deinde ostendere, non odio, neque crudelitate fecisse, quod

6. *Aut in consilio*. Addidi *in* e MSS et consuetudine Ciceronis perpetua in his libris, cujus statim sequitur aliud exemplum. Ern.

7. *Omni in genere tractanda*. Sch. « omnino tractandum ». Ita, inquit, correxi vulgatum « omni in genere tractanda ». Nam ineptum esset sic loqui : « pars omni in genere tractanda est ». « Genus hoc, inquit Cicero, in judiciis non versatur, nisi quadam ex parte, in senatu autem aut in consilio sæpe omnino », s. « totum tractandum est ». Sch.

8. *In senatu, et in cons. de Syphace d. del. est.* Primum in consilio apud Scipionem imperatorem, quum in ejus castra captivus adductus esset Syphax, Liv. XXX, 13 (ann. Urb, 551), ubi quoque ejus deprecatio memoratur : deinde in senatu, ibid. cap. 17, ubi consulti patres Syphacem in custodiam Albam mittendum censuerunt. Sch.

9. *L. Opimium*. Sch. addit *prætorem*. Addidi, inquit, perspicuitatis causâ; et sic jam visum est amico cuidam Fulvii Ursini. Nimirum Numitorius Pullus Fregellanus antea in Romanos animo adverso fuerat, postea autem patriam urbem Fregellas Romanis prodidit. Is igitur quum causam apud L. Opimium prætorem diceret, qui Fregellas in deditionem acceperat, deprecatione magis, quam defensione usus est. Sch. — Vid. Her. IV, 19. Cicer. de Fin. V, 22 : « Quis, inquit, Numitorium, Fregellarum proditorem, quamquam reipublicæ nostræ profuit, non odit ? » Veniam autem huic datam esse vel inde cognoscitur quod hujus filiam uxorem duxerit Antonii triumviri pater, Antonius Creticus. Phil. III, 6. Wetz.

fecerit, sed aut stultitia, aut impulsu alicujus, aut aliqua honesta aut probabili causa; postea polliceri, et confirmare, se et hoc peccato doctum, et beneficio eorum, qui sibi ignoverint, confirmatum, omni tempore a tali ratione abfuturum; deinde spem ostendere, aliquo se in loco, magno iis, qui sibi concesserint, usui futurum; postea, si facultas erit, se, aut consanguineum, aut jam a majoribus[1] inprimis amicum esse demonstrabit; et amplitudinem suæ voluntatis, et nobilitatem generis eorum, qui se salvum velint, et dignitatem ostendere; et cetera ea[2], quæ personis ad honestatem et amplitudinem sunt attributa, cum conquestione, sine arrogantia, in se esse demonstrabit, ut honore potius aliquo, quam ullo supplicio dignus esse videatur; deinde ceteros proferre, quibus majora delicta concessa sint. Ac multum proficiet, si se misericordem in potestate, et propensum ad ignoscendum fuisse ostendet. Atque ipsum illud peccatum erit extenuandum, ut quam minimum fuisse videatur[3]; et aut turpe, aut inutile demonstrandum, tali de homine supplicium sumere. Deinde locis communibus misericordiam captare[4] oportebit ex iis præceptis, quæ in primo libro sunt exposita.

XXXVI. (XXXVI.) Adversarius autem malefacta au-

XXXV. 1. *Aut jam a majoribus inprimis*, etc. Pall. repetita vocula, *aut in primis*. Grev. « majoribus aut primis ». Quomodo emendatum in Pal. tert. videturque probasse Gulielmius: maluissem ego cum libro Augustano, « a majoribus primis ». Lambinus hic regnum suum exercuit, transponendis vocibus, præter omnes MSS. Grut. — Sic enim locum hunc Lambinus obtulit: « Consanguineum, majoribus in primis eorum, qui se salvum velint, aut amicum esse demonstrabit; et amplitudinem suæ voluntatis, et nobilitatem generis, et dignitatem ostendet ».

2. *Et cetera ea*. Sch. delet *ea*.

3. *Ut quam minimum fuisse videatur*, etc. Ernest. Lallem. et Schützius dant « ut quam minimum obfuisse videatur, etc. »

4. *Misericordiam captare*. Cap. 18, Conf. Heren. I, 5. — *Libro primo*. Cap. 55. Wetz.

gebit; nihil imprudenter, sed omnia ex crudelitate et malitia facta dicet; ipsum immisericordem, superbum fuisse, et, si poterit, ostendet, semper inimicum fuisse, et amicum fieri nullo modo posse. Si beneficia proferet: aut aliqua[1] de causa facta, non propter benivolentiam demonstrabit[2]; aut postea odium esse acre susceptum[3], aut illa omnia maleficiis esse deleta; aut leviora beneficia, quam maleficia; aut, quum beneficiis honos habitùs sit, pro maleficio pœnam sumi oportere. Deinde turpe esse, aut inutile, ignosci. Deinde, de quo ut potestas esset, sæpe optarint, in eum potestate non uti, summam esse stultitiam; et cogitare oportere, quem animum in eum, vel quale odium habuerint. Locus autem communis erit, indignatio maleficii, et alter, eorum misereri oportere, qui propter fortunam, non[4] propter malitiam in miseriis sint.

Quoniam igitur in generali constitutione[5] tamdiu propter ejus partium multitudinem commoramur[6], ne forte varietate et dissimilitudine rerum diductus[7] alicujus animus in quemdam errorem deferatur: quid etiam nobis ex eo genere restet, et quare restet, admonendum videtur. (XXXVII.) Juridicialem[8] causam

XXXVI. 1. *Aliqua de causa*. I. e. alia quadam, ut sæpe. Sch.

2. *Demonstrabit*. Scilicet accusator, quum antea *proferet* ad reum referendum sit.

3. *Aut postea odium esse acre susceptum*. Pal. pr. «ab re susceptum». Sec. tert. «hac re suscept.» Utrumque habet quo se tueatur; præsertim ultimum, quod et comparet in amplissimi Caroli Rechlingeri membranis Ulricianis. Grut.

4. *Non propter malitiam*. Schütz. dat: *non qui p. m.* ut oppositio inter eos, qui propter fortunam, et eos, qui propter malitiam in miseriis sint, enitesceret.

5. *In generali... tamdiu*. Inde a cap. 21. Wetz.

6. *Commoramur*. Lallem. *commoramus*.

7. *Diductus*. MSS plures et edd. pr. habent *deductus*. Sed *diductus* verum est, id est, distractus rerum multitudine et varietate. Sch.

8. *Juridicialem*. Δικαιολογικὴν quæ τῇ πραγματικῇ negotiali opponitur. Capper.

esse dicebamus, in qua æqui et iniqui natura, præmii[9] aut pœnæ ratio quæreretur. Eas causas, in quibus de æquo et iniquo quæritur, exposuimus. Restat nunc, ut de præmio et de pœna explicemus.

XXXVII. Sunt enim multæ causæ, quæ ex præmii alicujus petitione constant. Nam et apud judices de præmio sæpe accusatorum quæritur, et a senatu, aut a consilio[1] aliquod præmium sæpe petitur. Ac neminem conveniet arbitrari, nos, quum aliquod exemplum ponamus, quod in senatu agatur, ab judiciali genere exemplorum recedere. Quidquid enim de homine probando, aut improbando dicitur, quum ad eam dictionem sententiarum quoque ratio accommodetur, id non, etsi[2] per sententiæ dictionem agitur, deliberativum est; sed quia de homine statuitur, judiciale est habendum. Omnino autem qui diligenter omnium causarum vim et naturam cognoverit, tum genere[3], tum etiam forma eas intelliget dissidere; ceteris autem partibus aptas inter se omnes, et aliam in aliam implicatam videbit. Nunc de præmiis consideremus. « L. Licinius Crassus[4] consul quosdam in citeriore Gallia, nullo illustri, neque certo duce, neque eo nomine, neque numero[5] præditos, ut digni essent,

9. *Præmii.* Schütz. dat *et præmii.* Copulam, inquit, hic præfigendam recte censuit Oudend. quam invenit in MSS suis omnibus; et Cicero ipse supra quoque posuit cap. 23, quem ad locum hic respicit. Sch.

XXXVII. 1. *Aut a consilio.* Lall. *aut consilio.*

2. *Etsi per sententiæ.* Recte Ern. recepit *etsi* e cod. Leid. 2. Vulgo, *si.* Sch. — Equidem veterem lectionem *si* retineri posse puto.

3. *Tum genere, tum etiam forma.* Delevimus *primo* in primo membro, quod a pluribus MSS, etiam Cass. abest, et alienum esse, facile quisque intelligit. Ern. — Schützius *quum... tum* pro *tum... tum.*

4. *L. Licinius Crassus.* Inclytus ille orator, quem in libris de Oratore colloquentem inducit Noster: Cos. a. U. 658, Procs. 659, in Gall. est profectus. Pis. 26. Wetz.

5. *Neque numero præditos*, etc. Lallem. dedit « neque eo numero præditos, ut digni essent ».

qui hostes[6] populi romani dicerentur; quod tamen excursionibus et latrociniis infestam provinciam[7] redderent, consectatus est, et confecit; Romam[8] redit; triumphum ab senatu postulat». Hic, ut et in deprecatione, nihil ad nos attinet, rationibus et infirmationibus rationum supponendis, ad judicationem pervenire : propterea quod, nisi alia quoque incidet constitutio, aut pars constitutionis, simplex erit judicatio, et in quæstione ipsa continebitur. In deprecatione, hujusmodi : « Oporteatne pœna affici ». In hac, hujusmodi : « Oporteatne præmium dari ». Nunc ad præmii quæstionem appositos locos exponemus.

XXXVIII. (XXXVIII.) Ratio igitur præmii quatuor est in partes distributa : in beneficia, in hominem, in præmii genus, in facultates. Beneficia, ex sua vi, ex tempore, ex animo ejus, qui fecit, ex casu[1] considerantur. Ex sua vi quærentur hoc modo : magna, an parva; facilia, an difficilia; singularia sint, an vulgaria; vera, an falsa quadam[2] ex ratione honestentur: ex tempore autem, si tum, quum indigeremus; quum ceteri non possent, aut nollent opitulari; si tum, quum spes deseruisset[3] : ex animo, si non sui com-

6. *Hostes pop. rom. dicerentur. Esse* quod hic addebatur bene Lambinus delevit. Sch. — Lallem. retinuit. Ern. Lambinum sequutus est.

7. *Provinciam.* Galliam Narbonensem ab a. inde 638 in provinciæ formam redactam, Salgis et Allobrogibus ab a. inde 629-30 subactis. Wetz.

8. *Romam redit.* Sic edidi, ut semper putavi legendum pro *rediit.* Nam et sic solet Cicero in narrationibus, et sequitur *postulat.* Sed et in utroque Guelf. sic reperi et in pluribus Oudend. Ernest. — Quem Schutzius sequutus est.

XXXVIII. 1. *Ex casu.* Vict. Grut. *ex causa.*

2. *An falsa quadam ex ratione.* Pro volgata *oratione*, e MSS Gronov. duobus apud Oudend. Cass. Gul. et edd. pr. quod verum esse facile res et sensus loci docet. Ern. — Schütz. dat « falsa quadam exornatione » e codd. Voss. 1, Leid. 3, in quam lectionem doctissimus vir J. V. *Leclerc* inclinare videtur.

3. *Quum spes deseruisset.* Ad textum hactenus « opitulatus sit », cujus nullum indicium in Pal. pr. aut Græv. ideoque abjeci. Grut.

modi causa, sed eo consilio fecit omnia, ut hoc conficere posset: ex casu, si non fortuna, sed industria factum videbitur, aut si industriæ fortuna obstitisse[4].

In homine[5] autem; quibus rationibus vixerit, quid sumptus in eam rem aut laboris insumpserit; ecquid aliquando tale fecerit; num alieni laboris, aut deorum bonitatis præmium sibi postulet; num aliquando ipse talem ob causam præmio aliquem affici negarit oportere; aut num jam satis pro eo, quod fecerit, honos habitus sit; aut num necesse fuerit ei facere id, quod fecerit; aut num hujusmodi sit factum, ut, nisi fecisset, supplicio dignus esset, non, quia fecerit[6], præmio; aut num ante tempus præmium petat, et spem incertam certo vendited pretio; aut num, quo supplicium aliquod vitet, eo præmium postulet, uti de se præjudicium factum esse videatur.

XXXIX. (xxxix.) In præmii autem genere, quid, et quantum, et quamobrem postuletur, et quo, et quanto quæque res præmio digna sit, considerabitur; deinde, apud majores quibus hominibus, et quibus de causis talis honos sit habitus, quæretur; deinde, ne is honos nimium pervagetur[1]. Atque hic ejus, qui contra aliquem præmium postulantem dicet, locus erit communis; præmia virtutis et officii sancta et casta esse oportere, neque ea aut cum improbis communicari, aut in mediocribus hominibus pervulgari: et alter,

4. *Obstitisse.* Ita cum melioribus edd. legendum. *Obstitisset* falsa est lectio quorumdam MSS. Oud. et ed. Omniboni. Sch.

5. *In homine autem; quibus*, etc. Ernestina Londini 1808 editio quidem operarum vitio misere deformata, habet: « in hominem, etc. » manifesto vitio.

6. *Ut nisi fecisset, supplicio dignus esset, non, quia fecerit, præmio.* Ut cum Horatio possis acclamare servo, Epist. I, 6, 47, qui se nec furtum fecisse, nec fugisse glorietur: « habes pretium: loris non ureris ». Wetz.

XXXIX. 1. *Nimium pervagetur.* Lambinus ait esse, qui autumant substituendum *pervulgetur*, quod ea voce mox utatur. At ideo mihi minime quid mutandum videtur. Gaut.

minus homines virtutis cupidos fore, virtutis præmio pervulgato; quæ enim rara et ardua sunt[2], ea ex præmio[3] pulchra et jucunda hominibus videri: et tertius, si exsistant, qui apud majores nostros ob egregiam virtutem tali honore dignati sunt[4], nonne de sua gloria, quum pari præmio tales homines affici videant, delibari putent[5]? et eorum enumeratio, et cum eis, quos contra dicat[6], comparatio. Ejus autem, qui præmium petet, facti sui amplificatio, et eorum, qui præmio affecti sunt, cum suis factis contentio. Deinde ceteros a virtutis studio repulsum iri, si ipse præmio non sit affectus.

Facultates[7] autem considerantur, quum aliquod pecuniarum præmium postulatur: in quo utrum copiane[8] sit agri, vectigalium, pecuniæ, an penuria,

2. *Ardua sunt.* Ernest. Schütz. *ardua sint.*

3. *Ea ex præmio pulchra.* MSS plerique *experiundo* habent, ut edd. pr. Sed neutra lectio mihi placet. Simpliciter verum est, rara et ardua pulchra videri. Quorsum addatur *ex præmio*, aut *experiundo*? utrumque spurium puto. Ern. — Schütz. dat *ex præmiis*. Vulgo, inquit, vel *ex præmio*, vel *experiundo*; quarum lectionum hæc quidem aperte corrupta, illa sensu apto destituta est. Correctionem nostram speramus nos harum rerum arbitris probaturos. Ex præmiis ea, quæ rara et ardua sint, pulchra et jucunda hominibus videri, verissimum est. Sin ut Ernest. volebat, *ex præmio* prorsus deleatur, exit sententia: quæ rara et ardua sint, hominibus pulchra et jucunda videri; quam ille quidem simpliciter veram esse dixit; nostro autem judicio verius simpliciter falsam pronuntiasset. Sch.

4. *Tali honore dignati sunt.* Hoc a Cicerone esse nemo mihi persuadeat. Quomodo scribendum sit, sine libris non decerno: nam variæ conjecturæ esse possent, ut «ornati sunt, quos majores nostri *dignati* sunt», Ern.— Oblitus erat, quum ista scriberet Ernest. verbum dignari sæpius apud Ciceronem passive poni. Sch.

5. *Delibari putent?* Hoc recepi e MS Gron. Firmant lectiones MSS, qui habent *derogari*, *subtrahi*: quæ sunt manifeste glossæ verbi *delibari*, item *delibrari*, quod est vitiosum pro *delibari*. Et eodem verbo similiter usus est Cicero, cap. 58, ut pariter quidam substituerunt vulgatam hujus loci *deliberari*. Ern.

6. *Quos contra dicat.* Schütz. dat *q. c. dicet*, quia hoc postulare videtur verborum consecutio.

7. *Facultates.* Ærarii scilicet, ex quo præmium dari potest.

8. *Utrum copiane sit.* Ernest. dat cum Schütz. «utrum copia sit». In vulgata manifestum est aut *utrum* de-

consideratur. Loci communes, Facultates augere, non minuere oportere, et Impudentem esse, qui pro beneficio non gratiam, verum mercedem postulet. Contra autem de pecunia ratiocinari, sordidum esse, quum de gratia referenda deliberetur; et se non pretium pro facto, sed honorem [ita ut factitatum sit[9]] pro beneficio postulare. Ac de constitutionibus quidem satis dictum est: nunc de iis controversiis, quæ in scripto versantur, dicendum videtur.

XL. (XL.) In scripto[1] versatur controversia, quum ex scriptionis ratione aliquid dubii nascitur. Id fit ex ambiguo, ex scripto et sententia, ex contrariis legibus, ex ratiocinatione, ex definitione. Ex ambiguo autem nascitur controversia, quum, quid senserit scriptor, obscurum est, quod scriptum duas pluresve res significat, ad hunc modum: « Paterfamilias, quum filium heredem faceret, vasorum argenteorum centum pondo[2] uxori suæ sic legavit: HERES MEUS UXORI MEÆ VASORUM ARGENTEORUM PONDO CENTUM, QUÆ VOLET, DATO. Post mortem ejus, vasa magnifica[3] et pretiose

leri debere, aut *ne*. *Utrum* abest a MS Gu. 2; ab aliis apud Oudendorp. *ne*. Igitur hos, quia plures sunt, sequutus sum. ERN. — Gœrenz. damnat Ernest. ad Acad. II, 22. J. V. L.

9. *Ita ut factitatum sit*. Hæc ego spuria judico; nam sensum vix habent commodum, et tollunt concinnitatem parium paribus respondentium: itaque uncis inclusi. Si tamen quis genuina malit, intelligat, apud majores nostros, et alio tempore. MS Gu. 2 habet « ut facti tantum sit ». ERNEST. — Schütz. hæc verba omnino delevit.

XL. 1. *In scripto*. In quo versantur controv. genera quinque, I, 13. Tria facit auctor, Topic. 25. Easdem autem illas quinque partes quibus sextam *translationem* adjungit Heren. I, 11; II, 9, partes statuit constitutionis causæ legitimæ, quum Noster hæc genera a constitutionibus separata dicat, I, 13. De *ambiguo* conf. Quintil. VII, 9. WETZ.

2. *Centum pondo*. *Pondo centum*, Schutz. Lallem.

3. *Vasa magnifica et pretiose cælata*. Putem ista esse permutata, legendumque « vasa pretiosa et magnifice cælata ». MS Gu. 1 habet *pretiosa*, sed a m. 2, ed. Junt. habet « magnifice et pretiose cælata »: quod et ipsum non displicet. ERNEST. — Schütziús dedit « vasa pretiosa et magnifice cælata » suasu Ernestii, atque auctoritate loci

cælata petit a filio mater. Ille se[4], quæ ipse vellet, debere dicit ». Primum, si fieri poterit, demonstrandum est, non esse ambigue scriptum; propterea quod omnes in consuetudine sermonis sic uti soleant[5] eo verbo uno pluribusve in eam sententiam, in quam is, qui dicet, accipiendum esse demonstrabit. Deinde ex superiore et ex inferiore scriptura docendum, id, quod quæratur, fieri perspicuum. Quare si ipsa separatim ex se verba considerentur, omnia, aut pleraque, ambigua visum iri; quæ autem ex omni considerata scriptura perspicua fiant, hæc ambigua non oportere existimari. Deinde, qua in sententia scriptor fuerit, ex ceteris ejus scriptis, factis[6], dictis, animo, atque vita ejus sumi oportebit, et eam ipsam scripturam, in qua inerit illud ambiguum, de quo quæritur, totam omnibus ex[7] partibus pertentare, si quid, aut ad id appositum sit, quod nos interpretemur, aut ei, quod adversarius intelligat, adversetur. Nam facile, quid verisimile sit eum voluisse, qui scripsit, ex omni scriptura, et ex persona scriptoris, atque iis rebus, quæ personis attributæ sunt[8], considerabitur. Deinde erit demonstrandum, si quid ex ipsa re dabitur fa-

cujusdam ad Herenn. I, 12, ubi idem exemplum adhibetur.

4. *Ille se, quæ ipse vellet.* MS Cass. delet *ipse*, male; sed legendum est *velit*. Vulgatum ortum est ex antiqua scriptura *velet*. Infra c. 41 recte est *vellet*. Sed ibi pendet ex *daret*, cap. 45. Pariter in MSS confunduntur *vellent* et *velint*. Ern. — Schützius dedit « quæ ipse velit ».

5. *Sic uti soleant*, etc. Primum vulgatum *solent* correxi ex lege latinitatis; et sic habet MS Leid. 1. Deinde dedi « in eam sententiam, inquam », pro ablativis. Nam sic Latini semper, et sic habent MSS apud Oudend. qui et probat. « Eo verbo uno pl. » intellige *quæ volet*, scilicet ut id capiatur de eo, cui legatum scriptum est, non de herede, aut ut ad proximum substantivum (h. l. uxore), non ad remotius (heres) referatur. Ern.

6. *Scriptis, factis.* Schützius dat « scriptis, ex factis ».

7. *Omnibus ex partibus.* Lall. « ex omnibus partibus ».

8. *Quæ personis attributæ sunt.* Quæ enumeravit supra: cetera testatoris scripta, facta, dicta, animum atque vitam. Wetz.

cultatis, id, quod adversarius intelligat, multo minus commode fieri posse, quam id, quod nos accipimus[9], quod illius rei neque administratio, neque exitus ullus exstet; nos quod dicamus, facile et commode transigi posse. Ut in hac lege (nihil enim prohibet fictam exempli loco ponere, quo facilius res intelligatur): MERETRIX CORONAM AUREAM NE[10] HABETO. SI HABUERIT, PUBLICA ESTO; contra eum, qui meretricem publicari dicat ex lege oportere, posset dici[11], « Neque administrationem esse ullam publicæ meretricis, neque exitum legis in meretrice publicanda. At in auro publicando et administrationem et exitum facilem esse; et incommodi nihil inesse ».

XLI. (XLI.) Ac diligenter illud quoque attendere oportebit, num, illo probato, quod adversarius intelligat, utilior res, aut honestior, aut magis necessaria, a scriptore neglecta videatur. Id fiet, si id, quod nos demonstrabimus[1], honestum, aut utile, aut necessarium demonstrabimus; et, si id, quod ab adversariis dicetur, minime ejusmodi dicemus esse. Deinde si in lege erit ex ambiguo controversia, dare operam oportebit, ut de eo, quod adversarius intelligat, alia in lege cautum esse doceatur. Permultum autem proficiet illud demonstrare, quemadmodum scripsisset, si id, quod adversarius accipiat, fieri, aut intelligi voluisset: ut in hac causa, in qua de vasis argenteis quæritur, possit mulier dicere, « Nihil attinuisse adscribi, QUÆ VOLET, si heredis voluntati

9. *Quod nos accipimus*, etc. Schützius dat *quod nos accipiamus*, etc. damnata vulg.

10. *Ne habeto*. Lallem. *non habeto*. Idem habet exemplum Hermogenes, Partit. p. 116. J. V. L.

11. *Posset dici*. Schütz. dat *possit dici*, consecutione temporum, ut ait, postulante.

XLI. 1. *Quod nos demonstrabimus*. Schütz. dat «quod nos dicemus». Jam Lambinus dederat *dicemus*.

permitteret. Eo enim non adscripto, nihil inesse dubitationis, quin heres, quæ ipse vellet, daret. Amentiam igitur[2] fuisse, quum heredi vellet cavere, id adscribere, quo non adscripto, nihilominus heredi caveretur». Quare hoc genere magnopere talibus in causis uti oportebit : Si hoc modo scripsisset, isto verbo usus non esset; non isto loco verbum istud collocasset. Nam ex his sententia scriptoris maxime perspicitur. Deinde quo tempore scriptum sit, quærendum est, ut, quid eum voluisse in ejusmodi tempore verisimile sit, intelligatur. Post ex[3] deliberationis partibus, quid utilius, et quid honestius, et illi ad scribendum, et his ad comprobandum sit, demonstrandum; et ex his, si quid amplificationis dabitur, communibus utrosque[4] locis uti oportebit.

XLII. (XLII.) Ex scripto et sententia[1] controversia consistit, quum alter verbis ipsis, quæ scripta sunt, utitur; alter ad id, quod scriptorem sensisse dicet, omnem adjungit dictionem. Scriptoris autem sententia ab eo, qui sententia se defendet, tum semper ad idem spectare, et idem velle demonstrabitur; tum aut ex facto, aut ex eventu aliquo ad tempus id, quod instituit[2], accommodabitur. Semper ad idem specta-

2. *Amentiam i. f.* Sic pro *amentiæ* edidimus e MSS Gulielm. 2, Voss. 2, schol. ed. Omnib. Med. Junt. ut conjecerat Lamb. Sic etiam est cap. 45 et supra hac forma usus est tum ipse, tum auctor libri ad Herenn. Ern.

3. *Ex deliberationis partibus.* Præceptis quæ tradit deliberatio, sive causæ genus deliberativum, c. 30. Wetz.

4. *Utrosque locis.* Sic rescripsi pro *utrumque* ex MSS Gu. 1, Leid. 1, et vestigiis edd. pr. quæ habent *utroque*, et refertur ad *his*. Aldus fecit *utrumque*. Cass. Gu. 2, *utrimque*, quod et ex aliis notatum est, nec ipsum spernendum. Ern.—Lallem. habet *utrimque*. Sensus totius loci : si qua ratione res amplificari (Herenn. III, 2) poterit, oportebit utrosque, et defensorem, et accusatorem uti locis comm. de quibus supra I, 53. Her. II, 30.

XLII. 1. *Ex scripto et sententia.* Heren. I, 11 et 12.

2. *Quod instituit.* Scilicet scriptor. Non opus est, quod Ernest. volebat, rescribere *instituerit* cum edd. pr. Sch.

re, hoc modo : « Paterfamilias, quum[3] liberorum nihil haberet, uxorem autem haberet, in testamento ita scripsit : Si mihi filius genitus[4] unus, pluresve[5], is mihi heres esto. Deinde quæ assolent. Postea, Si filius ante moritur, quam in tutelam suam venerit, tu mihi, dicebat[6], secundus heres esto. Filius non est natus. Ambigunt agnati cum eo, qui est[7] heres, si filius ante, quam in suam tutelam veniat[8], mortuus sit ». In hoc genere non potest hoc dici, ad tempus, aut ad eventum aliquem sententiam scriptoris oportere accommodari, propterea quod ea sola demonstratur[9], qua fretus ille, qui contra scriptum dicit, suam esse hereditatem defendit.

Alterum autem genus est eorum, qui sententiam inducunt[10], in quo non simplex voluntas scriptoris ostenditur, quæ in omne tempus, et in omne factum idem valeat; sed ex quodam facto, aut eventu ad tempus interpretanda dicitur. Ea partibus juridicialis

3. *Quum liberorum nihil haberet.* Libri quidam scr. et edd. vett. « haberet nihil ». Ern.

4. *Si mihi filius genitus unus.* Ita Pall. et Lambiniani ; nam editio prima « si mihi genitus sit filius unus » : sequentes « si mihi filius genitus fuerit unus ». Lambinus finxit « filius genitur unus » ; non necessario. Gruter. — MSS Cass. Gu. 2, item alius ap. Oud. *gignitur*, quod favet conjecturæ Lambin. *genitur*. Libri quidam scripti et edd. pr. addunt *sit* vel *fuerit* e glossa adscripta in MSS, quamquam in formulis veteribus additur hoc verbum. Ern. — *Genitur* forma est antiqua, cujus generis multa sæpe in legibus erant.

5. *Unus, pluresve.* Est e formula testamentorum. Ern.

6. *Tu mihi, dicebat, secundus h. e.* An excidit *nomen*, ut in parenthesi sit (dicebat nomen), scilicet heredis secundi. Nam ad *postea* referre alienum sit. Ern.

7. *Qui est heres, si filius ante.* Lallem. dedit « qui est secundus heres, si filius ante ».

8. *In suam tutelam veniat.* Schütz. dat *veniret*, declaratque *veniat* ferri non posse.

9. *Ea sola demonstratur.* Wetz. « demonstranda est ». Gallic. interpr. demonstrari potest.

10. *Inducunt, in quo.* Pessime interpungebatur sic : *inducunt. In quo.* Sch. — Intellige : alterum genus eorum, qui sententiam inducunt, illud est in quo non simplex voluntas, etc.

assumptivæ[11] maxime sustinetur. Nam tum inducitur comparatio[12], ut « In eum, qui, quum lex aperiri portas noctu vetaret; aperuit quodam in bello, et auxilia quædam in oppidum recepit, ne ab hostibus opprimerentur, si foris essent, quod prope muros hostes[13] castra haberent » : tum relatio criminis[14], ut « In eo milite[15], qui, quum communis lex[16] omnium hominem occidere vetaret, tribunum[17] militum suum, qui vim sibi afferre[18] conaretur, occidit » : tum remotio criminis, ut « In eo[19], qui, quum lex, quibus diebus in legationem proficisceretur, præstituerat[20], quia sumptum quæstor[21] non dedit, profectus non est » : tum concessio per purgationem, et per imprudentiam, ut « In vituli immolatione[22] » : et per vim[23],

11. *Juridicialis assumptivæ.* Δικαιολογικῆς ἀντιθετικῆς. De assumptiva supra cap. 24-36.

12. *Comparatio.* De qua vide supra cap. 24, 26.

13. *Hostes castra.* Lallem. dat *castra hostes.*

14. *Relatio criminis.* De qua vid. cap. 26-28.

15. *In eo milite.* Addidimus *milite* ex MSS apud Oud. aliisque et Gu. 1, Cass. edd. pr. delevit Aldus. Ern.

16. *Communis lex omnium*, etc. *Omnium* aberat a MS Leid. 3. Arbitror bene; nisi cum Oudend. malis corrigere vulgatum *omnino*, quod non displicet. Ern. — De relatione criminis resp. cap. 24-26.

17. *Tribunum militum suum.* Variant libri, alii *militum*, alii *militem*, ut etiam Gu. 1. Sine dubio vox est spuria, ut alii viri docti judicant. Uncis inclusi. Ern. — Schützius omnino delevit.

18. *Vim sibi afferre.* Sic edidi pro *inferre* ex MSS pluribus apud Oud. etiam nostris Gu. 1, 2, et sic Cicero in Miloniana in hac ipsa re. Ern. — Sic enim hanc rem attingit Cicero in Miloniana : « Pudicitiam quum eriperet militi tribunus militaris in exercitu C. Marii, propinquus ejus imperatoris, interfectus ab eo est, cui vim afferebat. Facere enim probus adolescens periculose, quam perpeti turpiter maluit : atque hunc ille vir summus, scelere solutum, periculo liberavit ». Plut. in Mario tradidit juveni nomen fuisse Trebonium, tribuno autem C. Marii nepoti, C. Lucium.

19. *Ut in eo.* Supra cap. 29. De remotione autem criminis vid. 29, 30.

20. *Præstituerat.* Schütz. dat *præstitueret.*

21. *Quia sumptum quæstor non dedit.* Supra cap. 29, erat *daret*, et h. l. forte fuit *dederat.* Ernest. — Lallem. « non dedit quæstor ».

22. *In vituli immolatione.* Vide supra cap. 31.

23. *Et per vim... et per casum.* Ibidem.

ut « In navi rostrata » : et per casum, ut « In Eurotæ fluminis[24] magnitudine ». Quare aut ita sententia inducetur, ut unum quiddam voluisse scriptor demonstretur; aut sic, ut in ejusmodi re et tempore hoc voluisse doceatur.

XLIII. (XLIII.) Ergo is, qui scriptum defendit[1], his locis plerumque omnibus, majore autem parte[2] semper poterit uti : Primum scriptoris collaudatione, et loco communi, nihil eos, qui judicent, nisi id, quod scriptum sit, spectare oportere; et hoc eo magis, si legitimum scriptum proferetur, id est, aut lex ipsa, aut ex lege aliquid. Postea, quod vehementissimum est, facti, aut intentionis[3] adversariorum cum ipso scripto contentione[4], quid scriptum sit, quid factum, quid juratus judex : quem locum multis modis variare oportebit[5], tum ipsum secum admirantem, quidnam contra dici possit; tum ad judicis officium revertentem, et ab eo quærentem, quid præterea audire, aut exspectare debeat[6]; tum ipsum adversarium, quasi intentantis loco[7], producendo, hoc est, interrogando,

24. *Ut in Eurotæ fluminis.* Schütz. delet *flüminis*, quod e glossa fluxisse patere declarat e cod. Voss. c. schol. ubi *fluminis* est inter versus adscriptum.

XLIII. 1. *Defendit.* Multi libri scripti et edd. *defendet.* Quod fortásse rectius h. l. sed in his temporibus ita variat Cicero, ut certi quid statuere non liceat. Ern. — Schütz. dat *defendet* auctoritate multorum MSS et edd. et quia supra est : « qui sententia se defendet ».

2. *Majore autem parte.* Schützius cum Lamb. « majorem aut. partem ».

3. *Facti, aut intentionis. Facti* si adversarius *factum* suum defendit; *intentionis*, si judicium *intendat.* Intentio non est gallice *l'intention*, ut putavit interpres. Melius esset *la prétention.* Est autem eodem sensu quo passim : « intentio, depulsio ».

4. *Contentione.* Wetzelius interpretatur, *comparatione.* Credam melius *oppositione.*

5. *Variare oportebit, tum.* Male invaluerat interpunctio, « variare oportebit. Tum ». Sed accusativi « admirantem... revertentem... quærentem » arctissime copulantur cum verbis « variare oportebit ». Sch.

6. *Aut exspectare debeat.* Schütz. dat, « aut quid exspectare debeat », e MSS Cass. quod jam Ernestio valde placuerat.

7. *Quasi intentantis loco, produ-*

utrum scriptum neget esse eo modo, an ab se contra factum esse, aut contra contendi neget; utrum negare ausus sit, se dicere desiturum; si neutrum neget, et contra tamen dicat, nihil esse, quo hominem impudentiorem quisquam se visurum arbitretur. In hoc ita commorari conveniet, quasi nihil præterea dicendum sit, et quasi contra dici nihil possit, sæpe id, quod scriptum est, recitando; sæpe cum scripto factum adversarii confligendo; atque interdum acriter ad judicem ipsum revertendo. Quo in loco judici demonstrandum est, quid juratus sit, quid sequi debeat; duabus de causis judicem dubitare oportere, si aut scriptum sit obscure, aut neget aliquid adversarius. Quum et scriptum[8] aperte sit, et adversarius omnia confiteatur, tum judicem legi parere, non interpretari legem oportere.

XLIV. (XLIV.) Hoc loco confirmato, tum diluere ea, quæ contra dici poterant[1], oportebit. Contra autem dicetur, si aut prorsus aliud sensisse scriptor, et scripsisse aliud demonstrabitur: ut in illa de testamento, quam posuimus, controversia; aut causa assumptiva[2] inferetur, quamobrem scripto non potuerit, aut non oportuerit obtemperari. Si aliud sensisse scriptor, aliud scripsisse dicetur, is, qui scripto utetur, hoc dicet, non oportere de ejus voluntate nos

cendo. Schützius dat « quasi in intentionis locum producendo ». Vulgatum, inquit, quid sit non magis explicari potest, quam quod in aliis est, « intendentis loco ». In cod. Altorf. scribitur *locum*; et pro « intentantis » ipse « in intentionis » emendavi. Nempe adversarium « quasi in intentionis locum producere » significat, eum adigere, ut ipse intentionem suam pronuntiare cogatur, quod Cicero ipse sequentibus verbis explicat; et quia hæc metaphora paullo audacior videbatur, eam Cicero præmisso *quasi* mollit, ut sæpe. Sch.

8. *Quum et scriptum aperte sit.* Lallem. dedit « Quum et scriptum sit aperte, et adversarius ».

XLIV. 1. *Poterant.* Schützius dat *poterunt.*

2. *Causa assumptiva.* De qua c. 42. Wets.

argumentari, qui, ne id facere possemus, indicium[3] nobis reliquerit suæ voluntatis; multa incommoda consequi, si instituatur, ut a scripto recedatur. Nam et eos, qui aliquid scribant, non existimaturos, id, quod scripserint, ratum futurum; et eos, qui judicent, certum, quod sequantur, nihil habituros, si semel a scripto recedere consueverint. Quod si voluntas scriptoris conservanda sit, se, non adversarios, a voluntate ejus stare. Nam multo propius accedere ad scriptoris voluntatem eum, qui ex ipsius eam literis interpretetur, quam illum, qui sententiam scriptoris non ex ipsius scripto spectet, quod illæ suæ voluntatis quasi imaginem reliquerit, sed domesticis suspicionibus perscrutetur.

(XLV.) Sin causam afferet is, qui a sententia stabit, primum erit contra dicendum: quam absurdum[4], non negare contra legem fecisse, sed quare fecerit, causam aliquam invenire; deinde conversa omnia esse[5]: ante solitos esse accusatores judicibus persuadere, affinem esse alicujus culpæ eum, qui accusaretur; causam proferre, quæ eum ad peccandum impulisset; nunc ipsum reum causam afferre[6], quare deliquerit. Deinde hanc inducere partitionem, cujus in singulas partes multæ convenient argumentationes: primum nulla in lege[7] ullam causam contra scriptum accipi

3. *Indicium nobis*. Edidi *indicium* pro *judicium* e MSS apud Gruterum et Oudend. et Gu. utroque, Cass. *voluntatis* porro *judicium* nullum est; et infra pro eo est « imago voluntatis ». Ern. — Schütz. sequutus est.

4. *Quam absurdum*. Schütz. addit *sit* e MS Leid. 2, quod Ernest. non displicet.

5. *Omnia esse*. Sch. cum Lambino *esse omnia*, ut ordine concinniore.

6. *Causam afferre*. Schütz. dat *inferre* cum cod. Voss. c. schol. in Voss. 1, Leid. 3, et hoc variandæ orationis causa præfert Oudend.

7. *Primum nulla in lege ullam causam contra*, etc. De quo amplius disserit infra cap. 45. — *Deinde*; vide infra cap. 46. — *Postremo*, ibid. Wetz.

convenire; deinde si in ceteris legibus conveniat, hanc esse hujusmodi legem, ut in ea non oporteat; postremo si in hac quoque lege oporteat, hanc quidem causam accipi minime oportere.

XLV. Prima pars his fere locis confirmabitur: scriptori neque ingenium, neque operam, neque ullam facultatem defuisse, quo minus posset aperte perscribere id, quod cogitaret; non fuisse ei grave, nec difficile, eam causam excipere, quam adversarii proferant, si quidquam excipiendum putasset; consuesse eos, qui leges scribant, exceptionibus uti. Deinde oportet recitare leges cum exceptionibus scriptas, et maxime videre, si qua in ea ipsa lege, qua de agitur, sit exceptio aliquo in capite, aut apud eumdem legis scriptorem, quo magis eum probetur fuisse excepturum, si quid excipiendum putaret; et ostendere, causam accipere[1], nihil aliud esse, nisi legem tollere; ideo quod, quum semel causa consideretur, nihil attineat eam ex lege considerare, quippe quæ in lege scripta non sit. Quod si sit institutum; omnibus causam dari et potestatem peccandi, quum intellexerint, vos ex ingenio ejus, qui contra legem fecerit, non ex lege, in quam jurati sitis, rem judicare; deinde et ipsis judicibus judicandi, et ceteris civibus vivendi rationes perturbatum iri, si semel a legibus recessum sit: nam et judices neque, quid sequantur, habituros, si ab eo, quod scriptum sit, recedant; neque, quo pacto aliis[2] improbare[3] possint, quod contra

XLV. 1. *Causam accip.* De causa quærere, non de facto, i.e. legem tollere, quæ de facto, non de causa pronuntiavit.

2. *Quo pacto aliis.* Legendum est aut *alios*, ut Victor. edidit, quod habet MS apud Oudend. aut *in aliis*, quod tantopere consentiant libri in verbo *aliis*. Legant lectores: non potui decernere. Ern. — Schütz. dedit *in aliis*.

3. *Improbare.* Frustra Oud. conjicit *probare*, quod scilic. ad vulgatam lectionem *aliis* referendum putabat.

legem judicarint; et ceteros cives, quid agant, ignoraturos, si ex suo quisque consilio, et ex ea[4] ratione, quæ in mentem, aut in libidinem venerit, non ex communi præscripto civitatis unamquamque rem administrarit[5]. Postea quærere a judicibus ipsis, quare in alienis detineantur negotiis; cur reipublicæ munere impediantur, quum sæpius[6] suis rebus et commodis servire possint; cur in certa verba jurent; cur certo tempore conveniant, certo discedant; nihil quisquam afferat causæ, quo minus frequenter operam reipublicæ det, nisi quæ causa in lege[7] excepta sit; an se legibus obstrictos in tantis molestiis esse æquum censeant, adversarios nostros leges negligere concedant. Deinde item quærere ab judicibus, si ejus rei[8] causam, propter quam se reus contra legem fecisse dicat, exceptionem ipse in lege adscribat, passurine sint;

Sed verissimum est *improbare*. Nam cur judicibus judicandi rationes perturbentur, si semel a legibus recessum sit, dum causæ afferantur, primum quod ipsi, quod sequantur, non habituri sint, deinde quod in aliis judicibus improbare non possint, si forte contra leges judicaverint. Hæc igitur causa repetitur a malo, quod alii imitari possint, exemplo.

4. *Et ex ea ratione*. Lallem. omittit *ea*.

5. *Administrarit*. Sic fidenter edidi pro *administrabit :* quod salva latinitate stare non potest : et meri conjunctivi præcedunt in ejusmodi structura. Mox «ab judicibus» e MSS pluribus et ed. pr. Omnib. pro *apud*. Sic et mox est in omnibus. Ern.

6. *Quum sæpius suis rebus*. Delevi *seriis*, quod e MSS suis quibusdam addiderat Gruterus. Nam quis ita dicit? Omnes «rebus suis et commodis servire», sine tali adjunctione, qualis est etiam *necessariis* in libris quibusdam. Utrumque est a glossatore. Ern. — Pro *quum sæpius* Schützius dat *quo secius* ut magis concinnum. Eodem modo, inquit, ad Herenn. I, 12, dicitur : «impedimento est, quo secius feratur lex». Et *seriis*, quod Gruterus in MS invenit, sine dubio e *secius* depravatum est. Sch.

7. *In lege*. Vulgo *ex lege :* contra consuetudinem latinam in hac formula : *in* habent MSS etiam nostri, et edd. vett. Aldus primus dedit *ex*. Ern. — Sch. assentitur.

8. *Si ejus rei causam*. Primitus cusi *causæ*, quod et in Grevenb. At enim Pall. *causa*, quod fere malim. Lambinus *causam* abjecit. Gaut. — Variant libri in hoc verbo, aliis etiam *causæ*, aliis *causa* exhibentibus : aliique aliud placere video. Ego cum Lambino spurium esse credo : nec pro-

postea hoc, quod faciat, indignius et impudentius esse, quam si adscribat; age porro[9], quid? si ipsi velint judices adscribere, passurusne sit populus? atque hoc esse indignius, quam rem verbo et literis mutare non possint, eam re ipsa, et judicio maxime, commutare; deinde indignum esse de lege aliquid derogari, aut legem abrogari, aut aliqua ex parte commutari, quum populo cognoscendi, et probandi, aut improbandi potestas nulla fiat; hoc ipsis judicibus invidiosissimum futurum; non hunc locum esse, neque hoc tempus legum corrigendarum; apud populum hoc, et per populum agi convenire; quod si nunc id agant, velle se scire, qui lator sit, qui sint accepturi; se actiones videre[10] et dissuadere velle;

fecto convenit sequentibus ullo modo: «ejus rei causam ..... exceptionem». Est scilicet a glossa, diserte exponente, quod in exceptionis verbo latet, estque ducta e superioribus verbis: «nisi quæ causa in lege excepta sit». Ern. — Schützius dat «si ejus causæ». Sensus est, inquit: quærere a judicibus, num passuri sint, si reus ejus causæ, propter quam se contra legem fecisse dicat, exceptionem ipse in lege adscribat; ex quo patet verissime lectionem *ejus causæ*, quæ est in cod. Voss. c. schol. probasse, quum alii edidissent «ejus rei causam». Sch. — De re respice I, 33. Wetz.

9. *Age porro, quid? si ipsi.* Aut *quid* delendum puto ut forma legitima hujus rationis *age porro*, vel *vero* reddatur, in qua *quid?* locum non habet, aut transponendum *si quid i. j.* etc. Ern. — Schützius delevit *quid*, auctore Ernest.

10. *Se actiones videre et dissuadere velle.* Hoc ego numquam intellexi, nec explicatum reperi. Conjeci *actionem* scil. legislatoris, in lege ferenda: nam in lege accipienda non est actio, ut referre possis ad illa duo, «qui lator sit, qui sint accepturi». Ern. — Pal. pr. «accessiones videre». Schützius dat «se captiones ostendere et dissuadere velle». Quid hoc est, inquit, «actiones videre?» Commodum nos Victorinus expedire potest. Is h. l. ita circumscripsit: «Quod si aliquis hanc legem ferat, scire se velle, ut si aliquid sit captiosum adversariumve contra dicat». Ex quo perspicue intelligitur, illum in codice suo non *actiones*, sed *captiones* legisse. Pro *videre* autem *ostendere* scripsi: hoc enim quia in codd. *ondere* scribi solebat, facile poterat in *videre* mutari. *Captionis* vocabulum in simili re occurrit, Brut. cap. 53: «Quanta esset in verbis captio, quum in ceteris rebus, tum in testamentis, si negligerentur voluntates»; et cap. 52: «quam captiosum esset populo, quod scriptum esset negligi, et opinione quæri voluntates». Sic et Partitt. Orat. I, 38;

quod si hæc[11] quum summe inutilia, tum multo turpissima sint, legem, cujuscemodi sit, in præsentia conservari ab judicibus, post, si displiceat, a populo corrigi convenire. Deinde, si scriptum non exstaret, magnopere quæreremus; neque isti, ne si extra periculum quidem esset[12], crederemus. Nunc quum scriptum sit, amentiam esse, ejus, qui peccarit potius, quam legis ipsius verba cognoscere. His et hujusmodi rationibus ostenditur, causam extra scriptum[13] accipi non oportere.

XLVI. (XLVI.) Secunda pars[1] est, in qua est ostendendum, si in ceteris legibus oporteat, in hac non oportere. Hoc demonstrabitur, si lex aut ad res maximas, utilissimas, honestissimas, religiosissimas videbitur pertinere; aut inutile, aut turpe, aut nefas esse tali in re non diligentissime legi obtemperare; aut ita lex diligenter perscripta demonstrabitur[2], ita cautum unaquaque de re, ita, quod oportuerit, exceptum, ut minime conveniat quidquam in tam diligenti scriptura præteritum arbitrari.

Tertius locus est ei, qui pro scripto dicet, maxime necessarius, per quem ostendat oportet, si conveniat causam contra scriptum accipi, eam tamen minime oportere, quæ ab adversariis afferatur. Qui locus

« eamque sententiam, quam significari posse dicet, nihil habere aut captionis, aut vitii ». Sch.

11. *Quod si hæc.* E Victorino colligere licet, hic omissum esse: « quæ adversarii dicant », vel simile quid. Scilicet jam antea dictum erat, inutile et indignum esse a lege scripta recedere; et cap. 46, in re simili dicitur: « aut inutile, aut turpe, aut nefas esse tali in re non diligentissime legi obtemperare ».

12. *Neque isti, ne si extra periculum quidem esset, crederemus.* Isti adversario, ne si non reus quidem esset, crederemus.

13. *Causam extra scriptum accipi*, etc. Causam non in ipsa lege scriptam. Wetz.

XLVI. 1. *Secunda pars est*, etc. Resp. cap. 44.

2. *Diligenter perscripta demonstrabitur.* Schützius dat « diligenter perscripta ostendetur ».

idcirco est huic necessarius, quod semper is, qui contra scriptum dicit, æquitatis aliquid afferat oportet. Nam summa impudentia sit[3], eum, qui contra quam[4] quod scriptum sit, aliquid probare velit, non æquitatis præsidio id facere conari. Si quid igitur ex hac ipsa quippiam[5] accusator[6] deroget, omnibus partibus justius et probabilius accusare videtur[7]. Nam superior oratio hoc[8] omnis faciebat, uti judices, etiamsi nollent, necesse esset; hæc autem, etiamsi necesse non esset, ut vellent contra judicare. Id autem fiet, si, quibus ex locis culpa demonstrabitur non esse in eo[9], qui comparatione, aut remotione, aut relatione criminis, aut concessionis partibus se defendit (de quibus ante, ut potuimus, diligenter perscri-

3. *Summa impudentia sit.* Pro *est* dedi *sit* e MSS nostris omnibus, duobus apud Oud. quod saltem est elegantius vulgato, in quo tamen latinitas salva est. Ern. — Schütz. sequutus est.

4. *Contra quam quod scr.* Addidi *quam* e MSS nostris et aliis ap. Gronov. Oudend. et edd. pr. Aldus primus delevit. Oudend. defendit vulgatum, propter observatiunculam de illo *quam* interdum omisso, ut *propter quod*, pro *propter quam quod*. Ern.

5. *Quippiam.* Variant hic libri et critici, et aliud alii placet, ut Oud. *quipiam*, quod et Gu. 1 habet. Ego delendum puto alterutrum, aut *quid*, aut *quippiam*. Ern. — *Quippiam* Sch. omisit innixus cod. Voss. c. schol. a m. pr. et Medic. atque auctoritate alterius loci, cap. 48, ubi Cicero ad hunc locum respexit: « Et quemadmodum ei dicebamus, qui a scripto diceret, hoc fore utilissimum, si quid de æquitate, quod cum adversario staret, derogasset ».

6. *Accusator.* Nempe accusator in tali causa is est, qui pro scripto s. a scripto dicit, s. qui scriptum defendit. Rei autem defensor is est, qui contra scriptum dicit et æquitate pugnat. Sch.

7. *Accusare videtur.* Schützius, « accusare videatur ».

8. *Nam sup. oratio h. o. faciebat.* Transponit Lambinus: « nam superior omnis oratio hoc faciebat », non volentibus MSS. Nimirum ignorabat *hoc* positum hic ἀντὶ τοῦ *huc* antique. Graev. — Sed sic Cicero non scripsit. Ergo scribamus *huc*, si vera est lectio. Edd. pr. habent *hæc*. Ern.

9. *Demonstrabitur non esse in eo.* Schütz. dat « demonstrabitur inesse in eo ». Negativa, inquit, particula, pessime hic invecta, recte carent cod. Voss. c. schol. a m. pr. Voss. 2, ed. Omnib. In Voss. 1, Leid. 2, est « demonstrabitur inesse », quod prætulimus; nam ex hac lectione facilius conjicitur, quomodo « non esse » in aliis ortum sit. Sch.

psimus[10]), de his locis, quæ res postulabit, ad causam adversariorum improbandam transferemus; aut causæ et rationes afferentur, quare, et quo consilio ita sit in lege, aut in testamento scriptum, ut sententia quoque, et voluntate scriptoris, non ipsa solum scripturæ causa confirmatum esse videatur[11]; aut aliis quoque constitutionibus factum coarguetur.

XLVII. (XLVII.) Contra scriptum autem qui dicet, primum eum inducet locum, per quem æquitas causæ demonstretur; aut ostendet, quo animo, quo consilio, qua de causa fecerit; et, quamcumque causam assumet, assumptionis partibus[1] se defendet, de quibus ante dictum est. Atque hoc in loco quum diutius commoratus, sui facti rationem et æquitatem causæ exornaverit, tum ex his locis fere contra adversarios dicet oportere causas accipi. Demonstrabit, nullam esse legem, quæ aliquam rem inutilem, aut iniquam fieri velit; omnia supplicia, quæ a legibus proficiscantur, culpæ ac malitiæ vindicandæ causa constituta esse; scriptorem ipsum, si exsistat, factum hoc probaturum; et idem ipsum, si ei talis res accidisset, facturum fuisse; et ea re legis scriptorem certo[2] ex

10. *Perscripsimus.* Inepte in edit. Ernesti parenthesis hæc post verbum « transferemus » clauditur, operarum forsan errore. Sch.

11. *Non...confirmatum esse videatur.* Variavere librarii in hujus loci lectione. Suspicatus aliquando sum *scriptura*, sine *causa*. Nam in illa lectione etiam *ipsius* requiri videtur. Ern. — Schützius dat « non ipsa solum scriptura causa confirmata esse vid. » Significatur, inquit, quod ex Victorini quoque interpretatione apparet, eum, qui scriptum defendat, bene rem suam acturum, si sententiam scriptoris aliam esse non posse, quam quæ a se scripto subjiciatur, demonstret, ut videatur causa sua, non scriptura solum confirmari, sed etiam ipsa scriptoris sententia et voluntate.

XLVII. 1. *Assumptionis partibus.* Intellige quatuor illas constit. assumptivæ partes, nempe comparationem, remotionem, relationem criminis, et concessionem. Capp. — De quibus vide c. 30 et 48.

2. *Certo ex ordine.* Primum ex se-

ordine judices, certa ætate præditos constituisse, ut essent, non qui scriptum suum recitarent, quod quivis puer facere posset, sed qui cogitationem assequi possent, et voluntatem interpretari; deinde illum scriptorem, si scripta sua stultis hominibus et barbaris judicibus committeret, omnia summa diligentia perscripturum fuisse; nunc vero, quod intelligeret, quales viri judicaturi [3] essent, idcirco eum, quæ perspicua videret esse, non adscripsisse : neque enim vos scripti sui recitatores, sed voluntatis interpretes fore putavit. Postea quærere [4] ab adversariis, Quid si hoc fecissem? quid si hoc accidisset? eorum aliquid, in quibus aut causa sit honestissima, aut necessitudo certissima; tumne accusaretis? Atqui hoc lex nusquam excepit. Non ergo omnia scriptis, sed quædam, quæ perspicua sint [5], tacitis exceptionibus caveri. Deinde nullam rem neque legibus, neque scriptura ulla, denique ne in [6] sermone quidem quotidiano atque imperiis domesticis recte posse administrari, si unusquisque velit verba spectare, et non ad voluntatem ejus, qui verba habuerit, accedere.

natorio. Ab illo quum C. Gracchus ad equites judicia transtulisset, a. 630, Plotius a. 654, cum senatoribus eadem iterum communicasset, Sulla dictator ann. 671 senatui soli addixit. Cf. ad Brutum, 43. Wetz.

3. *Quales viri judicaturi essent.* MS Cass. Gu. 2, et alii apud Gron. et Oud. addunt *res*, quod mihi non a librariis ortum videtur : « res judicare » bene latinum est, et prope formula solemnis in hac re. Ern. — Sch. voculam *res* recepit, quod hic omnino de judicibus futuris, non de iis, qui in certa quadam causa judicaturi sint, agitur.

4. *Postea quærere ab adv.* Et infra « Deinde ex util... ostendere »; et inferius « postea... describere ». Pro iis Sch. dat « Postea quæret ab adv... Deinde... ostendet... Postea... describet ». Hic ubique, inquit, verba recta posuimus, quæ in futuro tempore continentur cum illo : « demonstrabit, nullam esse legem ». Et sic ultimo loco hæc argumentorum expositio eadem tertia persona futuri clauditur : « eam causam, quam ipse afferat, oportere accipi demonstrabit ».

5. *Quæ perspicua sint.* Sic MSS etiam nostri, et edd. pr. vulgo *sunt*, male.

6. *Ne in s. q. quot. atque imp. domesticis.* Vide or. pro Cæcina, c. 18.

XLVIII. Deinde ex utilitatis et honestatis partibus ostendere, quam inutile, aut quam turpe sit id, quod adversarii dicant fieri oportuisse, aut oportere; et id, quod nos fecerimus, aut postulemus, quam utile, aut quam honestum sit. Deinde leges nobis caras esse non propter literas, quæ tenues et obscuræ notæ sint voluntatis, sed propter earum rerum, quibus de scriptum est[1], utilitatem, et eorum, qui[2] scripserint, sapientiam et diligentiam. Postea, quid sit lex, describere, ut ea videatur in sententiis, non in verbis consistere; et judex is videatur legi obtemperare, qui sententiam ejus, non qui scripturam sequatur. Deinde, quam indignum sit, eodem affici supplicio eum, qui propter aliquod scelus et audaciam contra legem fecerit, et eum, qui honesta, aut necessaria de causa, non ab sententia, sed ab literis legis recesserit: atque his, et hujusmodi rationibus, et accipi causam, et in hac lege accipi, et eam causam, quam ipse afferat, oportere accipi demonstrabit.

Et quemadmodum ei dicebamus[3], qui a scripto diceret, hoc fore utilissimum, si quid de æquitate ea, quæ cum adversario staret, derogasset: sic huic, qui contra scriptum dicet, plurimum proderit, ex ipsa scriptura aliquid ad suam causam convertere, aut ambigue aliquid scriptum ostendere; deinde ex illo ambiguo eam partem, quæ sibi prosit, defendere, aut verbi definitionem inducere, et illius verbi vim, quo urgeri videatur, ad suæ causæ commodum traducere, aut ex scripto non scriptum aliquod inducere per ra-

Schütz. « ne sermone quidem ». — *Qui verba habuerit.* Schütz. dat « qui ea verba habuerit », auctoritate cod. Voss. c. schol. Voss. 1, Leid. 1, 2, quod Oud. quoque placebat.

XLVIII. 1. *Quibus de scriptum est.* Sch. cum Lambino « quibus de rebus scr. est ».

2. *Qui scr.* Sch. « qui scripserunt ».

3. *Dicebamus.* Supra c. 46.

tiocinationem, de qua post dicemus[4]. Quacumque autem in re[5], quamvis leviter probabili, scripto ipso se defenderit, etiam quum æquitate causa abundabit, necessario multum proficiet, ideo quod, si id, quo nititur adversariorum causa, subduxerit, omnem illam[6] ejus vim et acrimoniam lenierit ac diluerit. (XLVIII.) Loci autem[7] communes ceteri ex assumptionis partibus in utramque partem convenient. Præterea ejus, qui a scripto dicet : leges ex se, non ex ejus, qui contra commiserit, utilitate spectari oportere, et legibus antiquius haberi nihil oportere. Contra scriptum : leges in consilio scriptoris, et utilitate communi, non in verbis consistere; quam indignum sit, æquitatem literis urgeri, quæ voluntate ejus, qui scripserit, defendatur.

XLIX. (XLIX.) Ex contrariis[1] autem legibus controversia nascitur, quum inter se duæ videntur leges, aut plures discrepare, hoc modo : Lex est[2], QUI TYRANNUM OCCIDERIT, OLYMPIONICARUM[3] PRÆMIUM CAPITO, ET QUAM VOLET SIBI REM A MAGISTRATU DEPOSCITO,

4. *De qua post dic.* Infra cap. 50.

5. *Quacumque autem in re.* Sch. emendat « quacumque autem ratione ». Sensus, inquit, postulat. Nempe expositæ erant complures rationes, quibus is, qui contra scriptum dicit, possit aliquid ex ipsa scriptura ad suam causam convertere. Vulgatum *in re* ortum esse videtur ex scribendi compendio *rone* pro *ratione*.

6. *Omnem illam ejus vim. Illam*, quod abest a MS Cass. Sch. ut otiosum, delevit, probante Ernestio.

7. *Loci autem communes ceteri.* Sic pro vulgato *certis*, ex MSS pluribus Grut. Oud. et edd. pr. edidi. Non est sermo de certis locis, sed de locis ex assumptionis partibus, quorum plures supra indicavit, hic de reliquis monet, qui utrique disceptantium parti apti sint. ERN. — Sch. sequitur. Lallem. retinuit *certis*.

XLIX. 1. *Ex contrariis... legibus.* Ἀντινομίαν vocant rhetores græci. CAPP. — Vide Her. II, 10.

2. *Lex est.* MSS quidam, in his nostri, Cass. Gu. 1 delent hic *est*, ut et cap. 50, princ. Semel monuisse de hac forma satis sit, ut supra de alio genere. Nihil certi est : sed simplicitati tamen Ciceronianæ in his libris aptius, verbum *est* in his relinqui. ERN.

3. *Olympionicarum.* Non arbitror hic de corona esse intelligendum, sed de statua, quæ erigenda esset ei qui tyrannum occidisset, quemadmodum

ET MAGISTRATUS EI CONCEDITO. Et altera lex, TYRANNO OCCISO, QUINQUE EJUS PROXIMOS COGNATIONE MAGISTRATUS NECATO. « Alexandrum, qui apud Pheræos in Thessalia tyrannidem occuparat, uxor sua, cui Thebe nomen fuit, noctu, quum simul cubaret, occidit[4]. Hæc filium suum, quem ex tyranno habebat, sibi in præmii loco[5] deposcit. Sunt, qui ex lege puerum occidi dicant oportere. Res in judicio est». In hoc genere utramque in partem iidem loci, atque eadem præcepta convenient, ideo quod uterque suam legem confirmare, contrariam infirmare debebit. Primum igitur leges oportet contendere, considerando, utra lex ad majores, hoc est, ad utiliores, ad honestiores ac magis necessarias res pertineat : ex quo conficitur, ut, si leges duæ, aut si plures, aut quotquot erunt, conservari non possint, quia discrepent inter se; ea maxime conservanda putetur, quæ ad maximas res pertinere videatur. Deinde utra lex posterius lata sit : nam postrema quæque gravissima est. Deinde utra lex jubeat aliquid, utra permittat : nam id, quod imperatur, necessarium; illud, quod permittitur[6], voluntarium est. Deinde in utra lege, si non obtemperatum sit, pœna[7] afficiatur, aut in utra major pœna statuatur : nam maxime conservanda est ea, quæ diligen-

Athenis Harmodio et Aristogitoni factum fuisse scriptores memoriæ prodiderunt. Nam Olympionicæ non corona tantum ex oleastro, verum etiam statua ornari solebant. Quod Plinius iudicare videtur (edit. Hard. tom. II, p. 642). NASC.

4. *Alexandrum ... uxor sua ... occidit.* Ann. U. fere 397; quum ab ann. inde 386 sæviisset. WETZ.

5. *Sibi in pr. loco. In* addidimus e MSS Oud. et nostris omnibus, edd. pr. est enim elegantius, nec a librariis. ERNEST.

6. *Illud, quod perm.* Ernesti malebat *illud* abesse. Concinne tamen hic *illud* opponitur præcedenti *id*. SCH.

7. *Pœnis afficiatur.* Int. quia non obtemperatum sit : est tamen paullo durius. Itaque Oud. conjecit *adjiciatur*, eleganter sane, sed non necessario. ERN. — Sch. delet omnino *afficiatur*, ut parum hic aptum, fretus auctoritate Victorini, qui sic locum

tissime[8] sancta est. Deinde utra lex jubeat, utra vetet: nam sæpe ea, quæ vetat, quasi exceptione quadam corrigere videtur illam, quæ jubet. Deinde utra lex de genere omni; utra de parte quadam; utra communiter in plures; utra in aliquam certam rem scripta videatur: nam quæ in partem aliquam, et quæ in certam quamdam rem scripta est, promptius[9] ad causam accedere videtur, et ad judicium magis pertinere. Deinde, ex lege[10] utrum statim fieri necesse sit; utrum habeat aliquam moram et sustentationem: nam id, quod statim faciendum sit, perfici prius oportet. Deinde operam dare, ut sua lex ipso scripto videatur niti; contraria autem aut per ambiguum, aut per ratiocinationem, aut per definitionem induci: quo sanctius et firmius id videatur esse, quod apertius[11] scriptum sit. Deinde suæ legis ad scriptum ipsam

interpretatur, ut videatur verbum *statuatur* post *pœna* subauditum habuisse.

8. *Diligentissime sancta est.* Optime hanc lectionem defendit Lambinus. Nam ante eum edebatur: « quæ diligentissima et sancta est ». Lambini conjecturam firmat cod. Voss. c. schol. Est autem lex diligentius sancta, quæ pœnam statuit in eos, qui non obtemperaverint, quam quæ nullam; et quæ graviorem pœnam statuit, diligentius est sancta, quam quæ leviorem. Sch.

9. *Promptius.* Sic sine varietate libri, nisi quod Gu. 1 habet *promittis* vitiose: adscripto supra, alii *promptius.* Elegans est conjectura Fabri et Lambini *propius.* Ern.—Quam Lamb. conj. Lall. et Sch. receperunt. Wetz. autem: *promptius*, facilius. Lex igitur prompte accedit ad causam, facile nostræ causæ accommodatur, ut homo prompte ad nos accedit qui vocatus libenter et celeriter venit.

10. *Deinde, ex lege utrum st. f. n. s. utrum habeat a. m. et s.* Sch. dat « deinde, utra ex lege statim f. n. s. utra habeat al. m. e. s. » Sic, inquit, fidenter emendavi vulgatam lectionem. Quod rescripsi primum contextu orationis firmatur, quippe quo non quæritur, utrum aliquid ex lege fiat, sed quoniam de duabus legibus inter se contendendis agitur, utra ex lege potius aliquid fiat. Deinde accedit Victorini interpretatio, quæ perspicue prodit, eum sic legisse, ut edidimus. Ille autem his utitur ad h. l. explicandum verbis: « Deinde considerandum ex qua lege statim fieri aliquid, aut non fieri necesse sit, et ex qua sit aliqua tarditas ». Sch.

11. *Quod apertius scriptum sit.* Sic MSS omnes et apud Oudendorp. et nostri. Itaque recepimus pro *descriptum.* Ern.

sententiam quoque adjungere, contrariam legem item ad aliam sententiam traducere, ut, si fieri poterit, ne discrepare quidem videantur inter se : postremo facere, si causa dabit facultatem[12], ut nostra ratione utraque lex conservari videatur; adversariorum[13] ratione, altera sit necessario negligenda. Locos autem communes, et quos ipsa causa det, videre oportebit, et ex utilitatis et honestatis amplissimis partibus sumere, demonstrantem per amplificationem, ad utram potius legem accedere oporteat.

L. (I.) Ex ratiocinatione[1] nascitur controversia, quum ex eo, quod uspiam est, ad id, quod nusquam scriptum est, pervenitur[2], hoc pacto : Lex est : SI FURIOSUS ESCIT[3], AGNATORUM[4] GENTILIUMQUE IN EO PECUNIAQUE EJUS POTESTAS ESTO. Et lex : PATERFAMILIAS UTI SUPER FAMILIA PECUNIAQUE SUA LEGASSIT[5], ITA JUS ESTO. Et lex : SI PATERFAMILIAS INTESTATO MORITUR, FAMILIA PECUNIAQUE EJUS AGNATORUM GENTILIUMQUE ESTO. « Quidam judicatus est parentem occidisse. Ei statim, quod effugiendi potestas non fuit, ligneæ soleæ in pedes inductæ sunt[6]; os autem obvolutum est folliculo et præligatum; deinde est in carcerem deductus, ut ibi esset tantisper, dum culeus, in quem conjectus[7] in profluentem deferretur, compararetur. In-

12. *Dabit facultatem*. Sch. « facultatem dabit ».

13. *Advers. rat.* Delevi copulam *et*, quæ bene abest a MSS nostris et aliis; non enim hæc copulanda, sed disjungenda. Ean.

L. 1. *Ex ratiocinatione*. Quæ supra fuit argumentationis pars, I, 34.

2. *Pervenitur*. MSS plures *venitur*, rectius, ut arbitror. Ean.

3. *Escit*. Lallem. Sch. Ernesti *est*. Vid. Her. 13.

4. *Agnatorum*. Lallem. *agnatum*. Item infra.

5. *Legassit*. Schütz. Ernesti dant *legaverit*.

6. *Inductæ sunt*. MSS Cass. Gu. 1 *inditæ*; quod verum puto : nec hæc lectio est ab librariorum ingenio. Gu. 2, *indutæ sunt*. Sic Tacitus, Annal. lib. XI, cap. 32 : « vincla indita sunt ». Ean.

7. *In quem conjectus in profluentem*. Pal. pr. ita fere hæc concepit,

terea quidam ejus familiares in carcerem tabulas afferunt, et testes adducunt; heredes, quos ipse jubet, scribunt; tabulæ obsignantur. De illo post supplicium sumitur. Inter eos, qui heredes in tabulis scripti sunt, et inter agnatos, de hereditate controversia est». Hic certa lex; quæ testamenti faciendi iis, qui in eo loco sint, adimat potestatem, nulla profertur. Ex ceteris legibus, et quæ hunc ipsum supplicio hujusmodi afficiunt, et quæ ad testamenti faciendi potestatem pertinent, per ratiocinationem veniendum est ad ejusmodi rationem, ut quæratur, habueritne testamenti faciendi potestatem.

Locos[8] autem communes hoc in genere argumentandi, hos, et hujusmodi quosdam esse arbitramur: primum, ejus scripti, quod proferas, laudationem et confirmationem; deinde ejus rei, qua de quæratur, cum eo, de quo constat, collationem ejusmodi, ut id, de quo quæritur, rei, de qua constet, simile esse videatur; postea admirationem [per contentionem[9]], qui fieri possit, ut, qui hoc æquum esse concedat, illud neget, quod aut æquius, aut eodem sit in ge-

ut legi possit *conlectus*, quod ferri queat. Grut.

8. *Locos a. communes. Communes* abest a MS Leid. 2, et edd. pr. Fortasse bene. Nam hi non sunt proprie loci communes, sed loci argumentorum, qui tamen et ipsi sic appellari possunt. Ern.

9. *Postea admirationem [per contentionem]*. Sic edidi pro *percontatione* e MSS Gu. 1, 2, et Gruter. item duobus apud Oudendorp. Ern. — Lambinus dederat « cum percontatione ». Schütz. delet omnino hæc verba. Lectio, inquit, « per contentionem » ab Ernestio recepta, haud satis aptam habet explicationem; deinde valde molestum est auribus: « admirationem per contentionem ». Equidem opinor scholiasten quemdam *percontatione* adjecisse, ut significaret, oratorem admirabundum quasi percontari adversarium, qui fieri possit, etc. Deinde ex *percontatione* alii fecerunt *per contentionem*. Sch. — « Per contentionem » est « utramque rem comparando ». Quod aptissimum est; auribus fortasse durum; sed vix mihi persuaserim falsum esse, etsi uncis includendo hic quoque, ut in ceteris omnibus doctissimum virum J. V. L. sequutus sum.

nere; deinde idcirco hac de re[10] nihil esse scriptum, quod, quum de illa esset scriptum, de hac re is, qui scribebat, neminem dubitaturum arbitratus sit; postea multis in legibus multa esse prætrita, quæ idcirco præterita nemo arbitretur, quod ex ceteris, de quibus scriptum sit, intelligi possint : deinde æquitas rei demonstranda est, ut in juridiciali[11] absoluta.

Contra autem qui dicet, similitudinem infirmare debebit : quod faciet, si demonstrabit, illud, quod conferatur, ab eo, cui conferatur, diversum esse genere, natura, vi, magnitudine, tempore, loco, persona, opinione; si, quo in numero illud, quod per similitudinem affertur, et quo in loco illud, cujus causa affertur, haberi conveniat, ostendetur; deinde, quid res cum re differat, demonstrabitur, ut non idem videatur de utraque existimari oportere. Ac, si ipse quoque poterit ratiocinationibus uti, iisdem[12] ratiocinationibus, quibus ante dictum est, utetur : si non poterit, negabit oportere quidquam, nisi quod scriptum sit, considerare; periclitari[13] omnia jura, si similitudines accipiantur; nihil esse pæne, quod non

10. *Hac de re.* Lallem. *de hac re;* et paullo infra cum Schütz. delet *re*, quod abest ab Oudend. codd. omnibus, ut sit « de hac re nihil esse scriptum... de hac is qui, etc. »

11. *Juridiciali.* MSS Cass. Gu. 1, et unus apud Oud. *negotiali*, male. Nam juridicialis genera duo sunt, quorum alterum absolutum est, non negotialis. Ern. — Vide cap. 23.

12. *Iisdem rationibus.* Schützius omittit vocem *rationibus* cum codd. Voss. c. schol. Leid. 1, ed. Omnib. ut insuaviter repetitam.

13. *Periclitari..... videatur.* Hæc non sunt in MSS Cass. et schol. MS Voss. In Gu. 1 sunt in margine, item in Gu. 2, alia scholiastæ manu adscripta. Et sane, si ista sunt genuina, idem bis dicitur : nam, « nihil esse pæne, quod non alteri simile videatur », nihil differunt ab sequentibus : « omnia posse inter se vel similia, vel dissimilia demonstrari ». Monendi lectoris causa uncis ea inclusi. Sed totus locus laborat, et varie in MSS et edd. legitur. Alii habent « multis de similibus », alii « multas de similibus », quod placet Oud. item quidam *tamen* pro *tantum*, quod mihi placet, nempe si vulgata servatur saltem constructio, ut sensus sit, Quum multæ

alteri simile esse videatur; multis dissimilibus[14] rebus, in unamquamque rem tamen[15] singulas esse leges; omnia posse inter se vel similia vel dissimilia demonstrari. Loci communes[16] a ratiocinatione, oportere conjectura ex eo, quod scriptum sit, ad id, quod non scriptum sit, pervenire; et neminem posse omnes res per scripturam amplecti, sed eum commodissime scribere, qui curet, ut quædam ex quibusdam intelligantur: contra ratiocinationem, hujuscemodi, conjecturam divinationem esse, et stulti scriptoris esse, non posse omnibus de rebus cavere, quibus velit.

LI. (LI.) Definitio[1] est, quum in scripto verbum aliquod est positum, cujus de vi quæritur, hoc modo: Lex, QUI IN ADVERSA TEMPESTATE NAVIM RELIQUERINT, OMNIA AMITTUNTO; EORUM NAVIS ET ONERA SUNTO, QUI IN NAVI REMANSERINT. « Duo quidam, quum jam in alto navigarent, et quum eorum[2] alterius navis, alterius onus esset, naufragum quemdam natantem, et manus ad se tendentem animadverterunt; misericordia commoti, navim ad eum applicaverunt[3]; hominem

res sint, etc. Nam hic quoque aliquid deesse videtur, forte « et similibus », sicut in extremo *diss.* et *similia* junguntur. Sed vix est tanti, in his multum laborare. ERN. — Schütz. delevit solummodo, « nihil esse pæne... videatur », cetera quæ Ernesti suspecta habuit, genuina Ciceronis esse arbitratus.

14. *Multis diss. rebus.* Schütz. dat « multas de similibus rebus » cum codd. Voss. 1, Leid. 1, 3, Oudend. probante.

15. *Tamen*, pro vulgato *tantum*, recepi ex cod. Voss. c. schol. a m. pr. Voss. 1, ed. Omnib.

16. *Loci communes a ratiocinatione.* Mirum est Oudend. dubitasse, an hæc sint a Cicerone. Necessaria autem sunt, quia iis respondent verba quæ infra sequuntur: « contra ratiocinationem ». SCH.

LI. 1. *Definitio.* Hoc est, quartus modus controversiæ in scripto, quæ ex definitione nascitur. Conf. c. 40, init. SCH.—Resp. I, 13, 8; Herenn. I, 12, II, 12; et de exemplo ipso Herenn. I, 11; ubi refert ad scriptum et sententiam. WETZ.

2. *Et quum eorum.* Addidi *quum* e MSS, quod h. l. est prope necessarium, quia aliter hic, aliter ante dicitur: atque etiam hæc repetitio est Ciceroni usitatissima. ERN.

3. *Applicaverunt.* Schütz. dat cum cod. Voss. c. schol. auctore Oudend.

ad se sustulerunt. Postea [4] aliquanto, ipsos quoque tempestas vehementius jactare cœpit, usque adeo, ut dominus navis, quum idem gubernator esset, in scapham confugeret, et inde funiculo, qui a puppi religatus scapham annexam trahebat, navim [5], quoad posset, moderaretur; ille autem [6], cujus merces erant, in gladium ibidem incumberet. Hic ille naufragus ad gubernaculum accessit, et navi, quoad potuit, est opitulatus. Sedatis autem fluctibus, et tempestate jam commutata, navis in portum pervehitur [7]. Ille autem, qui in gladium incubuerat, leviter saucius, facile est

applicarunt, ut tollatur ingratus repetitarum syllabarum *erunt* sonus.

4. *Postea aliquanto.* Schützius dat « Postea aliquando ».

5. *Navim ... moderaretur.* MSS plures et edd. pr. habent *navi*, quod stare cum verbo potest, et fortasse in *navim* mutatum est a librariis: nisi e sequentibus huc venit, in quibus est: *navi opitulatus est.* Ern. — *Navi* habent codd. Gronov. Voss. c. schol. Voss. 1, 2, Leid. 3, ed. Omnib. Sch.

6. *Ille autem ... ibidem incumberet.* Vulgo edebatur: « in gladium in navi ibidem incumberet ». Sed *in navi* abest a cod. Voss. c. schol. MS Leid. et est manifestum τοῦ *ibidem*, idem tamen verum quoque interpretamentum. Nam *ibidem* non ad *scapham*, sed ad *navim* referendum est. In ipsa navi dominus mercium super mercibus suis in gladium incubuit; cur enim, si eum vitæ tæderet, in scapham antea confugeret? Falsus igitur erat Ernesti, quum putaret, necessarium esse sic intelligere, quasi hic quoque in scapham confugerit, quia aliter in actione legis non potuerit navim reliquisse dici; quasi is, qui se occiderit in navi, non recte dicatur navim reliquisse. Nec provocare debebat Ernesti ad locum similem ad Herenn. I, 11: nam ibi ægrotus unus manet in navi, nec mentio fit alicujus, qui in gladium incubuerit. Sch.

7. *In portum pervehitur.* Sic pro vulgo *provehitur*, legendum e MSS quinque, ut Cic. ad Att. XIV, 19: « in portum mallem pervehi ». *Pervehi* dicitur de iis, qui destinatum ad locum veniunt; *provehi*, qui longius aliquo progrediuntur. Adi comm. ad Liv. XXXI, 23: « tranquillo pervectus Chalcidem »; ad Cæs. Bell. Civ. II, 3: « freto Siciliæ pervehitur ». Restituendum etiam e MSS, in quibus Vossianus, apud (Pseudo-) Cic. ad Quirites p. R. « parva navicula pervectus in Asiam », vulg. *trajectus*. Plin. II, 97: « tertio die ex Italia pervectorum Uticam ». Sic MSS optimi Leidd. non *provectorum*. Sil. Ital. VIII, 126, « pervecta ad litora », ubi male Heins. *prævecta*. Lib. V, 204: « Delon pervectus Apollo »: adde lib. XVI, 519. Solin. pag. 23 ed. Salm. « equitantem Puteolos usque perveheret ». Sic MSS tres cum Ald. vulgo *veheret*. Restituenda etiam sæpius est Apuleio, ut Met. I, pag. 16, 17, IX, pag. 180:

ex vulnere recreatus. Navim cum onere horum trium suam quisque esse dicit». Hic omnes scripto ad causam accedunt, et ex nominis vi nascitur controversia. Nam et relinquere navem, et remanere in navi, denique navis ipsa quid sit, definitionibus quæritur. Iisdem autem ex locis omnibus, quibus definitiva constitutio, tractabitur.

(LII.) Nunc, expositis iis argumentationibus, quæ in judiciale causarum genus accommodantur, deinceps in deliberativum genus et demonstrativum argumentandi locos et præcepta dabimus, non quo non in aliqua constitutione omnis semper causa versetur; sed quia proprii tamen [8] harum causarum quidam loci sunt, non a constitutione separati, sed ad fines horum generum accommodati.

Nam placet, in judiciali genere finem esse æquitatem, hoc est, partem quamdam honestatis. In deliberativo autem Aristoteli placet utilitatem, nobis et honestatem, et utilitatem. In demonstrativo [9], honestatem. Quare in hoc quoque genere causæ quædam argumentationes communiter ac similiter tractabuntur; quædam separatius ad finem, quo referri omnem [10] orationem oportet, adjungentur. Atque uniuscujusque constitutionis exemplum supponere non gravaremur, nisi illud videremus, quemadmodum res obscuræ dicendo fierent apertiores, sic res apertas, obs-

« domum celeri gradu pervectus ». Sic enim MSS quinque : vulgo *provectus*. Oud.

8. *Quia proprii tamen harum*. Sic edd. pr. MSS fere : at vulgati inde ab Aldo *tantum*. Cass. *tantarum*, quod e *tamen harum* natum videtur. *Tn* et *tm* in libris facile permutantur. Et hoc intelligi potest. Vulgatum non. Ern.

9. *In demonstrativo*. *Autem* post « in demonstrativo », auctoribus MSS nostris omnibus, et aliis, et edd. pr. delevi. Ern.

10. *Omnem orationem*. Sic pro *rationem* iisdem libris auctoribus dedi, quod et sine libris fieri poterat. Aldus induxit. Ern. — Ernestii notis hoc in capite Schütz. omnibus assentitur.

curiores fieri oratione. Nunc ad deliberationis præcepta pergamus.

LII. (LIII.) Rerum expetendarum tria genera[1] sunt; par autem numerus vitandarum ex contraria parte. Nam est quiddam, quod sua vi nos allicit[2] ad sese, non emolumento captans aliquo, sed trahens sua dignitate: quod genus virtus, scientia, veritas est. Aliud autem non propter suam vim et naturam, sed propter fructum, atque utilitatem, petendum[3]: quod genus pecunia[4] est. Est porro quiddam ex horum partibus junctum, quod et sua vi, et dignitate nos illectos[5] ducit, et præ se quamdam gerit utilitatem, quo magis expetatur, ut amicitia, bona existimatio. Atque ex his horum contraria facile, tacentibus nobis, intelligentur. Sed ut expeditius ratio tradatur, ea, quæ posuimus, brevi nominabuntur. Nam in primo genere quæ sunt, honesta appellabuntur. Quæ autem in secundo, utilia. Hæc autem tertia, quia partem honestatis continent, et quia major est vis honestatis, juncta esse omnino ex duplici genere intelligentur; sed in meliorem partem vocabuli conferantur, et honesta nominentur[6]. Ex his illud conficitur, ut appetendarum rerum partes

LII. 1. *Tria genera sunt.* Herenn. III, 2; Quintilian. III, 6; Aristotel. Rhet. I, 6.

2. *Allicit.* Indicativum conjunctivo *alliciat* recte prætulit Ernesti. In eadem consecutione paullo post quoque indicativus ponitur. SCH.

3. *Petendum.* Schütz. dat *expetendum* cum Lambino.

4. *Quod genus pecunia est.* In quibusdam codd. omittitur *genus*, quam omissionem minime debebat Oudend. probare: «quod genus», ut sæpe, est «in quo, ex quo genere». SCH.

5. *Illectos ducit.* Sic cod. Leid. 3, vere et eleganter. Vulgo inepte: «Inductos ducit». SCH. — Wetzelius vulgatam male tuetur. Scilicet, inquit, nos *induxit* ante, nunc *ducit.*

6. *Hæc autem tertia ... nominentur.* Schützius lectionem Lambini revocavit: «Hæc autem tertia, quia partes honestatis et utilitatis continent, omnino juncta esse ex duplici genere intelligentur; sed quia major vis est honestatis, in meliorem partem vocabuli conferantur, et honesta nominentur». In vulgata, inquit, verba «quia major vis est honestatis» male transposita esse, facile perspicitur. Nam

sint, honestas et utilitas; vitandarum, turpitudo et inutilitas. His igitur duabus rebus duæ res grandes sunt attributæ, necessitudo et affectio[7]: quarum altera ex vi, altera ex re et personis consideratur. De utraque post apertius perscribemus[8]. Nunc honestatis rationes primum explicemus.

LIII. (LIV.) Quod aut totum, aut aliqua ex parte propter se petitur, honestum nominabimus[1]. Quare quum ejus duæ partes sint, quarum altera simplex, altera juncta sit, simplicem prius consideremus. Est igitur in eo genere omnes res una vi atque uno nomine amplexa virtus. Nam virtus est animi habitus naturæ modo, rationi consentaneus[2]. Quamobrem omnibus ejus partibus cognitis, tota vis erit simplicis honestatis considerata. Habet igitur partes[3] quatuor: prudentiam, justitiam, fortitudinem, temperantiam. Prudentia est rerum bonarum, et malarum, neutrarumque[4] scientia. Partes ejus, memoria, intelligentia, providentia. Memoria est, per quam animus repetit illa, quæ fuerunt. Intelligentia est, per quam ea perspicit, quæ sunt. Providentia est, per quam futurum

inde, quod major vis est honestatis, non potest colligi, utilia honestis juncta e duplici esse genere. Pro *junctæ res* ipse reposui *juncta esse*, quod ad *hæc tertia* refertur. SCH.

7. *Affectio*, sc. animi. Resp. I, 55; II, 9.

8. *De utraque post apertius perscribemus*. Cap. 57, 58.

LIII. 1. *Nominabimus*. Purgoldus conjecit *nominabamus*. Sed nihil mutandum. SCH.

2. *Virtus...modo, rationi consentaneus. Modo* h. e. « ex modo, secundum modum ». Vel si mavis, cum J. F. Heusingero (vid. ad Offic. III, 3) ante *rationi* ex MS Guelf. inserere « atque est : animi habitus consentaneus naturæ modo atque rationi », ut sit modus quod Horatio (Serm. I, 1, 106), « certi fines ». WETZ. — Et quidem sic vel sine additamento copulativæ *atque*, interpungi et intelligi potest.

3. *Habet igitur p. quatuor*. Vide de Offic. I, 5.

4. *Neutrarumque*. Sic edidi cum Lambino, pro vulgato « et utrarumque », quod nihili est. « Res neutræ » sunt res mediæ, quæ nec bonæ, nec malæ dicuntur per se. Nihil vulgatius in philosophia græca. ERN. — Cui

aliquid videtur[5] ante quam factum sit. Justitia[6] est habitus animi, communi utilitate conservata, suam cuique tribuens dignitatem. Ejus initium est ab natura profectum; deinde quædam in consuetudinem ex utilitatis ratione venerunt; postea res et ab natura profectas, et ab consuetudine probatas, legum metus et religio sanxit.

Natura jus[7] est, quod non opinio genuit, sed quædam innata vis inseruit[8], ut religionem, pietatem, gratiam, vindicationem, observantiam, veritatem. Religio est, quæ superioris cujusdam naturæ, quam divinam vocant, curam cærimoniamque affert: pietas, per quam sanguine conjunctis[9], patriæque benivolis officium et diligens tribuitur cultus: gratia, in qua amicitiarum et officiorum alterius memoria, et remunerandi[10] voluntas continetur: vindicatio[11], per quam vis et injuria, et omnino omne, quod obfuturum est, defendendo, aut ulciscendo propulsatur: observantia, per quam homines aliqua dignitate antecedentes cultu quodam et honore dignantur; veritas, per quam im-

Schütz. assentitur, dicitque non opus esse conjectura Oudendorpii *vitandarumque*. — De prudentia vide Her. III, 2; Offic. I, 43, III, 17; Nat. Deor. III, 15; de Fin. V, 6.

5. *Aliquid videtur*. Schützius dat « aliquid videt », scil. animus, quia analogia antecedentium membrorum « repetit.....perspicit » activum hic quoque postulat.

6. *Justitia*. De qua vide Her. III, 2; Offic. I, 5, 7; Nat. Deor. III, 15; de Fin. V, 23; Aristot. Rhet. I, 9.

7. *Natura jus est*. Pall. omnes, item primitus cusi *Naturæ*; sed reciperem, nisi sequeretur mox « consuetudine jus est ». Grut. — De re resp. cap. 22.

8. *Sed quædam innata vis inseruit, ut religionem*, etc. Schützius dat cum Lambino *insevit*, ut aptius et elegantius.

9. *Sanguine c. patriæque benivolis*. Hæc mutavit Lambinus, sed nullo præeunte MS. Itaque licet nihilo sint istis pejora, minime tamen recipienda duximus. Grut. — Cui nemo, quod sciam, contra dixit, tamen vulgata minime placet. Ut fere proponere ausim: « benivolentiæ officium et diligens tribuitur cultus ».

10. *Et remunerandi*. Delevi hic alterum *alterius*, quod in Cass. manus prima delevit. Ern.

11. *Vindicatio*. Hic e MSS delevi ter *est*. Ern.

mutata[12] ea, quæ sunt, aut[13] ante fuerunt, aut futura sunt, dicuntur.

LIV. Consuetudine jus est, quod aut leviter a natura tractum aluit et majus fecit usus, ut religionem; aut si quid eorum[1], quæ ante diximus, ab natura profectum, majus factum propter consuetudinem videmus; aut quod in morem vetustas vulgi approbatione perduxit: quod genus, pactum, par, judicatum. Pactum est, quod inter aliquos convenit: par, quod in omnes æquabile[2] est: judicatum, de quo alicujus, aut aliquorum jam sententiis constitutum est. Lege jus est, quod in eo scripto, quod populo expositum est, ut observet, continetur.

Fortitudo[3] est considerata periculorum susceptio, et laborum perpessio. Ejus partes, magnificentia, fidentia, patientia, perseverantia. Magnificentia[4] est rerum magnarum, et excelsarum cum animi ampla quadam et splendida propositione agitatio atque administratio: fidentia est, per quam magnis et honestis in rebus multum ipse animus in se fiduciæ certa cum spe collocavit: patientia est[5], honestatis aut utilitatis causa, rerum arduarum ac difficilium voluntaria ac diuturna perpessio: perseverantia est in ratione bene considerata stabilis et perpetua permansio.

Temperantia est[6] rationis in libidinem, atque in

12. *Immutata.* Id est, non mutata, ut Terent. Andr. I, 5, 7. Wetz.

13. *Aut ante fuerunt.* Schütz. delet *ante*, auct. cod. Leid. 1, a m. pr.

LIV. 1. *Aut si quid eorum... videmus.* De qua phrasi Schützius ait: Turpissimum interpolatoris pannum hic assutum rescidimus, in quo, nihil aliud inest, nisi futilis sententiæ, « quod aut... fecit usus » repetitio. — De re autem resp. cap. 22, ibid. est de « Pacto, pari, judicato, lege ».

2. *Par, quod in omnes æquabile.* Sic posui præeunte Pal. sec. et Grev. Vulgata, « inter omnes ». Gaut.

3. *Fortitudo.* Herenn. III, 2; Tusc. V, 14; de Offic. I, 5, 19; de Finib. V, 23; Arist. Rhet. I, 9.

4. *Magnificentia est.* Vide Aristot. Rhet. I, 9; Quint. IV, 2.

5. *Patientia est.* Cf. Partt. 22.

6. *Temperantia est.* Vide de Fin. II,

alios non rectos impetus animi, firma et moderata dominatio. Ejus partes sunt, continentia, clementia, modestia. Continentia est, per quam cupiditas, consilii[7] gubernatione regitur : clementia, per quam animi, temere[8] in odium alicujus concitati, invectio comitate retinetur : modestia[9], per quam pudor honestus caram[10] et stabilem comparat auctoritatem. Atque hæc omnia propter se solum, ut nihil adjungatur emolumenti, petenda sunt. Quod ut demonstretur, neque ad hoc nostrum institutum pertinet, et a brevitate præcipiendi remotum est.

Propter se autem vitanda sunt, non ea modo, quæ his contraria sunt, ut fortitudini ignavia, et justitiæ injustitia ; verum etiam illa, quæ propinqua videntur et finitima esse, absunt autem longissime : quod genus, fidentiæ contrarium est diffidentia, et ea re vitium est; audacia non contrarium, sed appositum est, ac propinquum, et tamen vitium est. Sic unicuique virtuti finitimum vitium reperietur, aut certo jam nomine appellatum; ut audacia, quæ fidentiæ; pertinacia, quæ perseverantiæ finitima est; superstitio, quæ religioni propinqua est : aut sine ullo certo nomine. Quæ omnia

19; de Offic. I, 5 ; Tusc. III, 8, ubi tum *temperantiam*, tum *moderationem*, nonnumquam etiam *modestiam* dicit appellari solitam a se σωφροσύνην. Vide de Offic. I, 2, 27; Herenn. III, 2. WETZ.

7. *Consilii gub. regitur*. Pal. pr. initio habet *generatione*, unde fit ut non abhorream a scriptura Grevenb. « consilii ratione regitur ». GRUT.

8. *Animi, temere...comitate retinetur*. Sic arbitror locum esse corrigendum, ex vulgato « invectionis concitati ». Vestigia hujus lectionis fuerunt in Palat. 2, qui habuit « invectio concitata », ut Gu. 2 inter versus. Si quis malit *animi* et *retinentur* conjungere, legat « invecti et concitati ». ERN. — Schutzius emendationem Ernestii sequutus est. Lambinus olim conjecerat : « alicujus inferioris ».

9. *Modestia*. De qua ad Herenn. III, 3.

10. *Caram et stabilem*. *Caram* pro *claram* dedi e MSS nostris omnibus et aliis multis. « Clara auctoritas » non est a modestia : at auctoritas, quæ sit juncta caritate, et firma propter caritatem. ERNEST. — Cui Schützius assentitur.

item, uti contraria rerum bonarum, in rebus vitandis reponemus[11]. Ac de eo quidem genere honestatis, quod omni ex parte propter se petitur, satis dictum est.

LV. (LV.) Nunc de eo, in quo utilitas quoque adjungitur, quod tamen honestum vocamus, dicendum videtur. Sunt igitur multa, quæ nos quum dignitate, tum fructu quoque suo ducunt[1] : quo in genere est gloria, dignitas, amplitudo, amicitia. Gloria est frequens de aliquo fama cum laude : dignitas, alicujus honesta, et cultu, et honore, et verecundia digna auctoritas : amplitudo, potentiæ, aut majestatis, aut aliquarum copiarum magna abundantia : amicitia, voluntas erga aliquem rerum bonarum, illius ipsius causa, quem diligit, cum ejus pari voluntate. Hic, quia de civilibus causis loquimur, fructus ad amicitiam adjungimus, ut eorum quoque causa petenda videatur : ne forte, qui nos de omni amicitia dicere existiment[2], reprehendere incipiant. Quamquam sunt, qui propter utilitatem modo petendam putent amicitiam; sunt, qui propter se solum; sunt, qui propter se, et utilitatem. Quorum quid verissime constituatur, alius locus erit considerandi. Nunc hoc sic ad usum oratorium relinquatur, utramque propter rem amicitiam esse expetendam. Amicitiarum autem ratio, quoniam partim sunt religionibus junctæ, partim non sunt, et quia partim veteres sunt, partim novæ, partim ab illorum[3], partim ab nostro beneficio profectæ,

11. *In rebus vitandis reponemus.* De re conf. Herennium, III, 3, et Partt. 23.

LV. 1. *Ducunt.* Deleto « ad se », quod tum ab aliis, tum nostris Cass. Gu. 2, et edd. pr. abest. Nempe hic *ducere* est delectare : ceterum « ducere ad se » phrasis est bene latina, apud Ciceronem, Offic. I; sed alio sensu. Ern. — « Gloria duci » pro Arch. « voluptatibus » pro Sext. 66.

2. *Existiment.* Hoc verum est, non *existimant*, ut quisque audire potest, qui aures latinas habet. Item mox : « sunt, qui putent », ut habet MS Cass. non *putant* : de quo alibi admonitum est. Ern.

3. *Partim ab illorum.* Int. qui nobis

partim utiliores, partim minus utiles, ex causarum dignitatibus, ex temporum opportunitatibus, ex officiis, ex religionibus, ex vetustatibus habebitur.

LVI. (LVI.) Utilitas autem aut in corpore posita est, aut in extraneis rebus: quarum tamen rerum multo maxima pars ad corporis commodum revertitur, ut in republica quædam sunt, quæ, ut sic dicam, ad corpus pertinent civitatis, ut agri, portus, pecunia, classes, nautæ, milites, socii; quibus rebus incolumitatem ac libertatem retinent civitates: alia vero, quæ jam quiddam magis amplum, et minus necessarium conficiunt, ut urbis egregia exornatio atque amplitudo, ut quædam excellens pecuniæ magnitudo, amicitiarum ac societatum multitudo. Quibus rebus non illud solum conficitur, ut salvæ et incolumes, verum etiam, ut amplæ atque potentes sint civitates. Quare utilitatis duæ partes videntur esse, incolumitas et potentia. Incolumitas est salutis tuta[1] atque integra conservatio. Potentia est ad sua conservanda, et alterius obtinenda, idonearum rerum facultas. Atque in iis omnibus, quæ ante dicta sunt, quid difficulter fieri[2], et quid facile fieri possit, oportet considerare. Facile fieri id dicimus, quod sine magno, aut sine ullo labore, sumptu, molestia, quam brevissimo tempore confici potest. Difficile autem fieri, quod quamquam laboris, sumptus, molestiæ, longinquitatis

amici sunt, quibuscum amicitia est: nisi malis *aliorum*; quod foret simplicius et lenius: sed nobis videtur *illorum* rectum et verum esse, ad eamque partem referri, quæ post « ex officiis », nempe vel nostris vel amicorum nostrorum. Ern. — Schützius notis Ernestii in hoc capite assentitur omnino.

LVI. 1. *Tuta atque integra*. Scholion MS habet *rata*, quod defendit Oudendorpius: audirem fortasse si esset *sarta*. Sed vulgatum verum est. Exprimie simplicius: incolumitas est, quum salus est integra et tuta: nihil hic obscurum esse aut videri potest. Ernest.

2. *Fieri*. . . *fieri*. Alterutrum abest a

indiget, atque aut omnes, aut plurimas, aut maximas causas habet difficultatis, tamen, his susceptis difficultatibus, compleri atque ad exitum perduci potest.

(LVII.) Quoniam ergo de honestate et de utilitate diximus, nunc restat ut de iis rebus, quas his attributas esse dicebamus, necessitudine et affectione, perscribamus.

LVII. Puto igitur esse hanc necessitudinem, cui nulla vi resisti potest; quæ neque mutari, neque leniri potest. Atque, ut apertius hoc sit, exemplis licet vim rei, qualis et quanta sit, cognoscamus. « Uri posse flamma ligneam materiam necesse est. Corpus mortale aliquo tempore interire necesse est »; atque ita necesse, ut vis postulat ea, quam modo describebamus, necessitudinis, cui nulla vi resisti potest, quæ neque mutari, neque leniri potest. Hujusmodi[1] [necessitudines] quum in dicendi rationes incident, recte necessitudines appellabuntur : sin aliquæ res incident difficiles, in illa superiori, possitne fieri, quæstione considerabimus. Atque etiam hoc mihi videor videre, esse quasdam cum adjunctione necessitudines, quasdam simplices et absolutas. Nam aliter dicere solemus, « Necesse est Casilinenses se dedere Hannibali »; aliter autem, « Necesse est Casilinum[2] venire in Hannibalis potestatem ». Illic, in superiore, adjunctio est

MSS quibusdam, et libenter posterius delerem, nisi et alia exempla talis repetitionis essent in tenuitate definiendi et partiendi. Ern.

LVII. 1. *Hujusmodi necessitudines.* Verbum *necessitudines* hic stare nullo modo posse in promptu est : et nemo hoc ulcus attigit. Credo scribendum esse *res*, quod est post in altero genere : « sin aliquæ res diff. incident ». Ern. — Schützius se delevisse verbum *necess.* et *dicendo* pro *dicendi* scripsisse, ex emendatione Purgoldi declarat.

2. *Casilinum.* Alludit ad historiam : nam Casilinum oppidum Campaniæ, quum ab Hannibale obsideretur, milites eo inopiæ pervenerunt, ut mures et lora, detractasque scutis pelles, ubi fervida mollissent aqua, mandere conarentur. Confer Livium, lib. III. Nascimb.

hæc, nisi si malunt[3] fame perire; si enim id malunt, non[4] necesse : hoc inferius[5] non item, propterea quod, sive velint Casilinenses se dedere, sive famem perpeti atque ita perire, necesse est Casilinum venire in Hannibalis potestatem. Quid igitur perficere potest hæc necessitudinis distributio? Prope dicam, plurimum, quum is locus necessitudinis videbitur incurrere. Nam quum simplex erit necessitudo, nihil erit, quod multa dicamus, quum eam nulla ratione lenire possimus : quum autem ita necesse erit, ut aliquid effugere, aut adipisci velimus, tum adjunctio illa quid habeat utilitatis, aut quid honestatis, erit considerandum. Nam si velis attendere (ita tamen, ut id quæras, quod conveniat ad usum civitatis), reperias nullam esse rem, quam facere necesse sit[6], nisi propter aliquam causam, quam adjunctionem nominamus; pariter autem esse multas res necessitudinis[7], ad quas similis adjunctio non accedit. Quod genus, « Ut homines[8] mortales intereant, necesse est », sine adjunctione; « Ut cibo utantur, non necesse est », nisi cum

3. *Nisi si malunt.* Sic MSS plures, etiam nostri et edd. pr. Vulg. « nisi malint ». Ern.

4. *Non necesse.* Schütz. Lallem. « non est necesse ».

5. *Hoc inferius.* Schützius dat « in hoc inferiore » ex Lambini emendatione.

6. *Reperias...necesse sit.* Schütz. sic emendat : « reperias nonnullam esse rem, quam facere necesse non sit ». Cicero, inquit, antea dixerat : « esse quasdam cum adjunctione necessitudines » (nostri philosophi appellant *hypotheticas*); id nunc sic effert : esse nonnullam rem, quam facere non necesse sit, nisi propter adjunctionem aliquam. Sch.

7. *Pariter...res necessitudinis.* Ita Manutiana nupera, neque aliter Pal. sec. alii enim voce immissa « invenias esse multas »; non necessario : repetitur quippe superius *reperias.* Prima editio præfert : « præter hæc autem invenies esse multas », quam sequuti sunt Victorius et Lambinus. Grut. — *Necessitudinis*, pro quo alii libri *necessitatis*, glossam Oudend. judicat : quod mihi non videtur; non enim de toto genere rerum sermo est, sed de rebus necessariis. Ern. — Schützius dat « præter hæc autem multas esse necess. » ex codd. Voss. 1, 2, Leid. 1, ed. Omnib. qui habent « præter hæc ».

8. *Ut h. mortales intereant, necesse est.* Hanc lectionem, quam præbuere

illa exceptione : Extra quam, si nolint fame perire. Ergo, ut dixi, illud, quod adjungitur, semper, cujusmodi sit, erit considerandum. Nam omni tempore id pertinebit[9], ut aut ad honestatem hoc modo exponenda necessitudo sit : « Necesse est, si honeste volumus vivere »; aut ad incolumitatem, hoc modo : « Necesse est, si incolumes volumus esse » ; aut ad commoditatem, hoc modo : « Necesse est, si sine incommodo volumus vivere ».

LVIII. Ac summa quidem necessitudo videtur esse honestatis; huic proxima, incolumitatis; tertia ac levissima, commoditatis : quæ cum his numquam poterit duabus contendere. Hasce autem inter se sæpe necesse est comparari, ut, quamquam præstet honestas incolumitati, tamen, utri potissimum consulendum sit, deliberetur. Cujus rei certum quoddam prescriptum videtur in perpetuum dari posse. Nam, qua in re fieri poterit, ut, quum incolumitati consuluerimus, quod sit in præsentia de honestate delibatum[1], virtute aliquando et industria recuperetur, incolumitatis ratio videbitur habenda; quum autem id non poterit,

Olivet. Lallem. concinniorem puto altera, quæ est in edd. plerisque : « ut homines mortales necesse est interire », in qua *ut*, præcedente « quod genus », prorsus abundat. Sch.

9. *Id pertinebit..... vivere.* In hoc loco vulgatum contextum sæpius Ernesti correxit. Primo, inquit, omisimus *aut* ante « ad hon. » deinde « hoc faciamus », quod a quibusdam additur post primum « necesse est » ; denique « aut ad incolumitatem hoc modo », post alterum « necesse est.. » aut « ad commoditatem hoc modo », post tertium, auctoribus nostris MSS omnibus, etiam quibusdam apud Oudend. « hoc faciamus » etiam ab edd. pr. abest. Ceterum puto etiam primum « ad honestatem » s. ut Gu. 2, et alii habent « ad honestam partem » delendum. Est enim hoc commune omnibus tribus : et hoc servato, sane etiam cetera videantur servari debere propter similitudinem orationis. Uncis inclusi. Ern. — Schützius Ernestii emendationem non sequutus est, quia omnino lectio volgaris antecedentibus melius respondet, et triplicem illam necessitudinis adjunctionem clarius enuntiat.

LVIII. 1. *Quod sit... delibatum.* Hæc ut in aliis MSS apud Oudend. sunt in Gu. 2, inter lineas. Sed pro

honestatis. Ita in ejusmodi quoque re, quum incolumitati videbimur consulere, vere poterimus dicere, nos honestatis rationem habere, quoniam sine incolumitate eam nullo tempore possumus adipisci. Qua in re vel concedere alteri, vel ad conditionem alterius descendere, vel in[2] præsentia quiescere, atque aliud tempus exspectare oportebit. In commoditatis[3] vero ratione, modo illud attendatur, dignane causa videatur ea, quæ ad utilitatem pertinebit, quare aut de magnificentia, aut de honestate quiddam derogetur. Atque in hoc loco mihi caput illud videtur esse, ut quæramus, quid sit illud, quod si adipisci, aut effugere velimus, aliqua res nobis sit necessaria, hoc est, quæ sit adjunctio, ut proinde, uti quæque res erit, laboremus, et gravissimam quamque causam vehementissime necessariam judicemus.

Affectio[4] est quædam ex tempore[5], aut ex negotiorum eventu aut[6] administratione, aut hominum studio, commutatio rerum, ut non tales, quales ante habitæ sint, aut plerumque haberi soleant, habendæ

delibatum est *diminutum*, verum ita, ut omnes literæ, præter primam, a manu sint scholiastæ, ut et hic *deliberatum* fuisse videatur : non displicet. Vid. cap. 39. Ern. — Antiquitus cusi exhibent *deliberatum*, quod est in tribus Pall. mutavitque Lambinus in *delibratum*, forsan bene. Gaut.

2. *Vel in præsentia*. Sic omnis scripta lectio : primitus cusi, « ut in præs. » deinceps vulgati, « et in præsentia ». Gaut.

3. *In comm. vero ratione*. Quatuor hæ voces non sunt in Pal. secundo. Grev. autem eorum loco habet : « In commoditatis tantummodo illud, etc. » Gaut.

4. *Affectio*. Græce dici posset σχέσις, πάθος, συμβεβηκὸς (accidens), et περίστασις, quam circumstantiam vulgo appellant, idque auctore ipso Quintiliano, p. 268, vol. II, nost. edit. Ed.

5. *Ex tempore*. Schütz. dat « ex temporum » ex cod. Voss. c. schol. Oud. probante.

6. *Aut administratione, aut hominum studio*. Schütz. dat « aut ex administratione hominum, aut studio ». Sensus hoc, inquit, requirere videbatur, non id quod omnes editiones habent, « aut administratione, aut hominum studio ». Nempe *administratione* refertur ad *rerum*, quod proxime sequitur. Sch.

videantur esse : ut, « Ad hostes transire turpe videtur esse; at non illo animo, quo Ulysses transiit : et pecuniam in mare dejicere inutile; at non eo consilio, quo Aristippus[7] dejecit ». Sunt igitur res quædam ex tempore, et ex consilio, non ex sua natura considerandæ : quibus in omnibus, quid tempora petant, aut quid personis dignum sit, considerandum est, et non quid, sed quo quidque animo, quicum, quo tempore, quamdiu fiat, attendendum est. His ex partibus, ad sententiam dicendam, locos sumi oportere arbitramur.

LIX. (LIX.) Laudes autem et vituperationes ex his locis sumentur, qui loci personis sunt attributi, de quibus ante dictum est. Sin distributius tractare quis volet, partiatur in animum, et corpus, et extrarias res licebit. Animi est virtus, cujus de partibus paullo ante dictum est; corporis, valitudo, dignitas, vires, velocitas; extrariæ, honos, pecunia, affinitas, genus, amici, patria, potentia, et cetera, quæ simili[1] esse in

7. *Quo Arist. dejecit.* Vulg. « quo Aristippus fecit ». MSS duo apud Grut. et alii duo Leid. habent *dejecit*, quod Oud. in glossæ loco ponit, ego non : nam elegantius est id verbum et membra similiora reddit. In priori exemplo est « transire... transiit ». Sic hic aptissime : « dejicere... dejecit ». Ego a Cicerone esse non dubito. Sed in MS Gu. 1 sequuntur hæc, « qui thesauros ad hoc de navi in mare projecit, ut suos liberaret », quæ sane scholiasten sapiunt. Ern. — Cui Sch. se assentiri declarat. — *Aristippus.* Bion, apud Laertium in Aristippo, scriptum reliquit, Aristippum, quum aliquando navigasset, didicissetque navem, qua vehebatur, esse piraticam, acceptum aurum numerasse : deinde, quasi imprudenti et invito lapsum e manibus projecisse in mare, ingemuisseque graviter. Sunt qui illum hæc addidisse memorent : « Melius est, ut hæc ab Aristippo, quam Aristippus propter ista pereat ». Nasc.

LIX. 1. *Quæ simili esse in genere intelligentur.* Schützius dat : « quæ simili in genere versantur ». Non est credibile, inquit, Ciceronem eodem verbo duas deinceps periodos finiisse. Deinde verbum *esse* a cod. Pal. 2 abest, in aliis transponitur, ex quo colligitur, id a glossatore inculcatum. Itaque rescripsi : « quæ simili in genere versantur »; ut alibi Cicero de Inv. I, 27 : « molestiam, iracundiam, amorem et cetera, quæ simili in genere versantur ».

genere intelligentur. Atque in his [2], id, quod in omnia valet, valere oportebit : contraria quoque, quæ [3] et qualia sint, intelligentur.

Videre autem in laudando et vituperando [4] oportebit, non tam quæ in corpore, aut in extraneis [5] rebus habuerit is, de quo agetur, quam quo pacto his rebus usus sit. Nam fortunam quidem et laudare, stultitia, et vituperare, superbia est; animi autem et laus honesta, et vituperatio vehemens est.

Nunc quoniam omne in causæ genus argumentandi ratio tradita est, de Inventione, prima ac maxima parte rhetoricæ, satis dictum videtur. Quare, quoniam et una pars ad exitum hunc ab superiore libro perducta est [6], et hic liber non parum continet literarum, quæ restant, in reliquis dicemus.

2. *Atque in his.....intelligentur.* Schütz. dat « Atque in his, id quod in omnia valere oportebit, contraria quoque...intelligentur ». *Valet*, inquit, recte abest a cod. Leid. 2, eoque omisso et commate post id sublato, facile perspicitur, quid ista parenthesi scriptor significaverit, nempe non hic solum, sed in aliis omnibus rebus, altera parte contrariarum rerum exposita, per se, quæ his contraria respondeant, et qualia sint, intelligi.

3. *Quæ et qualia.* Lallem. dat « et quæ et qualia ».

4. *Et vituperando.* Schütz. Ernest. « et in vituperando ».

5. *In extraneis rebus.* Lallem. « in extrariis rebus ».

6. *Ad exitum hunc ab superiore libro perducta est, et hic liber non*, etc. Nescio an hoc loco nimis audax fuerit Lambinus; illud scio, mihi arridere emendationem quam exhibuit in margine editionis suæ : « una pars ad exitum, hoc et superiore libro, perducta est ». Ceterum Gothofredus hic annotavit, videri ex hoc loco posse colligi, Ciceronem plures de Inventione libros scripsisse. Illud quidem non tantum jamdiu inter eruditos constat, plures fuisse perscriptos a Cicerone libros de Inventione, sed etiam eos fuisse quatuor, e quibus duos posteriores nobis longinquitas temporis invidet. Vid. Voss. de Natura Rhet. cap. 13. Verb.—Contra Ernesti censet non necessariam esse Lambini emendationem : nempe verba « inde ab superiore libro » intelligi debere, scil. initio facto in superiore libro, nunc addito altero ad finem perducta est, Ernestioque Clericus assentitur.

M. T. CICERONIS

AD C. TREBATIUM

TOPICA

ARGUMENTUM

E SCHUTZII EDITIONE DESUMPTUM.

Cupienti Trebatio Topica Aristotelea cognoscere, Cicero in hoc libro argumentorum locos exponit, singulosque primum exemplis breviter illustrat, deinde fusius explicat.

Post præfationem igitur, cap. 1, quoniam locorum, in quibus argumenta inclusa sunt, alii in eo ipso, de quo agitur, hærent; alii assumuntur extrinsecus, illi primum breviter enumerantur, cap. 2-4.

Deinde eos Cicero subtilius uberiusque pertractat, et primum eos persequitur, qui ex re tota sumuntur, adhibita vel definitione, cap. 5-7; vel partitione, cap. 8; vel notatione, seu etymologia, cap. 9. Deinde eos, qui sumuntur ex iis rebus, quæ quodammodo affectæ sunt ad id de quo ambigitur, qui sunt: 1° ex conjugatione, cap. 10; 2° ex similitudine, cap. 11; 3° ex differentia et contrariis, cap. 12; 4° ex adjunctis, c. 13; 5° ex consequentibus et antecedentibus et repugnantibus, c. 14; 6° ex causis, c. 15, 16; 7° ex effectis, c. 17; 8° ex comparatione majorum, minorum, parium, cap. 18. Sequitur disputatio de iis argumentorum locis, qui assumuntur extrinsecus ad causam, quæ Cicero generali nomine *testimonia* appellat, cap. 19.

Expositis igitur argumentandi locis Cicero docet, non omnes locos in omnem incidere quæstionem, sed quibusdam quæstionibus alios esse aptiores locos. Quæstionum autem duo sunt genera:

I. Infinitum, s. propositum, quod est

1° Cognitionis, cap. 20; in quo

α. Conjectura an sit, quæritur et quidem: sitne aliquid, unde ortum sit; quæ causa id effecerit; an commutari possit.

β. Quid sit, definitione, ubi explicatur notio, proprietas, divisio, partitio, descriptio.

γ. Quale sit, juris et injuriæ distinctione. Hic vel sim-

pliciter quæritur de expetendo fugiendoque, de æquo et iniquo, de honesto et turpi; vel comparate de eodem et alio, de majore et minore.

2° Actionis, cap. 21, quæstiones, quarum duo sunt genera: ad officium, ad motum animi vel gignendum, vel sedandum. His igitur quæstionibus qui loci sint accommodati, docetur cap. 22.

II. Finitum, seu causa, cujus genera sunt: judiciales causæ, deliberationes, laudationes, quibus accedunt legitimæ disceptationes, quæ ex scripto nascuntur, ubi controversiam facit vel ambiguum, vel discrepantia scripti et voluntatis, vel scripta contraria, cap. 24-26.

M. T. CICERONIS

AD C. TREBATIUM,

TOPICA.

I. MAJORES nos res[1] scribere ingressos[2], C. Trebati, et iis libris, quos brevi tempore satis multos edidimus, digniores, e cursu ipso revocavit voluntas tua. Quum enim mecum in Tusculano esses, et in bibliotheca separatim uterque nostrum ad suum studium libellos, quos vellet, evolveret, incidisti in Aristotelis Topica quædam, quæ sunt ab illo pluribus libris explicata. Qua inscriptione commotus, continuo a me eorum librorum sententiam requisisti. Quam tibi quum exposuissem, disciplinam inveniendorum argumentorum, ut sine ullo errore ad eam rationem via[3] perveniremus ab Aristotele inventa, libris illis contineri: verecunde tu quidem, ut omnia; sed tamen ut facile cernerem te ardere studio, mecum, ut tibi illam traderem[4], egisti. Quum autem ego te, non tam vitandi

I. 1. *Majores nos res.* Alii putant hic agi de operibus philosophicis, quæ enumerantur lib. II de Divin. cap. 1. Alii, de historia suæ ætatis quam Cicero scripserat (vid. Epp. ad Attic. II, 6, XIV, 17, XV, 3), quæ non ad nos pervenit: nil nisi fragmenta supersunt ab Asconio (ad orat. in toga candida) servata.

2. *Ingressos*. MS Oxon. *aggressos*. Sch.— *C. Trebati*. De quo vide Epist. ad Div. VII, 6, seqq. Horat. Sat. II, 1.

3. *Ad eam r. via perv.* Lambinus corrigit « ratione et via », sine necessitate. *Rationem* appellat eam, quam ante dixerat disciplinam inveniendorum argumentorum. Ern.

4. *Ut tibi illam traderem.* Non simpliciter improbem vulgatum *illa*: sed tamen rescripsi *illam* sc. disciplinam, rationem, quæ præcedunt, quod mihi semper verum visum fuit; quoniam in ed. Ven. 1485 sic reperi. Ern. — Et Schütz. sequutus est.

laboris mei causa[5], quam quod id tua interesse[6] arbitrarer, vel ut eos per te ipse legeres, vel ut totam rationem a doctissimo quodam rhetore acciperes, hortatus essem : utrumque, ut ex te audiebam, es expertus. Sed a libris te obscuritas rejecit[7]. Rhetor autem ille magnus, hæc, ut opinor[8], Aristotelica se ignorare respondit. Quod quidem minime sum admiratus, eum philosophum rhetori non esse cognitum, qui ab ipsis philosophis, præter admodum paucos, ignoretur[9]. Quibus eo minus ignoscendum est, quod non modo rebus iis, quæ ab illo dictæ et inventæ sunt, allici debuerunt, sed dicendi quoque incredibili quadam quum copia, tum etiam suavitate. Non potui igitur tibi, sæpius hoc roganti, et tamen verenti, ne mihi gravis esses (facile enim id cernebam), debere diutius, ne ipsi juris interpreti fieri videretur injuria[10]. Etenim quum tu mihi meisque multa sæpe scripsisses[11], veritus sum, ne, si ego gravarer, aut ingratum id, aut superbum videretur. Sed, dum fuimus una,

5. *Vitandi laboris mei causa.* Hittorpianus liber abjecit *causa :* et vero si attentius legas, adjectitium videbitur : et sæpe eo modo Latini, ipseque Cicero. GRUT.

6. *Quam quod id tua interesse.* Ita MSS nostri, ut et mox : « hæc, ut opinor, Aristotelica », ubi adjecta particula mirifice exprimit fastidium rhetoris. GRUT.

7. *Te obscuritas rejecit.* Refert Aulus Gellius, lib. XX, cap. 5, quum Alexander Magnus ægre videret nonnulla Aristotelis opera in vulgi manibus versata, Aristotelem regi rescripsisse, hæc opera a nullis vere percipi atque intelligi posse, nisi ab iis qui ipsum Aristotelem in schola audivissent.

8. *Rhetor...hæc, ut opinor*, etc. Scil. quem Trebatius consuluerat, de consilio Ciceronis. *Hæc* abest ab edit. Ven. et commode abfuerit. ERN. — Schützius dat : « Rhetor autem ille, magnus ut opinor, hæc Arist. »

9. *Ignoretur.* Ern. scribit « ignoraretur », quia pendet a perfecto, « cognitum esse ».

10. *Videret. injuria.* MS unus « videremur injurii ».

11. *Sæpe scripsisses.* MS V. ed. Ven. Med. Ald. etc. habent *cavisses*, quod eodem redit, sed est glossa. Cicero consulto dedit *scripsisses*, quia respondet melius rei. Cicero non requsat scribere Topica Trebatio, quia Trebatius sæpe Ciceronis causa scripsit. Vid. Victor ad Cic. Epist. ad Div.

tu optimus es testis, quam fuerim occupatus[12]: ut autem a te discessi, in Græciam proficiscens, quum opera mea nec respublica, nec amici uterentur, nec honeste inter arma versari possem, ne si tuto id quidem mihi liceret; ut veni Veliam, tuaque et tuos[13] vidi, admonitus hujus æris alieni, nolui deesse ne tacitæ quidem flagitationi tuæ. Itaque hæc, quum mecum libros non haberem, memoria repetita, in ipsa navigatione conscripsi, tibique ex itinere misi: ut mea diligentia mandatorum tuorum, te quoque, etsi admonitore non eges, ad memoriam nostrarum rerum excitarem. Sed jam tempus est ad id, quod instituimus, accedere.

II. (II.) Quum omnis ratio diligens disserendi duas habeat partes, unam inveniendi, alteram judicandi, utriusque princeps, ut mihi quidem videtur, Aristoteles fuit. Stoici autem in altera elaboraverunt; judicandi enim vias diligenter persequuti sunt, ea scientia[1], quam Dialecticen appellant: inveniendi vero artem, quæ Topice dicitur, quæque ad usum potior erat, et ordine naturæ certe prior, totam reliquerunt. Nos autem, quoniam in utraque summa utilitas est[2], et utramque, si erit otium, persequi cogitamus, ab ea, quæ prior est, ordiemur.

Ut igitur earum rerum, quæ absconditæ sunt, de-

VII, 14, qui *scripsisses* in vetere exemplo reperit. Ern. — Idem reperit in suis Petrus Faber, qui consulatur lib. I, Semest. c. 21. Grut. — Similiter ludit in verbo *scribere* Cicero in ep. ad Trebatium. Ad Div. VII, 14.

12. *Quam fuerim occupatus*. Libri publici, « sæpe occupatus »: sed interjectum illud adverbium abest a Pall. ab Hitt. a Pecciano, et sententiam turbat. Grut.

13. *Tuaque et tuos vidi*. Trebatii paternæ possessiones Veliæ erant. Vid. epist. Ciceronis ad Trebatium, Fam. VII, 19 et 20. Govean.

II. 1. *Ea scientia, quam*. MS V. ed. Ven. Med. Junt. « eam, quam Dialecticen, etc. » vere et more Ciceronis. Ern. — Schützius dedit, ut placebat Ern.

2. *Summa utilitas est*. Abest *est* ab edit. Lallem.

monstrato et notato loco, facilis inventio est: sic, quum pervestigare argumentum aliquod volumus, locos nosse debemus; sic enim appellatæ ab Aristotele sunt hæ quasi sedes, e quibus argumenta promuntur. Itaque licet definire, locum esse argumenti sedem; argumentum autem, rationem, quæ rei dubiæ faciat fidem. (III.) Sed ex his locis, in quibus argumenta inclusa sunt, alii in eo ipso, de quo agitur, hærent; alii assumuntur extrinsecus. In ipso, tum ex toto, tum ex partibus ejus, tum ex nota, tum ex his rebus, quæ quodammodo affectæ sunt ad id, de quo quæritur. Extrinsecus autem ea dicuntur[3], quæ absunt, longeque disjuncta sunt.

Sed ad id totum, de quo disseritur, tum definitio adhibetur, quæ quasi involutum evolvit id, de quo quæritur. Ejus argumenti talis est formula[4]: « Jus civile est[5] æquitas constituta iis, qui ejusdem civitatis sunt, ad res suas obtinendas; ejus autem æquitatis utilis est[6] cognitio; utilis est ergo juris civilis scientia ». Tum partium enumeratio, quæ tractatur hoc modo: « Si neque censu[7], neque vindicta, nec testa-

3. *Dicuntur.* Lallem. *ducuntur.* De his omnibus locis vid. Orat. II, 30 et 39. Cf. Quintil. V, 10.

4. *Talis est formulà.* Ut qui jurisconsulto scribit, exempla sua Cicero in juris scientia sumit. Si a suis operibus haurire voluisset, ibi memorare potuisset definitionem consulis et consulatus in orat. in Pis. c. 10 et 11.

5. *Jus civile est.* Vide Ulpiani definitionem, Dig. lib. I, tit. 1.

6. *Utilis est cognitio.* MS V. delet *est*, bene. Sic et alibi omittitur in assumptione. Ern. — *Part. enumeratio.* Cf. Inv. I, 29, 45; Herenn. II, 30.

7. *Si neque censu.* Ciceronis temporibus libertate donabantur servi triplici modo. *Censu*, quum quis jubente aut consentiente domino nomen deferebat in censum. Soli enim cives romani olim censebantur. *Vindicta*, quum lictor vindictam, quæ virgula est, manumittendi servi capiti imponens, eumdem servum hac solemni verborum formula, « liber esto », in libertatem vindicabat: quo tempore dominus servum alapa percussum circumagebat in gyrum, ut sic intelligeret sibi licitum in quamlibet partem abire. *Testamento*, quum quis servum suum testamento liberum esse jussisset. Paust. — Sub imperatoribus

mento liber factus est, non est liber; neque est ulla earum rerum; non est igitur liber ». Tum notatio, quum ex vi verbi argumentum aliquod elicitur, hoc modo : « Quum lex [Ælia Sentia [8]] assiduo vindicem assiduum [9] esse jubeat, locupletem jubet locupleti; locuples enim est assiduus, ut ait Ælius, appellatus ab asse [10] dando ».

III. (IV.) Ducuntur etiam argumenta ex iis rebus, quæ quodammodo affectæ sunt ad id, de quo quæritur. Sed hoc genus in plures partes distributum est. Nam alia conjugata [1] appellamus, alia ex genere, alia ex formula [2], alia ex similitudine, alia ex differentia, alia ex contrario, alia ex adjunctis [3], alia ex antecedentibus, alia ex consequentibus, alia ex repugnantibus, alia ex causis, alia ex effectis, alia ex comparatione majorum, aut parium, aut minorum.

plures modi supervenerunt. Vid. Instit. Justin. I, 5, 1.

8. *Quum lex* [*Ælia Sentia*]. Hæc verba, quæ Victorius, Man. et Gruterus hic admiserunt, censet his tollenda Lambinus, quem Prusteus secutus est. Præiverat Goveanus, qui certe non ignorabat Æliam Sentiam nonnisi multis post Ciceronis obitum annis sancitam fuisse, anno scilicet 755. An vero emendationem hanc ipsam divinasse visus est sibi nuper quidam Vicentinus, qui suas Epistolicas Diatribas edidit Venetiis? An sine Goveano, Lambino et Prusteo, etsi post ipsos, vidit quod jam ante viderant? Oliv. — Ern. et Schützius quoque ea verba delenda censuerunt.

9. *Assiduum*. Lex est XII Tabb. ut testatur Gellius, lib. XVI, cap. 10, iis verbis scripta : « Assiduo assiduus vindex esto : proletario civi quivis volet vindex esto ». Cujus vis et sententia hæc est : Locupleti fidejussor locuples sit, inopi quivis. In quo summa æquitas est. Quem enim homo tenuis locupletem pro se fidejussorem inveniet? Govean. — De hac re vide *Bonchaud*, Comment. in Legg. XII Tabb. ed. sec. tom. I, p. 286 seqq.

10. *Ab asse dando*. Sic vere Lamb. quod Ernest. et Schütz. receperant : vulgo « ab ære ».

III. 1. *Conjugata*. Locum hunc ut inutilem improbat Fabius, lib. V, cap. 10. Immerito, quum sæpe vim ad persuadendum habeat. Ut, quum ait Tullius pro Marcello, cap. 32 : « Ingratus est injustusque civis, qui armorum periculo liberatus, animum tamen retinet armatum ».

2. *Formula*. Schütz. *forma*.

3. *Alia ex differentia, alia ex contrario, alia ex adjunctis*. Hæc absunt ab edd. pluribus, quæ e MSS reposuimus. J. V. L.

Conjugata dicuntur, quæ sunt ex verbis generis ejusdem. Ejusdem autem generis verba sunt, quæ orta ab uno varie commutantur, ut « sapiens, sapienter, sapientia ». Hæc verborum conjugatio συζυγία[4] dicitur, ex qua hujusmodi est argumentum : « Si compascuus ager est, jus est compascere ».

A genere sic ducitur : « Quoniam argentum omne mulieri legatum est, non potest ea pecunia, quæ numerata domi relicta est, non esse legata; forma enim a genere, quoad suum nomen retinet[5], numquam sejungitur; numerata autem pecunia nomen argenti retinet; legata igitur videtur ».

A forma generis, quam interdum, quo planius accipiatur, partem licet nominare, hoc modo : « Si ita Fabiæ pecunia legata est a viro, si ea uxor materfamilias[6] esset; si ea in manum non convenerat, nihil debetur ». Genus enim est, uxor : ejus duæ formæ;

4. Συζυγία. Sic edit. Ven. sed Med. latinis literis habet *sysygia*. Ald. Junt. συσυγία. MS græcum omittit. Sic est etiam cap. 9, ubi de verbo ipso vide. Ern. — Doctus vir quidam, quem citat Victorius, Varr. Lectt. XXIV, 10, h. l. et infra, et cap. 9, legendum putabat συστοιχία, quo verbo Aristoteles in Topicis idem significat, quod verbum latinum *conjugatio* : quod Ernest. placuisse videtur : nec obliviscendum est ea Ciceronem de Aristotele memoriter scripsisse.

5. *Quoad suum nomen retinet*, etc. Forma quoad generis nomen retinet, numquam a genere separatur : tum separatur, quum amisit. Legavit vir uxori ligna omnia, arbores stantes non legavit. *Suum* pro *ejus* non semel a Cicerone dicitur : nisi malis « suum nomen » naturale esse nomen, ut nummi argentei nomen naturale sit *argentum* : quod quidem amittit, quum percussus est : tum enim *nummus* dicitur. Govean.

6. *Si ea uxor materfamilias*. Vulg. « si ei viro materfamilias ». MS delet a manu pr. « ei viro », ut edd. Ven. Junt. etc. MS addit *viri* post « in manum », ut in edd. iisdem. Sed ed. Ven. habet, « si ea uxor mat. esset », quod placet. Sic et correxit manus docta. In exemplo nostro ed. Mediol. addito *viri* post « in manum » : et sic edidimus. Ern. — Schütz. dat « si ei uxor mat. » Ut Ciceronis mens intelligatur, observandum ex Boetio tribus modis apud veteres Romanos duci solitam uxorem, farre, usu, et coemptione. Confarreatio ad pontifices tantum pertinebat : erant sacræ nuptiæ dictæ, ut ait Dionysius in Romulo, quod eodem farre conjuges vescerentur, quo etiam victimas respergerent.

una matrumfamilias earum [7], quæ in manum convenerunt; altera, earum, quæ tantummodo uxores habentur : qua in parte quum fuerit Fabia, legatum ei non videtur. A similitudine, hoc modo : « Si ædes eæ corruerunt, vitiumve fecerunt, quarum ususfructus legatus est, heres restituere non debet, nec reficere, non magis, quam servum restituere, si is, cujus ususfructus legatus est, deperisset ». A differentia : « Non, si uxori vir legavit omne argentum, quod suum esset, idcirco, quæ in nominibus fuerunt, legata sunt : multum enim differt, in arcane positum sit argentum, an in tabulis debeatur [8] ». Ex contrario autem, sic : « Non debet ea mulier, cui vir bonorum suorum usumfructum legavit, cellis vinariis et oleariis [9] plenis relictis, putare id ad se pertinere; usus enim, non abusus legatus est : ea sunt inter se contraria ».

Usu fiebat matrimonium, quum uxoris et mariti convictus per annum constans et stabilis fuerat, tumque dicebatur uxor usucapta. Denique coemptio certis solemnitatibus peragebatur, et sese in coemendo invicem interrogabant. Vir ita an sibi mulier materfamilias esse vellet. Illa respondebat, velle. Item mulier interrogabat, an vir sibi paterfamilias esse vellet : ille respondebat, velle. Itaque mulier viri conveniebat in manum, et vocabantur hæ nuptiæ per coemptionem; quod, teste Varrone, mulieres assem unum tamquam emendi causa marito darent. Jam vero ut ad exemplum a forma petitum redeamus, uxor genus est, ejus duæ formæ : altera matrumfamilias, altera uxorum tantum. Si cui uxori, quæ mater esset familias, legata sit pecunia, a forma recte concludetur, nihil ei jure deberi, quæ uxor tantum habetur. Pruст.—Gaius, I, 108, sqq.

7. *Matrumfamilias earum, quæ.* Pithœanus, « ea sunt, quæ, etc. » Pal. « hæc est, quæ, etc. » ut appareat dictionem *earum* esse a glossa. Grut.

8. *An in tabulis debeatur. Debeatur* pro glossa delet Hotomannus, Obs. I, 22. Sed est in MS, et habuit liber Boetii. Idem h. l. disputat, Ciceronem male hanc rem ad locum a differentia retulisse, quum pertineat ad locum a definitione. Adeant ipsum, qui cognoscere velint. Ern.

9. *Cellis vinariis et oleariis.* Earum rerum quæ usu consumuntur, ususfructus neque naturæ jure, neque vero civili constitui potest : quum ususfructus, uti Paulus ad Vitellium scribit, aliud nihil sit, quam « jus aliena re utendi, fruendi, salva rei substantia » : ut re sublata et consumpta, tolli usumfructum necesse sit. Quum igitur oleum, vinum, frumentum, vestimenta, quibus proxima est

IV. Ab adjunctis: « Si ea mulier testamentum fecit, quæ se capite numquam deminuit[1], non videtur ex edicto prætoris secundum eas tabulas possessio dari; adjungitur enim[2], ut secundum servorum, secundum exsulum, secundum puerulorum tabulas possessio videatur ex edicto dari ». Ab antecedentibus autem, et consequentibus, et repugnantibus, hoc modo: ab antecedentibus, « Si viri culpa[3] factum est divor-

pecunia numerata, quæ et ipsa usu et assidua permutatione quodammodo exstinguitur, utendo consumantur, neque in hoc rerum genere constitui ususfructus possit: non debet ea mulier, cui vir bonorum suorum usumfructum legavit, vino et oleo relictis, putare jus sibi esse utendi, fruendi. Usus enim ei, non abusus relictus est. Goveam.

IV. 1. *Se capite numquam deminuit.* Lallem. Ern. *diminuit.* Capitis diminutio est prioris status permutatio. Triplex autem recensetur. Tria enim, inquit Paulus, habemus, libertatem, civitatem, familiam. Quum hæc omnia amittimus, maxima est capitis diminutio. Quum, civitate amissa, libertas retinetur, ut quum quis in colonias Latinas transmigrabat, erat media capitis diminutio. Minima autem, quum familia tantum mutabatur, quum quis adoptabatur, vel alieno juri subjiciebatur, vel emancipabatur. Mulieres autem antiquo jure tutela perpetua continebantur, nec recedebant a tutoris potestate, nisi in manum viri convenissent; atque, ut tunc erat status prioris mutatio, ita dicebatur capite diminuta. Adde quod, quum ejus familia uno capite, id est, una persona diminuta esset, uxor in viri familiam transiens, diminuta capite non immerito vocaretur. Faust. — Hic Nostri locus, qui parum cum legibus romanis consentire videtur, nec leves turbas inter jurisconsultos excitavit, hodie nunc explicatur ope « coemptionis fiduciariæ », quam mulier cum viro quodam (coemptionatore) contrahebat, ut se tutelæ subduceret, et jus testamentum faciendi acquireret. Hoc nunc patet ex fragmento Gaii, I, 115, reperto nuper, in quo legitur: « Olim etiam testamenti faciendi gratia fiduciaria fiebat coemptio: tunc enim non aliter feminæ testamenti faciendi jus habebant, exceptis quibusdam personis, quam si coemptionem fecissent, remancipatæque, et manumissæ fuissent. Sed hanc necessitatem coemptionis faciendæ ex auctoritate D. Hadriani senatus remisit ». J. V. L.

2. *Adjungitur enim.* Est modus loquendi dialecticis, pro « sequitur inde ». Nempe sensus est: Si id ita videatur, sequitur, etiam aliis possessionem a testamento dari posse, qui non sunt in potestate sua. Sed id esse non potest. Ergo, etc. Ern.

3. *Si viri culpa.* Quæstio est, an mulier facto divortio debeat partem dotis viro relinquere, unde communes liberi alantur. Solvitur ab antecedentibus. Si viri culpa factum est divortium, verbi gratiâ, si conjugem asperius tractaret, licet uxor secesserit a marito, eum nihil oportet relinquere

tium, etsi mulier nuntium remisit, tamen pro liberis manere nihil oportet[4] » : a consequentibus[5], « Si mulier, quum fuisset nupta cum eo, quicum connubium[6] non esset, nuntium remisit; quoniam qui nati sunt, patrem non sequuntur[7], pro liberis manere nihil oportet » : a repugnantibus, « Si paterfamilias uxori ancillarum usumfructum[8] legavit a filio, neque a secundo herede[9] legavit, mortuo filio mulier usumfructum non amittet : quod enim semel testamento alicui datum est, id ab eo invito, cui datum est, auferri non potest : repugnat enim recte accipere[10], et invitum reddere». Ab efficientibus causis, hoc modo: «Omnibus est jus[11] parietem directum ad parietem

liberis, qui in patris potestate sunt. Prust. — Vide Hotomannum, Obs. lib. I, cap. 23.

4. *Tamen pro liberis manere nihil oportet.* Scil. non legitima pars dotis, i. e. pars sexta, in singulos liberos, quia viri culpa nuntium remisit : et *manere*, int. apud maritum. Ern. — Schütz. addi vellet « dotis nihil m. »

5. *A consequentibus.* A consequentibus ducitur argumentum, quum propositis duobus, a posteriore argumentamur, hoc modo : Mulier servo, cui imprudens nupserat, nuntium remisit : qui ex ea conjunctione nati sunt, patrem non sequuntur. Quare pro liberis ex dote apud patrem nihil manere oportet. Id quod ex eo collegi, quia patrem liberi non sequerentur, quod e duobus quæ proposui, posterius est. Govean.

6. *Connubium.* Lallem. al. « connubii jus ».

7. *Patrem non sequuntur.* Scil. non sunt ejus, qua pater est, conditionis, quia ipse peregrinus est, sed sequuntur matrem, suntque cives romani, non latini, provinciales, etsi pater talis. Ern.

8. *Ancillarum usumfructum.* Ususfructus ancillarum omnis ea utilitas est, quæ ex ancillis percipi potest, præter earum partus, qui in fructu non sunt, sed ad proprietatis dominum pertinent : neque enim placuit homines in fructu esse, quorum gratia, ut ait Justinianus in Institutis, rerum omnium fructus natura comparavit. Govean.

9. *Neque a secundo herede.* Id est, non cavit testamento, ut idem valeret, si filius esset ante mortuus. Ern.

10. *Repugnat enim recte acc.* Recte, i. e. secundum leges, v. c. e testamento. Nempe qui secundum leges accepit, estque legitimus dominus, non potest cogi, ut reddat. MS V. habet *pugnat.* Ern.

11. *Omnibus est jus,* etc. Exemplum hoc aliquanto obscurius, statu quæstionis proposito, sic explicari potest. Jus est omnibus, ad parietem communem adjungere, vel solidum, vel cameratum parietem. Sempronius

communem adjungere, vel solidum, vel fornicatum; at si quis, in pariete communi demoliendo, damni infecti promiserit, non debebit præstare, quod fornix vitii fecerit: non enim ejus vitio, qui demolitus est, damnum factum est, sed ejus operis vitio, quod ita ædificatum est, ut suspendi[12] non posset». Ab effectis[13] rebus, hoc modo: «Quum mulier viro in manum convenit, omnia, quæ mulieris fuerunt, viri fiunt dotis nomine[14]». Ex comparatione autem omnia valent, quæ sunt ejusmodi: «Quod in re majore[15] valet, valeat in minore: ut, si in urbe fines non reguntur, ne[16]

ad parietem sibi cum Titio communem, pro suo jure fornicem adjunxit. Titius quum subinde vellet aliquid exstruere, de pariete communi nonnihil demolitus est, pollicitus damnum, si quid ex ea demolitione contingeret, se reparaturum. Eversus est cum reliquo pariete fornix: postulatur damni, Titius, quod parietem communem subverterit. Hic ab efficiente causa sic se purgat: Nisi fornicem adjunxisset Sempronius, accisus murus non corruisset: non igitur damnum præstare debeo, quod meo vitio factum non est. Prust. — *Parietem directum.* Qui sit vid. in Clav. Tum ad eum referenda verba, «solidum, fornicatum», non ad «parietem communem». Ern. — Vide Hotomann. Obs. lib. II, cap. 1.

12. *Ut suspendi non posset.* Vid. Clav. in *suspendere.* MS ed. Ven. *possit*, male. Ern.

13. *Ab effectis.* Exemplum subjectum esse alieno loco tradidit Boetius, et assentitur Hotom. Observ. I, 24, extrem. Ern.

14. *Viri fiunt dotis nomine.* De eo etiam Hotomannus, disputationibus juris civilis de dotibus, cap. 1, § 5. Grut.

15. *Quod in re majore*, etc. Hotomanno, lib. II, Obs. cap. 2, placet eorum sententia, qui duplicem hic negationem deesse putant, ut locus sic legatur: «quod in re majore non valet, non valeat in minore»; quoniam, ut ex eo tertio Aristotelis Topicorum libro patet, argumentum ex majore ductum, tantum valet ad refellendum, et majus id dicitur, quod probabilius est. Itaque allatum a Cicerone exemplum, uni refutationi idoneum est, quasi videlicet probabilius fuisset fines in ea urbe regi, quam aquam in eadem arceri. Hoc idem exemplum Cicero inferius ad similium locum retulit. Prust. — Ed. Mediol. habet negationem in primo membro, idque consentit Aristoteli, sed nec in contrario post est negatio. Ern.

16. *Reguntur, nec.* MS *regantur.* Illud placet, non hoc. Ut ante est *valet, valeat;* sic h. l. «reguntur, arceatur»: «neque aqua», quod plures edd. habent, durius, et alias in tali forma est *nec.* Consentit edit. Venet. Itaque recepi. Ern.

aqua in urbe arceatur[17]». Item contra: «Quod in minore valet, valeat in majore: licet idem[18] exemplum convertere». Item: «Quod in re pari valet, valeat in hac, quæ par est»: ut, «Quoniam usus[19] auctoritas fundi biennium est, sit etiam ædium». At in lege ædes non appellantur, et sunt ceterarum rerum[20] omnium, quarum annuus est usus. Valeat æquitas, quæ paribus in causis paria jura desiderat.

Quæ autem extrinsecus assumuntur[21], ea maxime ex auctoritate ducuntur: itaque Græci tales argumentationes ἀτέχνους vocant, id est, artis expertes: ut, si ita respondeas[22]: «Quoniam P. Scævola id solum esse ambitus[23] ædium dixerit, quod, parietis communis

17. *In urbe arceatur.* Scilic. ne intra fines meos mittatur. Ernest.

18. *Licet idem exemplum.* Exemplum superius convertatur, fiet comparatio a minori ad majus, hoc modo: In ea civitate aqua arcetur: ergo multo magis fines reguntur. Minus enim quiddam est aquam arcere, quam fines regere. Paust.

19. *Quoniam usus*, etc. Hæc est lex XII Tabb. «Usus auctoritas fundi biennium esto: ceterarum omnium rerum usus, annus esto». Hotomannus pro *biennium* definit reponendum esse *biennis*, et *annuus* pro *annus*. Sed frustra, quum in orat. pro Cæcina, cap. 19, etiam idem fere legatur: «Lex usum et auctoritatem fundi jubet esse biennium: at utimur eodem jure in ædibus, quæ in lege non appellantur». Hic *auctoritas* est jus dominii. Quod autem a pari ducatur argumentum, ex ipsis Tullii verbis et interpretatione nostra manifestum est. In eo conveniunt ædes et fundi, quod sint res non moventes. Paust.

20. *Et sunt c. rerum omnium. Rerum* addidi e MS, quod genus in *ceterarum* requirit. Sensus est: Et sunt in numero earum rerum. *Omnium* non placet. Ern. — Schütz. delevit *omnium*, ut superfluum.

21. *Extrinsecus assumuntur.* MS habet *sumuntur*, et ordine inverso, «sumuntur extrinsecus». Ern.

22. *Si ita respondeas.* I. e. si respondeas id æquum tibi videri, quod de ambitu ædium dixit Scævola; nempe id esse tantummodo ambitus ædis, quoad uterque vicinus communem parietem projecerit: unde divortium aquarum fiat, et in cujusque illorum ædes aqua pluvia defluat, nimirum ut dimidia parietis pars ad unum, altera ad alterum pertineat: et linea communem parietem æquabiliter secans, ambitum ædium utrimque designet. Paust.

23. *Id solum esse ambitus ædium d. quod.* Obscurum et implicatum locum interpretati sumus (vid. not. sup.) ex mente Hotomanni, qui lectionem sic putat restituendam, ut *quoad* pro *quod* reponatur, et vox *tectum*

tegendi[24] causa, tectum projiceretur, ex quo in tectum ejus, ædes qui protexisset[25], aqua deflueret, id tibi jus videri ».

V. (v.) His igitur locis, qui sunt expositi, ad omne argumentum reperiendum, tamquam elementis quibusdam, significatio et demonstratio datur. Utrum igitur hactenus satis est? tibi quidem, tam acuto, et tam occupato, puto. Sed quoniam avidum[1] hominem ad has discendi epulas recepi, sic accipiam, ut reliquiarum sit potius aliquid, quam te hinc patiar non satiatum discedere. Quando ergo unusquisque eorum

post *causa* tollatur. Cautum erat lege XII Tabb. ut inter vicinorum ædes ad circumeundi facultatem spatium esset pedis sestertii, sive, ut exponit Volusius Mæcianus, duorum pedum et semis. Ejus structuræ domus, insulæ dicebantur, quarum ambitum definire cuivis facillimum erat. At juris controversi fuit earum ædium ambitus quæ communi pariete jungebantur. In interpretatione exposuimus Scævolæ mentem, quæ Hotomanno videtur perquam obscura. Ista enim ratione videretur Scævola significare, non licere in communem parietem tigna immittere ultra lineam, quæ medium parietem intersecat, quum tamen aliud in jure definiatur. Fortasse ad eam controversiam Scævolæ responsum pertinet, quo uterque vicinus communi pariete uti vult in ædificando, et suis trabibus pari eodemque loco immittendis. Quo casu locus esset Q. Mucii sententiæ, ut recte conjicit Hotomannus, Obs. II, cap. 3. Prust. — MS habet q̄, i. e. *qua*, vel *quantum*, ut habet edit. Ven. Med. Junt. Melanth. et Boetius. Sed id etiam *quod* esse potest. Vid. Clav. Significationem quidem hanc res postulat: sed præfero *quod*, quia eo refertur mox *id*. Ern.

24. *Tegendi causa, tectum projiceretur*, etc. Ed. Mediol. *regendi*, usitata confusione, et *tectum* post *causa* delet Hotom. Ern.

25. *Ex quo in tectum ejus, ædes qui protexisset*, etc. Sensus est, Ideo jus esse, projicere tectum eatenus, qua communem parietem tegat. An pro *protexisset* legendum *projecisset*? nec video quo *protexisset* pertineat: ita et *tectum* servari mutato loco potest: « ex quo in ejus ædes, tectum qui projecisset, aqua deflueret ». Ern. — Equidem facilius puto bis *tectum* delere, et virgulam tollere post *ejus*. Sensus idem exiret, qui placet Ernestio. — *Protexisset*. *Protegere* est tectum projicere, inquit Budæus. — Schütz. locum sic constitutum velit: « quoad parietis communis causa tectum projiceretur, ex quo ante ejus ædes, qui projecisset, aqua deflueret, id tibi jus videri ».

V. 1. *Sed quoniam avidum*. Est allegoria elegans a conviviis sumpta; unde et *accipiendi* et *reliquiarum* verba sunt explicanda. De utraque vide Clavem in hac voce. Ern.

locorum, quos exposui, sua quædam membra habet, ea quam subtilissime persequamur : et primum de ipsa definitione dicatur.

Definitio est oratio, quæ id, quod definitur, explicat, quid sit. Definitionum autem duo sunt genera prima[2] : unum earum rerum, quæ sunt; alterum earum, quæ intelliguntur[3]. Esse ea dico, quæ cerni tangive possunt, ut fundum, ædes, parietem, stillicidium, mancipium, pecudem, supellectilem, penus, cetera; quo ex genere quædam interdum nobis definienda sunt. Non esse rursus ea dico, quæ tangi demonstrarive non possunt, cerni tamen animo, atque intelligi possunt: ut, si usucapionem, si tutelam, si gentem, si agnationem definias; quarum rerum nullum subest quasi corpus, est tamen quædam conformatio[4] insignita[5] et impressa intelligentia[6], quam notionem voco. Ea sæpe in argumentando definitione explicanda sunt. Atque etiam definitiones aliæ sunt partitionum, aliæ divisionum : partitionum, quum res ea, quæ proposita est, quasi in membra discerpitur; ut, si quis

2. *Duo sunt genera prima. Prima* videtur delendum. Sch.

3. *Intelliguntur. Esse ea.* MS, edd. Med. Ald. 1, « intelliguntur esse. Earum r. quæ sunt, ea dico ». Item in altero post : « Earum rerum quæ non sunt, non esse rursus, etc. » alterum est etiam in edit. Ven. quæ e margine in textum venere. Ern.

4. *Conformatio.* Pro eodem dicit M. Tullius *conformationem, notionem* et *intelligentiam :* quam Græci ἔννοιαν vocant. Tutelæ igitur corpus nullum subest : est tamen notio quædam in animis nostris impressa, quæ sæpe definienda est. Neque enim facile est intelligere id quod neque videtur, neque tangitur, nisi definitione explicetur. Neque tamen putandum est, ita dicere M. Tullium, rerum earum, quarum nullum subest quasi corpus, notiones esse, ut earum rerum, quarum subsunt corpora, notiones esse neget. Quum enim hæ quoque res definiantur, nihilque nisi notio possit definiri; negari non potest, quin harum quoque rerum notiones sint : sed hoc interest inter fundum et tutelam, quod fundi et notio sit, et corpus quoque aliquod subsit : tutelæ nullum quasi corpus subest, notioque dumtaxat est. Govean.

5. *Insignita.* Sch. corrigit *insita.*

6. *Impressa intelligentia, quam*

jus civile dicat id esse, quod in legibus, senatusconsultis, rebus judicatis, jurisperitorum auctoritate, edictis magistratuum, more, æquitate consistat : divisionum autem definitio formas omnes complectitur, quæ sub eo genere sunt, quod definitur, hoc modo : « Abalienatio est ejus rei, quæ mancipi est[7], aut traditio alteri nexu[8], aut in jure cessio[9], inter quos ea jure civili fieri possunt[10] ».

VI. (VI.) Sunt et alia genera definitionum; sed ad hujus libri institutum illa nihil pertinent : tantum est dicendum, qui sit definitionis modus. Sic igitur veteres præcipiunt : quum sumpseris ea, quæ sint[1] ei rei, quam definire velis, cum aliis communia, usque eo persequi, dum proprium efficiatur, quod nullam in aliam rem transferri possit. Ut hoc, « Hereditas est pecunia ». Commune adhuc : multa enim genera sunt pecuniæ. Adde quod sequitur : « quæ morte alicujus

notionem voco. Lallem. « impressa in intelligentia, etc. »

7. *Quæ mancipi est.* Res mancipi dicuntur quæ sunt in nostra potestate, quas ex nostro ad alterius dominium transferre possumus. *Mancipi* est indeclinabile in singulari et plurali. Paust.

8. *Nexu.* Nexum, vel nexus (utroque enim genere dicitur), id est, quod per libram et æs agebatur, quemadmodum scribit M. Tullius, lib. III de Oratore. Agebatur autem ita, adhibitis non minus quam quinque testibus civibus romanis puberibus, et præterea alio ejusdem conditionis, qui libram æneam teneat, qui appellatur libripens. Is qui mancipium accipit, æs tenens ita dicit : « hunc ego hominem ex jure Quiritium meum esse aio : isque mihi emptus est hoc ære, æneaque libra ». Deinde ære percutit libram : idque æs dat ei, a quo mancipium accipit, quasi pretii loco. Gov.

9. *In jure cessio.* Hoc fiebat modo : Apud magistratum populi romani, vel apud prætorem (hoc enim est, *in jure*), vel præsidem provinciæ, is cui in jure ceditur rem tenens ita vindicat : « hunc ego hominem ex jure Quiritium meum esse aio ». Deinde postquam hic vindicaverit, prætor interrogat eum qui cedit, an contra vindicet. Quo negante, aut tacente, tunc ei qui vindicaverit, eam rem addicit : idque legis actio vocabatur. Govean.

10. *Jure civili fieri possunt.* Jure civili fieri aliquid non inter alios, nisi inter cives romanos potest, quorum est etiam jus civile, quod duodecim Tabulis continetur. Boetius.

VI. 1. *Quæ sint.* Sic dedit Ernest. e MS, pro vulg. *sunt*, quod Schütz. servavit.

ad quempiam pervenit». Nondum definitio[2] est: multis enim modis sine hereditate teneri mortuorum pecuniæ possunt. Unum adde verbum, «jure». Jam a communitate res disjuncta videbitur, ut sit explicata definitio sic: «Hereditas est pecunia, quæ morte alicujus ad quempiam pervenerit[3] jure». Nondum est satis: adde, «nec ea aut legata testamento, aut possessione retenta»: confectum est. — Itemque, ut illud, «Gentiles sunt, qui inter se eodem nomine sunt». Non est satis. «Qui ab ingenuis oriundi sunt». Ne id quidem satis est. «Quorum majorum nemo servitutem servivit». Abest etiam nunc: «Qui capite non sunt deminuti». Hoc fortasse satis est. Nihil enim video Scævolam, pontificem, ad hanc definitionem addidisse. Atque hæc ratio valet in utroque genere definitionum, sive id, quod est, sive id, quod intelligitur, definiendum est.

VII. (VII.) Partitionum autem et divisionum genus quale esset, ostendimus; sed quid inter se differant, planius dicendum est. In partitione quasi membra sunt: ut corporis, caput, humeri, manus, latera, crura, pedes, et cetera[1]. In divisione, formæ sunt, quas Græci ἰδέας[2] vocant; nostri, si qui hæc forte

2. *Nondum definitio est.* Ern. Lall. Schütz. «nondum est definitio».

3. *Pervenerit jure.* Lall. Ern. Sch. «pervenit jure».

VII. 1. *Et cetera.* Lallem. dat *cetera*, omisso *et*.

2. *Quas Græci ἰδέας vocant.* Fortasse scripsit Cicero, scribere certe debuit εἴδη. Sch. — Goveanus, qui legebat εἰδέας, sic explicat: Plato princeps ideas induxit, easque, uti scribit M. Tullius, mirabiliter est amplexatus. Ideas autem vocabat, quædam veluti simulacra, exemplaria, typos, imagines rerum ceterarum: quas intuens Deus Opt. Maximus, ad earum similitudines manum veluti in fingendis rebus dirigeret, nihilque nisi perfectum faceret. Dictæ itaque videntur εἰδέαι a verbo εἴδειν, quod est εἰσορᾷν et intueri, quoniam eas Deus faciens quid, semper intuetur. Qua eadem ratione *species* a Latinis sunt appellatæ, a verbo *specire*, quod videre est: vimque græcæ dictionis melius *species* quam *forma*, exprimit: quamquam M. Tullius eodem nomine idem significari putet, malitque formam quam speciem dicere, propter duritiem quorumdam casuum: teretes enim et mol-

tractant, species appellant; non pessime id quidem, sed inutiliter ad mutandos casus in dicendo. Nolim enim, ne si latine quidem dici possit, « specierum » et « speciebus » dicere; et sæpe his casibus utendum est: at « formis » et « formarum » velim. Quum autem utroque verbo idem significetur, commoditatem in dicendo non arbitror negligendam.

Genus et formam definiunt hoc modo: Genus est notio ad plures differentias pertinens. Forma est notio, cujus differentia ad caput generis et quasi fontem referri potest. Notionem appello, quam[3] Græci tum ἔννοιαν, tum πρόληψιν dicunt. Ea est insita et ante percepta[4] cujusque formæ[5] cognitio, enodationis indigens[6]. Formæ igitur[7] sunt hæ, in quas genus, sine ullius prætermissione, dividitur: ut si quis jus in legem, morem, æquitatem, dividat. Formas qui putat idem esse[8], quod partes, confundit artem, et similitudine quadam conturbatus, non satis acute, quæ sunt secernenda, distinguit. Sæpe etiam definiunt et oratores et poetæ per translationem verbi ex simili-

les ejus aures, *specierum* et *speciebus* audire non possunt, *formarum* et *formis* non respuunt.

3. *Quam Græci.* Sic edidimus pro *quod*, e legitima ratione. Vide ad Orat. II, et infra cap. 22. Ern.

4. *Ante percepta.* MS *præcepta:* quod est solemne Ciceronis in hac re verbum, pro quo et *ante capta* dicit. Forte *ante percepta* est e glossa alterius *præcepta:* aut *ante* additum est, quia vitiose scriptum erat *percepta.*

5. *Cujusque formæ. Formæ* hic ineptum esse et alienum Schützius dicit, scribitque « cujusque rei ».

6. *Enodationis indigens.* Int. quæ fiat per definitionem. Ern.

7. *Formæ igitur sunt.* MS non habet *igitur;* bene, ut opinor: nam nullam h. l. vim habere potest. Ern.

8. *Formas qui putat idem esse, quod partes. Formæ* ad *genus*, *partes* ad *totum* referuntur. Inter genus et totum hoc interest, quod genus de suis formis affirmatur, totum de partibus numquam: genus ex suis formis non constat, totum ex suis partibus constituitur: genus formis prius natura est, totum partibus et tempore et natura posterius: generis natura universa in unaquaque forma includitur, natura totius universa in nulla suarum partium inest. Gov. — *Aquillius*, Ciceronis in prætura (a. U. 687) collega, qui formulas plures prætulit, ut de dolo malo, Off. III, 14. Cf. c. 12.

tudine, cum quadam suavitate. Sed ego a vestris exemplis, nisi necessario, non recedam. Solebat igitur Aquillius, collega et familiaris meus, quum de litoribus ageretur, quæ omnia publica esse vultis, quærentibus iis, ad quos id pertinebat, quid esset litus, ita definire, « qua fluctus eluderet[9] » : hoc est, quasi qui « adolescentiam, florem ætatis; senectutem, occasum vitæ », velit definire : translatione utens discedebat a verbis propriis rerum ac suis. Quod ad definitiones attinet, hactenus; reliqua videamus.

VIII. (VIII.) Partitione[1] autem sic utendum est, nullam ut partem relinquas; ut, si partiri velis tutelas, inscienter facias, si ullam prætermittas. At si stipulationum aut judiciorum formulas partiare, non est vitiosum, in re infinita prætermittere aliquid. Quod idem in divisione vitiosum est. Formarum enim certus est numerus, quæ cuique generi subjiciantur : partium distributio sæpe est infinitior, tamquam rivorum a fonte deductio. Itaque in oratoriis[2] artibus, quæstionis genere proposito, quot ejus formæ sint, subjungitur absolute : at quum de ornamentis verborum sententiarumque præcipitur, quæ vocantur σχήματα,

9. *Fluctus eluderet.* Turn. et Lamb. e MSS, *alluderet.* Vid. Clav. in *eludere.* Ante *id* omittit MS V. et edit. Ven. « quod fl. el. » Ern.

VIII. 1. *Partitione.* Etsi vix quidquam est discriminis partitionem inter ac divisionem, nonnihil tamen hic ex rhetorum institutionibus tradit Tullius. Partitionem vult esse totius in partes, divisionem generis in formas. Quum totum infinitas aliquando partes habeat, in partitione minus insignes omittere non est vitiosum. At quum certus sit formarum numerus, quæ generi subjiciantur in divisione, aliquas omittere vitiosum est. Praust.

2. *Itaque in oratoriis.* Sententiam exemplo probat Cicero. In arte oratoria quæstionis genus dividendum proponatur : nefas erit vel unum præterire. Dicendum erit triplicem esse quæstionis statum ; primum conjecturæ, alterum definitionis, tertium deinde qualitatis. At si recensendis elocutionis luminibus ac figuris partitionem volueris adhibere, non est necesse singula tum verborum, tum sententiarum ornamenta persequi : hoc enim infinitum foret : illustriora satis est enumerare. Praust.

non fit idem. Res enim est infinitior; ut ex hoc quoque intelligatur, quid [3] velimus inter partitionem et divisionem interesse. Quamquam enim vocabula prope idem valere videantur: tamen, quia res differebant, nomina rerum distare voluerunt.

(IX.) Multa etiam ex notatione sumuntur. Ea est autem, quum ex vi nominis argumentum elicitur: quam Græci ἐτυμολογίαν vocant, id est, verbum ex verbo, veriloquium: nos autem novitatem verbi non satis apti fugientes, genus hoc notationem appellamus, quia sunt verba rerum notæ. Itaque hoc idem Aristoteles σύμβολον appellat, quod latine est nota. Sed quum intelligitur, quid significetur, minus laborandum est de nomine. Multa igitur in disputando notatione eliciuntur ex verbo: ut, quum quæritur, «Postliminium» quid sit (non dico [4], quæ sint postliminii; nam id caderet in divisionem, quæ talis est: postliminio redeunt hæc, homo, navis, mulus clitellarius, equus, equa, quæ frena recipere solet): sed quum ipsius postliminii vis quæritur [5], et verbum ipsum notatur. In quo Servius noster, ut opinor, nihil putat esse notandum [6], nisi «post»; et «liminium» illud productionem esse verbi

3. *Quid velimus.* Sic MS, ed. Ven. recte, ut dudum correxeramus: male vulgo *quod*. ERN.

4. *Non dico...solet.* Hic totus locus est in parenthesi accipiendus: alias non cohæret oratio: in MSS quædam hic omissa sunt. Deprehendi poterat parenthesis verbis «sed quum ipsius postlim. vis quæritur», in quibus primum *sed* est nota parentheseos clausæ: deinde repetitur quod erat ante parenthesin aliis paullum verbis: «quum quæritur, postliminium quid sit...quum ipsius postlim. vis quæritur». Et tamen parenthesis non est animadversa. ERN.

5. *Postlim. vis quæritur.* Sic a jurisconsulto Paullo definitur, Digest. XLIX, 15, 19: «Jus amissæ rei recipiendæ ab extraneo, et in statum pristinum restituendæ, inter nos ac liberos populos regesque, moribus, legibus constitutum». Eadem fere quæ hic Noster disserit, invenias in Instit. Justin. I, 12, 5. Heineccius et *Bouchard* verbo *postliminium* aliam originem tribuunt, auctore Plutarcho, Quæst. Rom. V, sed minus probabilem. — *Servius noster.* Servius Sulpicius Rufus, cos. a. U. 702, de cujus jurisperitia adi Brut. 40. WETZ.

6. *Nihil putat esse notandum.* Ex-

vult, ut in « finitimo, legitimo, æditimo », non plus esse « timum[7] », quam in « meditullio, tullium ». Scævola autem, P. F. junctum putat esse verbum, ut sit in eo et « post » et « limen[8] » : ut, quæ a nobis alienata sunt, quum ad hostem pervenerint, et ex suo tamquam limine exierint, dein quum redierint post ad idem limen, postliminio videantur rediisse. Quo in genere etiam Mancini[9] causa defendi potest, postliminio rediisse : deditum non esse, quoniam non sit receptus. Nam neque deditionem, neque donationem sine acceptione intelligi posse.

IX. (x.) Sequitur is locus, qui constat ex iis rebus, quæ quodam modo affectæ sunt ad id, de quo ambigitur : quem modo dixi in plures partes distributum. Cujus primus est locus ex conjugatione, quam Græci συζυγίαν[1] vocant, finitimus notationi, de qua modo dictum est : ut, si aquam pluviam[2] eam modo intel-

quisite dicitur a notationis verbo, pro nihil esse in notatione, nihil e notatione eliciendum. Sic ante : « et verbum ipsum notatur », i. e. per etymologiam explicatur. Ern.

7. *Non plus esse timum.* Sic legendum est pro vulg. « inesse timum » : et sic optime respondet sequentibus, « quam in meditullio tullium ». Res sic evidens est, ut sic rescribere non dubitarim ; præsertim quum *inesse* sensum nullum haberet. Ern. — *Esse.* I. e. significare. Sch.

8. *Post et limen.* Impugnat istud Cujac. Observ. lib. III, cap. 4. Gaut.

9. *Mancini.* Vide lib. I de Orat. cap. 40; pro Cæc. 34.

IX. 1. *Quam Græci* συζυγίαν *vocant.* Edd. Med. Ald. Junt. συσυγίαν, ut cap. 2, ubi corrigi voluit vir doctus apud Victor. Varr. Lectt. XXIV, 10, συστοιχίαν, quia Aristoteles hoc genus argumentandi σύστοιχα appellat. Eam conjecturam adjuvat scriptura illa vetus. Victorius defendit Varr. Lectt. συζυγίαν, sed per peccatum Ciceronis, qui libros Aristotelis, quum hæc scriberet, in manibus non habuerit, aut novum verbum e latino *conjugata* fecerit : quorum neutrum probabile est. Συστοιχίαν verum est. Immo correxit συζυγίαν, qui lectionem ad etymologiam verbi latini accommodare vellet, quamquam supra eadem est varietas, ubi συζυγία est. Ern.

2. *Aquam pluviam.* Definitur ab Ulpiano aqua pluvia, quæ de cælo cadit, atque imbre excrescit, sive per se hæc aqua cælestis noceat, sive cum alia mixta sit. Hinc posset aliquis argumento a conjugatis ducto sic ratiocinari : aquam pluviam licet arcere, ergo fluvium qui aqua pluvia crescit. Paust.

ligeremus, quam imbri collectam videremus; veniret Mucius, qui, quia conjugata verba essent pluvia et pluendo, diceret, « omnem aquam oportere arceri, quæ pluendo crevisset ». Quum autem a genere ducetur argumentum, non erit necesse id usque a capite[3] arcessere : sæpe etiam citra licet, dummodo supra[4] sit, quod sumitur, quam id, ad quod sumitur : ut, « aqua pluvia[5] ultimo genere ea est, quæ de cælo veniens crescit imbri; sed propiore loco, in quo quasi jus arcendi continetur, genus est; aqua pluvia nocens; ejus generis formæ, loci vitio, et manu nocens : quarum altera jubetur ab arbitro coerceri[6]; altera non jubetur ». Commode etiam tractatur hæc argumentatio, quæ ex genere[7] sumitur, quum ex toto[8] persequare partes, hoc modo : « Si dolus malus est, quum aliud agitur, aliud simulatur »; enumerare licet, quibus id modis fiat; deinde in eorum aliquem id, quod

3. *A capite.* Int. a summo genere : mox dicit « ultimo genere », quod idem est. Ern.

4. *Supra sit.* Schütz. dat « superius sit », ex MS. Ern.

5. *Ut, aqua pluvia.* Argumenta non esse ab ultimo genere repetenda probat Tullius exemplo : aqua pluvia genus est ultimum, cui subjiciuntur duæ species, aqua pluvia nocens, et aqua pluvia non nocens. Rursus aqua pluvia nocens fit genus, ejusque species sunt nocens loci vitio, et manu nocens, quum de industria alio derivatur ad alterius detrimentum. Si quis contendat arcendam esse aquam pluviam, generibus illis superioribus prætermissis, hæreat in infimo, atque ostendat aquam pluviam manu nocentem arceri oportere. Paust.

6. *Jubetur ab arbitro coerceri.* MS, ed. Ven. « ab arbitrio » : similiter mox arbitrii mentio c. 10. Ern. — Nempe altera quæ jubetur ab arbitro coerceri est aqua pluvia manu nocens. Sic Ulpianus, Digest. XXXIX, tit. 3, l. 1, § 2 : « Hæc actio locum habet, quoties manu facto opere agro aqua nocitura est; i. e. quum quis manu fecerit, quo aliter flueret, quam natura soleret; si forte immittendo eam aut majorem fecerit, aut citatiorem, aut vehementiorem, aut si comprimendo redundare effecerit. Quod si natura aqua noceat, ea actione non continetur ».

7. *Ex genere.* Wetzel. ex uno cod. prætulit *forma*. J. V. L.

8. *Quum ex toto.* Totum pro genere, partes pro formis seu speciebus sumuntur. Multum igitur ab enumeratione partium distat locus. Paust. — *Si dolus ..... simulatur.* Quibus verbis explicat Aquillius, Offic. III, 14.

arguas dolo malo factum, includere[9]: quod genus argumenti in primis firmum videri solet.

X. (XI.) Similitudo sequitur; quæ late patet, sed oratoribus et philosophis magis, quam vobis. Etsi enim omnes loci sunt omnium disputationum, ad argumenta suppeditanda; tamen aliis disputationibus abundantius occurrunt, aliis angustius. Itaque genera tibi nota sint: ubi autem his utare, quæstiones ipsæ te admonebunt. Sunt enim similitudines, quæ ex pluribus collationibus perveniunt quo volunt, hoc modo: « Si tutor fidem præstare debet, si socius; si, cui mandaris; si, qui fiduciam acceperit: debet etiam procurator ». Hæc ex pluribus perveniens quo vult, appellatur inductio: quæ græce ἐπαγωγὴ nominatur[1]; qua plurimum est usus in sermonibus Socrates. Alterum similitudinis genus collatione sumitur, quum una res uni, par pari comparatur, hoc modo: « Quemadmodum, si in urbe[2] de finibus controversia est, quia fines magis agrorum videntur esse, quam urbis, finibus regundis adigere arbitrum[3] non possis: sic, si aqua pluvia in urbe nocet, quoniam res tota magis agrorum est, aquæ pluviæ arcendæ adigere non possis arbitrum ». Ex eodem similitudinis loco etiam exempla sumuntur, ut « Crassus

9. *In eorum aliquem...includere.* Vid. Clav. in h. v. Ern.

X. 1. *Quæ græce ἐπαγωγὴ nominatur.* Sic ausi sumus rescribere pro vulgato παραγωγὴ, ut Turnebus et Lamb. voluere. Nam apud Aristotel. Top. I, 12, et Analyt. prior. II, 23, et in omnibus libris sic est constanter, numquam παραγ. quæ dicitur in partem deteriorem, quum aliquem in fraudem inducimus. Non profecto potuit Cicero alio verbo uti, quam esset in Aristotelis Topicis. Ern. — Quem Sch. secutus est.

2. *Si in urbe.* Si quum de finibus in urbe disceptas, non potes uti arbitrio finium regundorum, quia fines videntur agrorum magis quam urbis; ne arcendæ quidem in urbe aquæ, quia res tota magis agrorum est, arbitrum adigere possis. Arceri enim aquam in agris tantum dici solet, ut observat Boetius, ubi si ex aliquo loco aqua pluvia colligatur, et defluens in campos vicini pascua frugesve corrumpat, arbitri arcendæ aquæ a magistratibus statuebantur. Paut.

3. *Adigere arbitrum.* Sic et Victo-

in Curiana[4] causa exemplis plurimis usus est, agens de eo[5], qui testamento sic heredem[6] instituisset, ut, si filius natus esset in decem mensibus, isque mortuus prius, quam in suam tutelam venisset, secundus heres hereditatem obtineret[7]. Quæ commemoratio exemplorum valuit»; eaque vos in respondendo uti multum soletis. Ficta etiam exempla similitudinis habent vim; sed ea oratoria magis sunt, quam vestra : quamquam uti etiam vos soletis, sed hoc modo : «Finge mancipio aliquem dedisse[8] id, quod mancipio dari non potest : num idcirco id ejus factum est, qui accepit? aut num is, qui mancipio dedit, ob eam rem se ulla re obligavit[9]?» In hoc genere oratoribus et philosophis[10] concessum est, ut muta etiam loquantur, ut mortui ab inferis excitentur, aut aliquid, quod fieri nullo modo possit, augendæ rei gratia, dicatur, aut minuendæ, quæ hyperbole dicitur[11], et multa mira-

rius, non, ut alii, *adjicere*, quod et rejicit Cujac. Observ. lib. IV, c. 15. GRUT.

4. *In Curiana causa.* Vide lib. I de Orat. cap. 39; item Brut. 39.

5. *Agens de eo.* Abest hoc ab ed. Ven. Med. Ald. Mox et «secundus heres». ERN.

6. *Heredem.* Hoc Schützius fortasse delendum suspicatur.

7. *Obtineret.* Sic necessario est reponendum pro *obtinuisset*, et sic habuit manifeste in libro suo Boetius : nam pro eo dicit «secundus heres succederet». ERN. — Sic olim Lamb. et nuper Sch. dedere.

8. *Mancipio aliquem dedisse.* Mancipio dare, est rem ita dare, ut evictionem præstaturos nos spondeamus : mancipio accipere, est eadem lege emere : mancipium enim significat domini traditionem. Furtiva mancipio dari non possunt. Quare apud Plaut. in Persa, act. IV, sc. 3, de muliere furto abducta dicitur : «ac suo periculo is emat qui eam mercabitur, Mancipio neque promittet, neque quisquam dabit». PRUST.

9. *Ob eam rem se ulla re obligavit?* Int. ut evictionem præstare teneretur. Nempe quia res, quam mancipio dedit, non erat in rebus mancipi, obligatio illius venditionis locum non habet. ERN.

10. *Et philosophis.* Lamb. *et poetis.* Verius est *et philosophis* ex initio hujus capitis ab interpolatore adjectum esse. SCH.

11. *Quæ hyperbole dicitur.* MS habet «quod... græce dicitur» : quæ scriptura omnia loca suspecta facit, aut vitii arguit, in quibus similis forma est, ut in Orat. II, «quod χαρακτὴρ dicitur». Supra, cap. 7, «quod Græci

bilia alia[12]. Sed latior est campus illorum. Eisdem tamen ex locis, ut ante dixi, et in maximis, et in minimis quæstionibus argumenta ducuntur.

XI. (xii.) Sequitur similitudinem differentia rei, maxime contraria superiori : sed est ejusdem, dissimile et simile invenire. Ejus generis hæc sunt : « Non, quemadmodum quod mulieri debeas, recte ipsi mulieri, sine tutore auctore[1], solvas : ita quod aut pupillæ, aut pupillo debeas[2], recte possis eodem modo solvere ».

Deinceps locus est, qui a contrario dicitur[3]. Contrariorum autem genera sunt plura : unum eorum,

ἔννοιαν dicunt ». In *quæ* consentiunt omnes edd. inde a Ven. Ern.

12. *Et m. m. alia.* Hæc mihi genuina non videntur. Ern. — Id. Sch.

XI. 1. *Sine tutore auctore.* Ernestio vel *auctore* vel *tutore* pro glossa suspectum erat : attamen etiam in orat. pro Cæcina, c. 25, legitur « sine tutore auctore ». Sch. — Quamquam et mulieres et pupilli sub tutoris potestate sint, mulieri tamen recte solvi potest sine tutoris auctoritate : pupillo qui ita solvit, non liberatur. Nam neque hereditatem adire, neque bonorum possessionem petere, neque hereditatem ex fideicommisso suscipere aliter possunt, nisi tutoris auctoritate, quamvis illis lucrosa sit : ne ullum scilicet damnum habeant. De mulierum perpetua tutela nihil in libris Pandectarum legimus : quin contra legimus, emancipari, suique juris fieri non aliter quam mares posse. Cicero tamen in oratione pro Murena his verbis scribit : « mulieres omnes propter infirmitatem consilii majores in tutorum potestate esse voluerunt ». Idem pro Cæcina, « quod mulier sine tutore auctore promisit, non debetur ». De qua tutela legitima intelligendum puto Ciceronis illud in oratione pro Flacco, « usu, inquit, non potuit : nihil enim potuit de tutela legitima sine omnium tutorum auctoritate diminui », loquens de muliere quæ omnia sua bona doti dixerat. Dicendum igitur est, legibus XII Tab. constitutam perpetuam hanc mulierum tutelam; sublatam postea fuisse, ut pleraque alia. Plus tamen esse consilii in femina xii annorum, quam in mare xiii, eædem leges XII Tabul. statuebant; credo quod celerior sit cursus feminarum, ut pubertatis, sic etiam prudentiæ. Gov. — Mulieres quidem sunt in perpetua tutela; quia tamen consilio per ætatem valent, aut valere possunt, hoc iis remissum est, ut quædam sine tutore agere possint. Ern.

2. *Ita quod aut pup. aut pupillo debeas.* Schützius cum Wetzelio corr. « ita quod pupillo aut pupillæ d. »

3. *Qui a contrario dicitur.* Sic edd. Ven. Med. Asc. 1, Ald. 1, Junt. Melanthon. MS V. *dicatur,* quod ipsum rectum est : vulgo *ducitur.* Locus non ducitur a contrario, sed ex eo *ducuntur* argumenta a contrario : ipse *dicitur*

quæ in eodem genere plurimum differunt, ut sapientia et stultitia. Eodem autem genere dicuntur, quibus propositis occurrunt, tamquam e regione, quædam contraria, ut celeritati tarditas, non debilitas[4]. Ex quibus [contrariis[5]] argumenta talia exsistunt: « Si stultitiam fugimus, sapientiam sequamur; et bonitatem, si malitiam». Hæc, quæ ex eodem genere contraria sunt, appellantur adversa[6]. Sunt enim[7] alia contraria, quæ privantia licet appellemus latine, Græci appellant στερητικά[8]. Præpositio enim IN privat[9] verbum ea vi, quam haberet, si IN præpositum non fuisset, ut « dignitas, indignitas; humanitas, inhumanitas», et cetera generis ejusdem : quorum tractatio est eadem, quæ superiorum, quæ adversa dixi. Nam alia quoque sunt contrariorum genera, velut ea, quæ cum aliquo conferuntur: ut duplum, simplum; multa, pauca; longum, breve; majus, minus. Sunt etiam illa valde contraria[10], quæ appellantur negantia; ea ἀποφατικὰ[11]

a contrario. Videtur per errorem operarum irrepsisse. Ern.

4. *Non debilitas*. Hoc inutile est. An fuit « integritati debilitas ? » Sed fortasse spurium est. Ern.

5. *Ex quibus contrariis*. *Contrariis* nimis frigide redundat, additumque est a glossatore. Ern. — Schützius delevit.

6. *Appellantur adversa*. Sic edidi pro *diversa* e MS, e Boetio, ed. Ald. Junt. et sic mox quoque est *superiorum*, quæ *adversa* dixi. Certe in utroque loco debet idem verbum esse, sive *diversa*, sive *adversa*. Sed hoc melioribus auctoribus, latinitate nititur. Ern.

7. *Sunt enim alia c.* An *etiam* pro *enim* legendum, ut in tertio genere mox : « sunt etiam illa ? » Ern.

8. *Græci appellant* στερητικά. Sic edd. ante Aldum et Boetius. Sic et mox « ea ἀποφατικὰ Græci ». Vulgatum tamen « græce appellantur » est in MS V. et ed. Ven. Libros plures sequutus sum. Ern. — Hittorp. et liber MS, qui in Bibliotheca Regia ad Fontem Bellaquensem, cujusque lectiones a Gulielmio Fornerio enotatas ad Suffridum misit anno Ch. LXVII, Hugo Blotius, habebat « Græci appellant », forsan melius. Grut.

9. *Præpositio... privat*. Edd. Med. Asc. I, « præpositione privatur ». Ern.

10. *Illa valde contraria*. Ita Hitt. neque alio ritu Palatinus, qui tamen firmabat scripturam vulgatam « sunt etiam valde contraria alia ». Grut. — Lallem. « valde contr. illa ».

11. Ἀποφατικὰ *Græci*. Boetius addit *vocant* : at MS, edd. Venet. Med. Asc. I, habent *græce*. Ern.

Græci, contraria aientibus[12] : ut, « Si hoc est, illud non est ». Quid enim opus exemplo est ? tantum intelligatur, argumento quærendo, contrariis omnibus contraria non convenire.

XII. (XIII.) Ab adjunctis autem posui equidem exemplum paullo ante, multa scilicet adjungi, quæ suscipienda essent, si statuissemus, ex edicto secundum eas tabulas possessionem dari, quas is instituisset, cui testamenti factio nulla esset. Sed locus hic magis ad conjecturales causas, quæ versantur in judiciis, valet : quum quæritur, quid aut sit, aut evenerit, aut futurum sit, aut quid omnino fieri possit. Ac[1] loci quidem ipsius forma talis est. Admonet autem hic locus, ut quæratur, quid ante rem, quid cum re, quid post rem evenerit. Nihil hoc ad jus[2]; ad Ciceronem, inquiebat[3] Gallus noster, si quis ad eum tale quid retulerat, ut de facto quæreretur. Tu tamen patiere, nullum a me artis institutæ locum præteriri; ne, si nihil[4], nisi quod ad te pertineat, scribendum

12. *Contraria aientibus.* Hæc Wetzelius uncis inclusit, ut spuria. Videtur autem Cicero apposuisse, ut explicaret græcum ἀποφατικὰ etymologiæ notatione. Sch.

XII. 1. *Ac loci.* Ern. *at loci.*

2. *Nihil hoc ad jus.* Facetius autem dixit Gallus « nihil hoc ad nos », scil. jurisconsultos : et sic quoque Boetius legisse videtur : idemque respicit Cicero his verbis, quæ sequuntur, « ne, si nihil, nisi quod ad te pertineat ».

3. *Ad Ciceronem, inq. Gallus noster.* Id est, ad oratorem, qui, quum de facto quæritur, ea debet considerare. Ern.— Idem Ern. habet *inquiebat*, quod et Schütz. — *Gallus.* C. Aquilius Gallus, de quo supra c. 7. Cave hunc confundas (in quem errorem delapsum vides Ernest. in Clav.) cum C. Aquilio Gallo, cui Serv. Sulpicium (cap. 8) operam dedisse refert auctor noster, Brut. 42. Hunc enim Servium quum Cic. cons. consulatum petisse ostendat Ciceronis pro Murena oratio, unde Cicerone ætate eum non minorem fuisse appareat, non sane est verisimile eumdem operam dedisse homini ætate pari, Gallo, Ciceronis in prætura collegæ (Offic. III, 14) : magisque idem V. D. hallucinatur ad hunc eumdem referens locum, Brut. 23, ubi est C. Gallus, cujus filius tutelæ Galbæ fuerat commissus, a. U. 604, a Libone accusatus : unde luce clarius est Gallum patrem ante illum ann. 604 mortuum esse, qui prætor fuerat a. 583, cos. a. 586. Wetz.

4. *Ne, si nihil*, etc. Jocatur M. Tullius cum Trebatio, quem Epicureum

putaris, nimium te amare videare. Est igitur magna ex parte locus hic oratorius, non modo non jurisconsultorum, sed ne philosophorum quidem. Ante rem enim quæruntur, quæ talia sunt, apparatus, colloquia, locus, constitutum, convivium[5]. Cum re autem, pedum crepitus, strepitus hominum, corporum umbræ, et si quid ejusmodi. At post rem, rubor, pallor, titubatio, et si qua alia[6] signa conturbationis et conscientiæ; præterea restinctus ignis, gladius cruentus, ceteraque, quæ suspicionem facti possunt movere.

XIII. (XIV.) Deinceps est locus dialecticorum proprius ex consequentibus, et antecedentibus, et repugnantibus, qui etiam ab adjunctis longe diversus est: nam adjuncta, de quibus paullo ante dictum est, non semper eveniunt; consequentia autem semper. Ea enim dico consequentia, quæ rem necessario consequuntur: itemque et antecedentia et repugnantia: quidquid enim antecedit quamque rem, id cohæret cum re necessario; et quidquid repugnat, id ejusmodi est, ut cohærere numquam possit. Quum tripartito igitur distribuatur locus hic, in consecutionem, antecessionem, repugnantiam, reperiendi argumenti locus simplex est, tractandi triplex: nam quid interest, quum hoc sumpseris, pecuniam numeratam mulieri deberi, cui sit omne argentum legatum, utrum hoc modo concludas argumentum: «Si pecunia signata, argentum est, legata est mulieri: est autem pecunia signata argentum: legata igitur»; an illo modo: «Si numerata pecunia, non est legata, non est numerata

esse sciebat, cujus disciplinæ erat se ipsum amare, et sua causa omnia facere. Vide ad Fam. lib. VIII, Ep. 12.

5. *Constitutum, convivium. Constitutum* quid, vid. in Clav. nec multum differt a loco. Boetius jungit «constitutum convivium», item edd. Med. Ald. Junt. quod est e symbolis: id non contemnendum videtur. Ed. Ven. «institutum convivium». Ern.

6. *Et si qua alia signa*. MS «scilicet qualia signa». Ern.

pecunia argentum : est autem numerata pecunia argentum : legata igitur est»; an illo modo : «Non et legatum argentum est, et non est legata numerata pecunia : legatum autem argentum est : legata igitur numerata pecunia est».

Appellant autem dialectici eam conclusionem argumenti, in qua, quum primum assumpseris [1], consequitur id, quod annexum est, primum conclusionis modum; quum id, quod annexum est [2], negaris, ut id quoque, cui fuerit annexum, negandum sit, secundus appellatur concludendi modus; quum autem [3] aliqua conjuncta negaris [et his alia negatio rursus adjungitur [4]], et ex his primum sumpseris, ut, quod relinquitur, tollendum sit, is tertius appellatur conclusionis modus. Ex hoc illa rhetorum sunt ex contrariis conclusa, quæ ipsi enthymemata [5] appellant : non

XIII. 1. *Quum primum assumpseris.* Schützius *sumpseris* cum ed. Omnib. — Septem syllogismorum hypotheticorum, seu conditionalium, ut vocant, modos hic subjicit Tullius. Ac primus quidem is est, quo quum assumpseris id quod primum est, recte concludis quod conjunctum est : verbi gratia : Si justus est, jus suum unicuique reddit : atqui justus est : ergo jus suum unicuique reddit. Prust.

2. *Quum id, quod annexum est.* Alter syllogismi modus priori oppositus, quo quum negatum illud fuerit quod conjunctum est, id quoque cui fuerit conjunctum negari oportet : ut, si jus unicuique suum non reddit, justus non est; atque jus suum unicuique non reddit : ergo justus non est : improbabitur a severioribus dialecticis hic argumentandi modus : contendunt enim ex propositionibus negantibus nihil posse colligi. At facile fuerit ad legitimam formam sic revocare : Qui jus suum unicuique reddit, justus est : atqui hic jus suum unicuique non reddit; ergo hic justus non est. Prust.

3. *Quum autem.* Tertius est hic argumentandi modus, quo, ut explicat Victorius, pronuntiato connexo duplex negatio additur, quarum una toti propositioni, altera posteriori parti præfigitur : tum in assumptione prior pars affirmatur, ut in conclusione negatur posterior : cujus hoc sit exemplum. Non si jus suum unicuique reddit, non justus est : atqui jus suum unicuique reddit : justus est igitur. Ad primam argumentandi formam refertur hic syllogismus : duplex enim negatio vim habet affirmationis. Prust.

4. *Et his ... adj.* Hæc Schützius, ut interpolata, omnino delevit.

5. *Enthymemata.* Vulgari notione significat enthymema syllogismum imperfectum ex duabus constantem par-

quod non omnis sententia proprio nomine enthymema dicatur; sed, ut Homerus propter excellentiam commune poetarum nomen efficit apud Græcos suum; sic, quum omnis sententia enthymema dicatur, quia videtur ea, quæ ex contrariis conficiatur, acutissima, sola proprie nomen commune possidet. Ejus generis hæc sunt : « Hunc metuere, alterum in metu non ponere[6]? — Eam, quam nihil accusas, damnas; bene quam meritam esse autumas, dicis male mereri? — Id, quod scis, prodest nihil; id, quod nescis, obest ».

XIV. Hoc disserendi genus attingit omnino vestras[1] quoque in respondendo disputationes : sed philosophorum magis; quibus est cum oratoribus illa ex repugnantibus[2] sententiis communis conclusio, quæ a dialecticis tertius modus, a rhetoribus enthymema nuncupatur. Reliqui dialecticorum modi plures sunt, qui ex disjunctionibus constant : Aut hoc, aut illud[3]; hoc autem; non igitur illud. Itemque, Aut hoc, aut illud[4]; non autem hoc; illud igitur. Quæ conclusiones idcirco ratæ sunt, quod in disjunctione plus uno verum esse non potest. Atque ex iis conclusionibus, quas supra scripsi, prior, quartus; poste-

tibus, qualis est hic : Laudanda est omnis virtus, ergo et ipsa justitia. Hic autem enthymema sumitur pro acuta sententia, quæ ex contrariis conficitur. Tale est illud Cicer. pro Milone, c. 29 : « Ejus igitur mortis sedetis ultores, cujus vitam si putetis per vos restitui posse, nolletis ». Enthymema proprie est cogitatio, inventum, ἀπὸ τοῦ ἐνθυμεῖσθαι, intelligere, concipere. Prust. — Cf. Quint. V, 10, 14, VIII, 4.

6. *Hunc metuere ... ponere?* Sic ista cum interrogandi nota exprimenda curavi : nam enthymema, quod proprie dicitur, est interrogatio e contrariis, ut illud Horatii, « cur optas, quod habes? » Ern.

XIV. 1. *Vestras.* Sc. tuas, Trebati, aliorumque Jctorum. Male in ed. Omnib. et Kob. *nostras.* Sch.

2. *Repugnantibus.* Schütz. cum ed. Omnib. *pugnantibus.*

3. *Aut hoc, aut illud.* Quartus hic argumentandi modus est hujusmodi : Judex hic aut justus est, aut injustus : est autem justus; non igitur injustus. Prust.

4. *Aut hoc, aut illud.* Quintum hic exponit argumentandi modum, cujus hoc exemplum : Judex hic aut

rior, quintus a dialecticis modus appellatur. Deinde addunt conjunctionum negantiam, sic: Non[5] et hoc est, et illud; hoc autem; non igitur illud. Hic modus est sextus. Septimus autem, Non et hoc[6], et illud; non autem hoc; illud igitur. Ex his modis conclusiones innumerabiles nascuntur, in quo est fere tota dialectica. Sed ne eæ quidem, quas exposui, ad hanc institutionem sunt necessariæ.

XV. (xv.) Proximus est locus rerum efficientium, quæ causæ appellantur; deinde rerum effectarum ab efficientibus causis. Harum exempla, ut reliquorum locorum, paullo ante posui, et quidem ex jure civili: sed hæc patent latius. Causarum igitur genera duo sunt: unum, quod vi sua id, quod sub ea subjectum est, certo efficit[1], ut ignis accendit; alterum, quod naturam efficiendi non habet[2], sed sine quo effici non possit: ut, « si quis æs causam statuæ velit dicere, quod sine eo non possit effici ». Hujus generis causarum, sine quo non efficitur, alia sunt quieta, nihil agentia, stolida quodam modo; ut locus, tempus, materiæ, ferramenta, et cetera generis ejusdem; alia autem præcursionem[3] quamdam adhibent ad efficiendum, et quædam afferunt per se adjuvantia, etsi non necessaria, ut amori congressio causam attulerit, amor flagitio. Ex hoc genere causarum, ex æternitate pendentium, fatum a stoicis nectitur. Atque ut earum

justus est, aut injustus; non est autem justus: ergo est injustus. Prust.

5. *Non et hoc est.* Exemplum sit: Non et justus est, et injustus: est autem justus; non igitur injustus. Prust.

6. *Non et hoc.* Tale est illud: non et justus est, et injustus: non autem injustus: ergo justus. Prust.

XV. 1. *Certo efficit.* Vulgo male *certe.* Sed sic et c. 16. Ern.

2. *Naturam efficiendi non habet.* Sic edd. pr. non *habeat*, quod locum non habet. Quia in altero membro est *possit*, prius ei accommodavere: sed in altero non ita pro certo pronuntiatur. Est Græcorum οὐκ ἂν δύναιτο.

3. *Præcursionem quamdam adh.* Exquisite in hoc loco pro *habent*, quia illa præcursio adjuvat. Mox pro *afferunt* MS V. *efferunt*. Ern.

causarum, sine quibus effici non potest, genera divisi; sic etiam efficientium dividi possunt. Sunt enim aliæ causæ, quæ plane efficiant, nulla re adjuvante; aliæ, quæ adjuvari velint: ut sapientia efficit sapientes sola per se; beatos efficiat, necne, sola per se, quæstio est. Quare quum in disputationem inciderit causa efficiens aliquid necessario, sine dubitatione licebit, quod efficitur ab ea causa, concludere.

XVI. Quum autem erit talis causa, ut in ea non sit efficiendi necessitas; necessaria conclusio non sequitur. Atque illud quidem genus causarum, quod habet vim efficiendi necessariam, errorem afferre non fere solet; hoc autem, sine quo[1] non efficitur, sæpe conturbat. Non enim, si sine parentibus filii esse non possunt, propterea causa fuit in parentibus gignendi necessaria. Hoc igitur, sine quo non fit, ab eo, a quo certo fit[2], diligenter est separandum. Illud enim est tamquam,

> Utinam ne in nemore Pelio securibus
> Cæsa cecidisset[3] abiegna ad terram trabes!

Nisi enim cecidisset abiegna[4] ad terram trabes, Argo illa facta non esset: nec tamen fuit in his trabibus efficiendi vis necessaria. At quum in Ajacis navim «crispisulcans[5] igneum fulmen» injectum est, inflam-

XVI. 1. *Hoc autem, sine quo.* Boetius putat Ciceronem hæc plenius dicere debuisse, v. c. «hoc autem, quod non habet efficiendi vim necessariam, vel sine quo non efficitur, sæpe conturbat». Ceterum sic esse a Cicerone scriptum, ut editur, patet e sequentibus, ubi pariter genus, sine quo non fit, solum ponitur. Ern.

2. *A quo certo fit.* Sic dedit Ernest. et post eum Schütz. ex ed. Ven. Ald. pro «in quo certe fit».

3. *Cæsa cecidisset abiegna.* Schützius dat «cæsa accidisset». Vid. de Invent. I, 49.

4. *Cecidisset abiegna.* Schützius cum Lallem. «cecidissent abiegnæ». Hæc, inquit Sch. lectio præferenda alteri. Cicero enim poeticam dictionem in pedestrem sermonem convertit. Et plurali opus esse docent sequentia.

5. *Crispisulcans.* Boetius divise accepit, et *crispi* refert ad *Ajacis*. In

matur navis necessario. Atque etiam est causarum dissimilitudo, quod aliæ sunt, ut sine ulla appetitione animi, sine voluntate, sine opinione, suum quasi opus efficiant, velut, ut omne intereat, quod ortum est; aliæ autem aut voluntate efficiuntur[6], aut perturbatione animi, aut habitu, aut natura, aut arte, aut casu : voluntate, ut tu, quum hunc libellum legis; perturbatione, ut si quis eventum horum temporum timeat; habitu, ut facile et cito irascatur; natura, ut vitium in dies crescat; arte, ut bene pingat; casu, ut prospere naviget. Nihil horum sine causa, nec quidquam omnino; sed hujusmodi causæ non necessariæ.

XVII. (xvi.) Omnium autem causarum in aliis inest constantia, in aliis non inest. In natura, et in arte constantia est, in ceteris nulla. Sed tamen earum causarum, quæ non sunt constantes, aliæ sunt perspicuæ, aliæ latent. Perspicuæ sunt, quæ appetitionem animi judiciumque tangunt; latent, quæ subjectæ sunt fortunæ. Quum enim nihil sine causa fiat; hoc ipsum est fortunæ eventus[1], obscura causa, quæ latenter efficitur. Etiam ea, quæ fiunt[2], partim sunt ignorata,

Ajacis crispi navim fulmen, etc. Favet MS V. qui inter *crispi* et *vulcans* intervallum habet, ut duo verba sint. Ern.

6. *Aut voluntate efficiuntur*. Schützius corrigit *efficiunt*, et sic habet Lallem.

XVII. 1. *Hoc ipsum est fortunæ eventus, obscura causa*. Locus difficilis, in quo et libri valde variant, et sine dubio vitiosus MS noster habet : « hoc ipsum scilicet fortunæ eventus, etc. » Ed. Ven. « hoc ipsum fortunæ eventus obscura causa. l. eff. » Unde sane melior lectio constitui potest. Nempe « fortunæ eventus » est glossa, delendumque *est* et *quæ*. Ern. — Hittorp. et Bellaq. exemplar « causa latenter efficit ». A Palat. abest vocula tertia *est*, ut forte rescribendum sit : « hoc ipsum fortunæ eventus, obscura causa, latenter efficit ». Grut. — Schützius dat : « hoc ipsum est fortunæ eventum, causa quod latente efficitur ».

2. *Etiam ea, quæ fiunt, partim sunt ign*. Sic e MSS et ed. Ven. dedi. Vulgo « etiam ut ea ... p. sint ». Ern. — Grut. qui vulg. tenet ait : obsequutus fuissem libro Pal. et Bellaquensi, in quibus non erat *ut*, nisi indicasset Lambinus Ant. Goveanum excludere illud etiam

partim voluntaria: ignorata, quæ necessitate effecta sunt; voluntaria[3], quæ consilio. Quæ autem fortuna, vel ignorata, vel voluntaria. Nam jacere telum, voluntatis est; ferire, quem nolueris[4], fortunæ. Ex quo aries ille subjicitur[5] in vestris actionibus: si telum manu fugit magis, quam jecit[6]. Cadunt etiam[7] in ignorationem atque in imprudentiam perturbationes animi: quæ, quamquam sunt voluntariæ[8] (objurgatione enim, et admonitione dejiciuntur), tamen habent tantos motus, ut ea, quæ voluntaria sunt, aut necessaria interdum, aut certe ignorata videantur. Toto igitur loco causarum explicato, ex earum differentia in magnis quidem causis vel oratorum, vel philosophorum, magna argumentorum suppetit copia; in vestris autem, si non uberior, at fortasse subtilior. Privata enim judicia maximarum quidem rerum in jurisconsultorum mihi videntur esse prudentia. Nam et adsunt multum, et adhibentur in consilio; et patronis diligentibus, ad eorum prudentiam confugientibus, hastas ministrant.

faventibus membranis et Memmii et Brissonii: ut scilicet hæc cohæreant cum prioribus: et tamen restat in Pal. « partim *sunt* », non *sint*, ut ceteræ habent editiones.

3. *Voluntaria... quæ nec. eff. s. vol. quæ consilio. Quæ aut fort. vel ig. vel vol.* Pro his Schützius simpliciter dat: « ignorata, quæ fortuna effecta sunt; voluntaria, quæ consilio ».

4. *Quem nolueris.* Edd. Med. Asc. *quem volueris*: eamdem in hoc ipso exemplo varietatem alio loco notavimus. Ern.

5. *Ex quo aries ille subjicitur.* Quidam libri non habent illud *subjicitur*: sed verbum elegantius est, quam pro glossatoris ingenio. Ern. — Id est, ex quo firmissima illa defensio. Metaphora ducta a machina bellica, quæ aries dicitur. Proust.

6. *Manu fugit magis, quam jecit.* Edd. Med. Asc. *manum.* MS *injecit.* Voluit forte dare *conjecit.* Ern.

7. *Cadunt etiam.* Edd. Med. Asc. *enim.* Ald. et Junt. delent. E duobus MSS *etiam* dedit Gruterus, quod verum est. Est enim novum genus: et sic est etiam in ed. Ven. Ern.

8. *Quamquam sunt voluntariæ.* Sic dedi pro vulgato, sed vitioso *sint.* Edd. ps. ut Ven. habent « tamquam sint vol. » Vitiose, et sine sensu: sed inde apparet unde *sint* ortum sit. Ern.

In omnibus igitur iis judiciis, in quibus, EX FIDE BONA, est additum; ubi vero etiam, UT INTER[9] BONOS BENE AGIER[10]; inprimisque in arbitrio[11] rei uxoriæ, in quo est, [QUID] ÆQUIUS, MELIUS[12], parati esse debent. Illi enim dolum malum, illi fidem bonam, illi æquum, bonum, illi, quid socium socio; quid eum, qui negotia aliena curasset, ei, cujus ea negotia fuissent; quid eum, qui mandasset, eumve, cui mandatum esset, alterum alteri præstare oporteret, quid virum uxori, quid uxorem viro, tradiderunt. Licebit igitur, diligenter cognitis argumentorum locis, non modo oratoribus et philosophis, sed juris etiam peritis copiose de consultationibus suis disputare.

XVIII. (XVII.) Conjunctus huic causarum loco locus ille est[1], qui efficitur ex causis. Ut enim causa effectum indicat, sic quod effectum est, quæ fuerit causa, demonstrat. Hic locus suppeditare solet oratoribus et poetis, sæpe etiam philosophis, sed iis, qui ornate et copiose loqui possunt, mirabilem copiam dicendi, quum denuntiant, quid ex quaque re sit futurum. Causarum enim cognitio cognitionem eventorum facit.

(XVIII.) Reliquus est comparationis locus, cujus genus et exemplum supra positum est, ut ceterorum; nunc explicanda tractatio est. Comparantur igitur ea,

9. *Ut inter.* Schützius delet *ut*, quod dicit a melioribus libris excludi, conferrique jubet Heusing. ad Cic. Off. III, 17, 7.

10. *Bene agier.* Lallem. addit, *oportet.*

11. *In arbitrio rei uxoriæ.* Arbitrium rei uxoriæ tunc erat, quum post divortium de dote controversia oriebatur. Matrimonio contracto, dos penes virum erat; at ubi divortium contigisset, si viri culpa, bonum et æquum exigebat nihil apud virum remanere; si mulieris, ipsa dotem amittebat. PRUST.

12. *Quid æquius, melius.* Edd. Med. Asc. « quid ejus melius æquiusve ». Ven. *quid eis.* ERN. — Schützius delet *quid*, ut glossatoris, auctore Heusing. l. laudato.

XVIII. 1. *Ille est, qui efficitur ex causis.* Sch. dat quasi sensu postulante, « ille est, rerum quæ efficiuntur ex causis ».

quæ aut majora, aut minora, aut paria dicuntur: in quibus spectantur hæc, numerus, species, vis, quædam etiam ad res aliquas affectio.

Numero sic comparabuntur, plura bona[2] ut paucioribus bonis anteponantur, pauciora mala malis pluribus, diuturniora bona brevioribus, longe et late pervagata[3] angustis; ex quibus plura bona propagentur, quæque plures imitentur et faciant.

Specie autem comparantur, ut anteponantur, quæ propter se expetenda sunt, iis, quæ propter aliud; et ut innata atque insita, assumptis et adventitiis, integra contaminatis, jucunda minus jucundis, honesta ipsis etiam utilibus, proclivia laboriosis, necessaria non necessariis, sua alienis, rara vulgaribus, desiderabilia iis, quibus facile carere possis, perfecta inchoatis, tota partibus, ratione utentia rationis expertibus, voluntaria necessariis, animata inanimatis, naturalia non naturalibus, artificiosa non artificiosis.

Vis autem in comparatione sic cernitur: efficiens causa gravior, quam non efficiens; quæ se ipsis contenta sunt, meliora, quam quæ egent aliis; quæ in nostra, quam quæ in aliorum potestate sunt; stabilia incertis; quæ eripi non possunt, iis, quæ possunt.

Affectio autem ad res aliquas, est hujusmodi: principum commoda majora, quam reliquorum; itemque, quæ jucundiora, quæ pluribus probata, quæ ab optimo quoque laudata. Atque, ut hæc in comparatione meliora, sic deteriora, quæ iis sunt contraria.

Parium autem comparatio nec elationem[4] habet,

2. *Plura bona ut paucioribus.* Hic ordo est ex edd. pr. plerisque, isque elegantior vulgato *ut pl. b. p.* qui est in ed. Ven. Ern.

3. *Pervagata...faciant.* Lambinus: « pervagata, ex quibus plura bona propagentur, quæque plures imitentur, et faciant, angustis »: post *et faciant*, Schützius addit *contrariis.*

4. *Nec elationem habet.* Vid. Clav. in *elatio.* Ed. Ven. *habeat.* Non male, ut sit præcipientis. Ern.

nec submissionem : est enim æqualis. Multa autem sunt, quæ æqualitate ipsa comparentur[5]; quæ ita fere concluduntur : « Si consilio juvare cives et auxilio, æqua in laude ponendum est; pari gloria debent esse ii, qui consulunt, et ii, qui defendunt : at[6], quod primum, est : quod sequitur igitur ».

Perfecta est omnis argumentorum inveniendorum præceptio, ut, quum profectus sis a definitione, a partitione, a notatione, a conjugatis, a genere, a forma, a similitudine, a differentia, a contrariis, ab adjunctis, a consequentibus, ab antecedentibus, a repugnantibus, a causis, ab affectis, a comparatione majorum, minorum, parium, nulla præterea sedes argumenti quærenda sit.

XIX. (XIX.) Sed quoniam ita a principio divisimus, ut alios locos diceremus in eo ipso, de quo ambigitur, hærere, de quibus satis est dictum, alios assumi extrinsecus; de iis[1] pauca dicamus : etsi ea nihil omnino ad vestras disputationes pertinent; sed tamen totam rem perficiamus, quandoquidem cœpimus. Neque enim tu is es, quem nihil, nisi jus civile, delectet : et quoniam ad te hæc ita scribuntur, ut etiam in aliorum manus sint ventura, detur opera, ut quam plurimum iis, quos recta studia delectant, prodesse possimus.

Hæc ergo argumentatio, quæ dicitur artis expers, in testimonio posita est. Testimonium autem nunc dicimus omne, quod ab aliqua re externa sumitur ad faciendam fidem. Persona autem non qualiscumque

5. *Comparentur.* Sic correxit Ern. ex ed. Ven. pro *comparantur*, quem Sch. non sequutus est.

6. *At, quod primum, est.* Sic interpunxi locum qui in vulgatis est sine interpunctione. Boetius etiam sic legit, atque hoc explicavit : dialecticorum more breviter prolata est assumptio et conclusio : sed, ut opinor, primum *quod* melius absit. Ern.

XIX. 1. *De iis.* Schütz. *de his* cum ed. Kob.

testimonii pondus habet : ad faciendam enim fidem auctoritas quæritur. Sed auctoritatem aut natura, aut tempus affert. Naturæ auctoritas in virtute inest maxime [2]; in tempore autem multa sunt, quæ afferant auctoritatem, ingenium, opes, ætas, fortuna, ars, usus, necessitas, concursio etiam nonnumquam rerum fortuitarum. Nam et ingeniosos, et opulentos, et ætatis spatio probatos, dignos, quibus credatur, putant : non recte fortasse; sed vulgi opinio mutari vix potest, ad eamque omnia dirigunt, et qui judicant, et qui existimant. Qui enim his rebus, quas dixi, excellunt, ipsa virtute videntur excellere. Sed reliquis quoque rebus, quas modo enumeravi, quamquam in iis nulla species virtutis est, tamen interdum confirmatur fides, si aut ars quædam adhibetur; magna enim est vis ad persuadendum, scientiæ : aut usus; plerumque enim creditur iis, qui experti sunt.

XX. Facit etiam necessitas fidem, quæ quum a corporibus, tum ab animis nascitur. Nam et verberibus, tormentis [1], igni fatigati quæ dicunt, ea videtur veritas ipsa dicere; et quæ a perturbationibus animi sunt, dolore, cupiditate, iracundia, metu, quia necessitatis vim habent, afferunt auctoritatem et fidem [2]. Cujus generis etiam illa sunt, ex quibus nonnumquam verum invenitur, pueritia, somnus, imprudentia, vinolentia, insania. Nam et pueri sæpe indicaverunt aliquid, ad quod pertineret, ignari; et per somnum, vinum, insaniam, multa sæpe patefacta sunt. Multi etiam in res odiosas imprudentes inciderunt, ut Sta-

2. *Naturæ ... inest maxime.* MSS tres apud Gruterum *maxima*, idque ipse probat; sic et MS V. Verum puto. Sed parum refert. Ern.

XX. 1. *Nam et verberibus, tormentis, igni fatigati.* De hac quæstione cf. Quint. V, 4; Ulpianum, Dig. lib. I, § de quæstione.

2. *Et fidem.* Hic Sch. collocavit sententiam : «Concursio autem fort. ... aut diceretur», quæ vulgo infra legitur post «Pausania accepimus».

leno[3] nuper accidit : qui ea loquutus est, bonis viris subauscultantibus, pariete interposito, quibus patefactis, in judiciumque prolatis, rei capitalis jure damnatus est. Huic simile quiddam de Lacedæmonio Pausania[4] accepimus.

Concursio autem fortuitorum talis est, ut, si interventum est casu, quum aut ageretur aliquid, quod proferendum non esset, aut diceretur. In hoc genere etiam illa est in Palamedem[5] conjecta suspicionum proditionis multitudo : quod genus refutare interdum veritas vix potest. Hujus etiam generis est fama vulgi, quoddam multitudinis testimonium.

Quæ autem virtute fidem faciunt, ea bipertita[6] sunt: ex quibus alterum natura valet, alterum industria.

3. *Ut Staleno.* Hic quoque vulgo editur *Staieno :* sed illud verum esse docet oratio pro Cluent. cap. 7, 24. Vid. ad Brut. c. 68. Edd. vett. quædam *Stalerio*, ut ipsa Ven. Ern. — Vid. Verr. II, 32; Niebuhr. Frag. p. 57, credit omnibus in locis legendum esse *Staieno.* — Illi videmus ex Verrinis grandem pecuniam a Statio Albio ad corrumpendos judices datam.

4. *De Lacedæmonio Pausania.* Pausanias Lacedæmonius, quum de patria Persarum regi tradenda cogitaret, Argilio adolescentulo epistolam ad Artabazum ferendam dedit. Argilius in suspicionem venit aliquid in ea de se esse scriptum, quod nemo eorum rediisset, qui super tali causa eodem missi erant : resignata epistola cognovit, si pertulisset, sibi esse pereundum. Erant in eadem epistola, quæ ad ea pertinebant, quæ inter regem Pausaniamque convenerant. Has ille literas Ephoris tradidit, qui Argilium jusserunt ad aram in fanum Neptuni confugere : locum autem sub terra fecerant, ex quo posset audiri, si quis quid loqueretur cum Argilio; huc ex Ephoris quidam descenderunt. Pausanias audita causa cur Argilius supplex in ara sederet, perturbatus orare cepit, ne quid enuntiaret, nec se meritum de illo optime proderet. His cognitis, Ephori hominem suo convictum testimonio, in æde Minervæ conclusum fame enecarunt, anno II olymp. LXXVIII. Thucydid. lib. I, et Cornelius Nepos. Paust.

5. *In Palamedem.* Hic Ulyssis, qui, ne ad bellum Trojanum proficisceretur, insaniam simulabat, fraudem detexit. Irritatus subinde Ulysses suppositias Priami ad Palamedem de prodendis Græcis literas fingit, quibus magnam pecuniæ vim mittere se aiebat Priamus. Accusatur Palamedes, cujus interim in tentorio auri pondus furtim infodi curaverat Ulysses. Hic illius causam tueri se simulat, nec ante damnandum contendit, quam aurum a Priamo missum reperiretur. Auro reperto Palamedes quasi reus lapidibus obrutus est. Servius in II Æn. Paust.

6. *Bipertita.* Ern. Lallem. *bipartita.*

Deorum enim virtus natura excellit; hominum autem industria.

Divina hæc fere sunt testimonia: primum orationis (oracula enim ex eo ipso appellata sunt, quod inest in his deorum oratio); deinde rerum, in quibus insunt quasi opera divina quædam[7]; primum ipse mundus, ejusque omnis ordo et ornatus; deinceps aerei volatus avium atque cantus; deinde ejusdem aeris sonitus et ardores, multarumque rerum in terra portenta; atque etiam per exta inventa præsensio; a dormientibus quoque multa significata vivis[8]: quibus ex locis sumi interdum solent ad fidem faciendam testimonia deorum.

In homine virtutis opinio valet plurimum. Opinio autem est, non modo eos virtutem habere, qui habeant, sed eos etiam, qui habere videantur. Itaque, quos ingenio, quos studio, quos doctrina præditos vident, quorumque vitam constantem et probatam, ut Catonis, Lælii, Scipionis, aliorumque plurium, rentur eos esse, quales se ipsi velint. Nec solum eos censent tales esse, qui in honoribus populi, reque publica[9] versantur, sed et oratores, et philosophos, et poetas, et historicos: ex quorum et dictis et scriptis sæpe auctoritas petitur ad faciendam fidem.

XXI. (xx.) Expositis omnibus argumentandi locis, illud primum intelligendum est, nec ullam esse disputationem, in quam non aliquis locus incurrat, nec fere omnes locos incidere in omnem quæstionem, sed quibusdam quæstionibus alios esse aptiores locos[1].

7. *Quasi opera divina quædam.* *Quasi oracula div. q.* leg. puto. Dii enim per res mutas et inanimes (cujusmodi mundus est, et ejus omnis ornatus) loqui nobiscum videntur, et futura præmonstrare: quemadmodum scribit Tullius in libris de Divinatione. Gov.

8. *Vivis.* Ern. Sch. Lallem. *visis.*

9. *Reque publica.* « atque in republica » Victor. Lallem.

XXI. 1. *Sed quibusdam quæstion.*

Quæstionum duo sunt genera : alterum infinitum, alterum definitum. Definitum est, quod ὑπόθεσιν Græci[2], nos causam ; infinitum, quod θέσιν illi appellant, nos propositum possumus nominare.

Causa certis personis, locis, temporibus, actionibus, negotiis cernitur, aut in omnibus, aut in plerisque eorum ; propositum autem, in aliquo eorum, aut in pluribus, nec tamen in maximis. Itaque propositum pars causæ est[3]. Sed omnis quæstio earum aliqua de re est, quibus causæ continentur, aut una, aut pluribus, aut nonnumquam omnibus. Quæstionum autem[4], quacumque de re sint, duo sunt genera : unum cognitionis, alterum actionis. Cognitionis sunt hæ, quarum finis est scientia : ut, «Si quæratur, a naturane jus profectum sit, an ab aliqua quasi conditione hominum et pactione». Actionis autem hujusmodi exempla sunt : «Sitne sapientis ad rempublicam accedere». Cognitionis quæstiones tripartitæ sunt, quum, an sit, aut quid sit, aut quale sit, quæritur. Horum primum conjectura, secundum definitione, tertium juris et injuriæ distinctione explicatur.

Conjecturæ ratio in quatuor partes distributa est : quarum una est, quum quæritur, sitne aliquid ; altera,

al. esse op. locos. Sic eleganter MS V. quod sequutus sum. Vulg. «quibusdam quæstionibus alios, quibusdam esse alios aptiores locos», quod est frigidissimum. *Sed* pro *et* dedimus ex ed. Ven. Ern. — De re conf. Inv. I, 6 ; Quint. III, 5, 8, VII, 1 ; Part. I, 8 ; de Orat. II, 19.

2. *Quod* ὑπόθεσιν *Græci*. Hic tolerabilius *quod*, quia referri ad *definitum* potest : ut cap. seq. ubi «quam Græci χαρ. vocant» ad descriptionem refertur ; et cap. 25, «eam κρινόμενον v.» ad contentionem. Ern.

3. *Propositum pars causæ est.* Est quasi pars : videtur enim causa propositum includere : verbi gratia, hæc causa, An bellum Romani debeant inferre Carthaginiensibus, includit hanc quasi partem, quod propositum est : an bellum inferri debeat. Prust.

4. *Quæstionum autem.* Schützius «quæst. autem propositarum». Hoc, inquit, addidi, quod recte abesse nequit. Ita enim infra quæstione hac absoluta, cap. 21, his verbis finitur : «hæc quum in propositis quæstionibus genera sint». Sch.

unde ortum sit; tertia, quæ id causa effecerit; quarta, in qua de mutatione rei quæritur. Sit, necne sit: « Ecquidnam[5] honestum sit; ecquid æquum re vera; an hæc tantum in opinione sint ». Unde autem sit ortum, ut, quum quæritur, « Natura, an doctrina possit effici virtus ». Causa autem efficiens sic, ut, quum quæritur, « Quibus rebus eloquentia efficiatur ». De commutatione, sic: « Possitne eloquentia commutatione aliqua converti in infantiam ».

XXII. Quum autem, quid sit, quæritur; notio explicanda est, et proprietas, et divisio, et partitio: hæc enim sunt definitioni attributa. Additur etiam descriptio, quam Græci χαρακτῆρα[1] vocant. Notio sic quæritur: « Sitne id æquum, quod ei, qui plus potest, utile est ». Proprietas sic: « In hominemne solum cadat, an etiam in belluas ægritudo ». Divisio, et eodem pacto partitio, sic: « Triane genera bonorum sint ». Descriptio, « Qualis sit avarus, qualis assentator », ceteraque ejusdem generis, in quibus natura et vita describitur.

Quum autem quæritur, quale quid sit, aut simpliciter quæritur, aut comparate: simpliciter, « Expetendane sit gloria? » comparate: « Præponendane sit divitiis gloria? » Simplicium tria genera sunt: de expetendo fugiendoque; de æquo et iniquo; de honesto et turpi. Comparationum autem duo, unum de eodem et alio; alterum de majore et minore. De expetendo et fugiendo, hujusmodi: « Si expetendæ[2] di-

5. *Ecquidnam.* Lallem. « sic: Ecquidnam ».

XXII. 1. *Quam Græci* χαρακτῆρα. Hoc est a Victorio, qui hanc dicit esse vetustam lectionem. Sane sic alibi appellat Cicero græce: ceterum in Mediol. locus vacuus est: in Asc. 1, διαγραφὴν, pro quo manus docta in exemplo meo scripsit ὑπογραφήν. In aliis ut Junt. καταγραφὴν, ut opinor, e corrupta scriptura ed. Ven. καταγραφὴν. Ern. — Schütz. dat *quem* pro *quam*.

2. *Si expetendæ div.* Lambinus sup-

vitiæ, si fugienda paupertas?» De æquo et iniquo: «Æquumne sit ulcisci, a quocumque injuriam acceperis?» De honesto et turpi: «Honestumne sit, pro patria mori?» Ex altero autem genere, quod erat bipartitum, unum est de eodem et alio: ut, si quæratur, «Quid intersit inter amicum et assentatorem, regem et tyrannum». Alterum de majore et minore: ut, si quæratur, «Eloquentiane pluris sit, an juris civilis scientia». (XXI.) De cognitionis quæstionibus hactenus.

Actionis reliquæ sunt; quarum duo sunt genera: unum ad officium, alterum ad motum animi vel gignendum, vel sedandum, planeve tollendum. Ad officium sic: ut, quum quæritur, «Suscipiendine sint liberi». Ad movendos animos, quum fiunt cohortationes ad defendendam rempublicam, ad gloriam, et ad laudem: quo ex genere sunt querelæ, incitationes miserationesque flebiles, rursusque oratio quum iracundiam restinguens[3], tum metum eripiens, tum exsultantem lætitiam comprimens, tum ægritudinem abstergens. Hæc quum in propositis quæstionibus genera sint, eadem in causas transferuntur.

XXIII. (XXII.) Loci autem qui ad quasque quæstiones accommodati sunt, deinceps est videndum. Omnes quidem illi, quos supra diximus, ad plerasque sunt; sed alii ad alias, ut dixi, aptiores. Ad conjecturam igitur maxime apta, quæ ex causis, quæ ex effectis, quæ ex conjunctis sumi possunt. Ad[1] definitionem autem pertinet ratio et scientia definiendi. Atque huic generi finitimum est illud, quod appellari de eodem

posuit «sintne exp. ... sitne fug.» Sed non adjutus a MSS libris: alterum sane recte dici pluribus ostendit Cujacius Observ. lib. III, cap. 37. Grut. — Ern. dicit *si* pro *an* poni plurimis locis, ut Div. XV, 1, II, 34, etc. Lallem. delet *si* ante *fug. paup.* — De re cf. Quintil. III, 6, VII, 3.

3. *Restinguens*. Ed. Omnib. *restringens*. Sch.

XXIII. 1. *Ad definitionem*. Id est, ad statum definitionis. Pauvr.

et altero diximus : quod genus forma quædam definitionis est. Si enim quæratur, « Idemne sit pertinacia et perseverantia », definitionibus judicandum est. Loci autem convenient in ejus generis quæstionem consequentes, antecedentes, repugnantes, adjunctis etiam duobus iis, qui sumuntur ex causis et effectis. Nam si hanc rem illa sequitur, hanc autem non sequitur; aut si huic rei illa antecedit, huic non antecedit; aut si huic rei repugnat, illi non repugnat; aut si hujus rei hæc, illius alia causa est; aut si ex alio hoc, ex alio illud effectum est : ex quovis horum id, de quo quæritur, idemne, an aliud sit, inveniri potest. (XXIII.) Ad tertium genus quæstionis, in quo, quale sit, quæritur, in comparationem ea cadunt, quæ paullo ante in comparationis loco enumerata sunt. In illud autem genus, in quo de expetendo fugiendoque quæritur, adhibentur ea, quæ sunt aut animi, aut corporis, aut externa vel commoda, vel incommoda. Itemque quum de honesto turpique quæritur, ad animi bona, vel mala, omnis dirigenda oratio est. Quum autem de æquo et iniquo disseritur, æquitatis loci colliguntur. Hi cernuntur bipartito, et natura, et instituto. Natura partes habet duas, tuitionem sui, et ulciscendi jus. Institutio[2] autem æquitatis tripartita est : una pars legitima[3] est, altera conveniens, tertia moris vetustate confirmata. Atque etiam rursus æquitas tripartita dicitur esse : una ad superos deos, altera ad manes, tertia ad homines pertinere. Prima pietas, secunda sanctitas[4], tertia justitia aut æquitas nominatur[5].

2. *Institutio autem æq. tripart. est.* Schützius dat : « Instituto autem æquitas trip. est ».

3. *Una pars legitima.* Jus institutum tres in partes distribuitur : una pars legibus, altera pactis et conventis, tertia consuetudine antiqua constat. PAUST.

4. *Sanctitas.* MS habet lacunam in hoc verbo. ERN.

5. *Nominatur.* Totam hanc sententiam a verbis « atque etiam rursus »

XXIV. (XXIV.) De proposito satis multa: deinceps de causa pauciora dicenda sunt. Pleraque enim sunt ei cum proposito communia.

Tria sunt igitur genera causarum: judicii, deliberationis, laudationis. Quarum [1] fines ipsi declarant, quibus utendum locis sit. Nam judicii finis est jus: ex quo etiam nomen. Juris autem partes tum expositæ, quum [2] æquitatis. Deliberandi finis, utilitas: cujus hæ partes, quæ modo expositæ, rerum expetendarum. Laudationis finis, honestas: de qua item est ante dictum.

Sed definitæ quæstiones a suis quæque locis, quasi propriis, instituuntur, in accusationem defensionemque partitæ. In quibus exsistunt hæc genera, ut accusator personam arguat facti; defensor aliquid opponat de tribus: aut non esse factum, aut, si sit factum, aliud ejus facti nomen esse, aut jure esse factum. Itaque aut infitialis, aut conjecturalis prima appelletur; definitiva, altera; tertia, quamvis molestum nomen hoc sit, juridicialis vocetur.

XXV. Harum causarum propria argumenta, ex iis sumpta locis, quos exposuimus, in præceptis oratoriis explicata sunt. Refutatio autem accusationis, in qua est depulsio criminis, quæ græce στάσις dicitur, latine appelletur status: in quo primum insistit [1] quasi ad repugnandum congressa defensio. (XXV.) Atque etiam

usque ad *nominatur* Schützius uncis inclusit; eaque adeo inepta esse declarat, ut non potuerint a Cicerone scribi.

XXIV. 1. *Quarum*. Lall. *quorum*.

2. *Quum æquitatis*. Ernest. et Sch. « tum æquit. » *quum* est in ed. Venet. et vulgatis inde ab Ald. et Junt.

XXV. 1. *In quo prim. insistit*. Verbi gratia sic procedat accusatio: « Roscius occidit patrem »: repugnabit defensio: « Roscius non occidit patrem ». Hic quodammodo hæret accusatio. Hic status conjecturalis: inquirendum enim ulterius, an Roscius patrem occiderit. Eadem est ceterorum statuum ratio. Paust. — De re conf. Quint. III, 6, V, 14, et Cic. de Inv. II, 17.

in deliberationibus et laudationibus iidem exsistunt status. Nam et negantur sæpe ea futura, quæ ab aliquo in sententia dicta sunt fore, si aut omnino fieri non possunt, aut sine summa difficultate non possunt. In qua argumentatione status conjecturalis exsistit. At, quum aliquid de utilitate, honestate, æquitate disseritur, deque iis rebus, quæ iis sunt contrariæ: incurrunt status, aut juris, aut nominis. Quod idem contingit in laudationibus. Nam aut negari potest, id factum esse, quod laudetur; aut non eo nomine afficiendum, quo laudator affecerit; aut omnino non esse laudabile, quod non recte, non jure factum sit. Quibus omnibus generibus usus est nimis impudenter Cæsar contra Catonem meum[2]. Sed quæ ex statu contentio efficitur, eam Græci κρινόμενον vocant: mihi placet id, quoniam quidem ad te scribo[3], qua de re[4] agitur, vocari. Quibus autem hoc, qua de re agitur, continetur, ea[5] continentia vocentur, quasi firmamenta defensionis, quibus sublatis defensio nulla sit. (XXVI.) Sed, quoniam lege firmius in controversiis disceptandis esse nihil debet, danda est opera, ut legem adjutricem et testem adhibeamus. In qua re alii quasi

2. *Contra Catonem meum*. Nempe Cic. in opere quodam Catone inscripto, Catonis Uticensis laudes exornaverat, ingentisque viri animum et virtutem invictam celebraverat. Cæsar, cui laus Catonis pro vituperatione ipsius erat, huic Ciceronis operi respondit alio opere inscripto Anticatone, cujus sæpissime mentio est apud Veteres.

3. *Quoniam quidem ad te scribo*. Int. ad Jctum, nomen ei dabo e formula juris « qua de re agitur ». Vid. Faber Semestr. I, 11. Ern.

4. *Qua de re agitur*. De hac formula conf. Brut. cap. 79; pro Muren. cap. 13.—Quint. III, 11, 18: « Paullum in his etiam Cicero dissentit. Nam in Rhetoricis, Hermagoram est sequutus; in Topicis ex statu effectam contentionem κρινόμενον existimat, idque Trebatio, qui juris erat consultus, alludens *qua de re agitur* appellat, quibus id continetur, continentia, quasi firmamenta defensionis, quibus sublatis defensio nulla sit ».

5. *Ea cont*. Sic legendum videtur e Partitt. cap. 29, vel *hæc*, ut quidam olim ediderunt, non *eæ*, ut recentiores, quos inter Sch. et Ern. J. V. L.

status exsistunt novi, qui appellantur legitimæ disceptationes. Tum enim defenditur non id legem dicere, quod adversarius velit, sed aliud : id autem contingit, quum scriptum ambiguum est, ut duæ differentes sententiæ accipi possint. Tum opponitur scripto voluntas scriptoris, ut quæratur, verbane plus, an[6] sententia valere debeat. Tum legi lex contraria affertur. Ita sunt tria genera, quæ controversiam in omni scripto facere possunt, ambiguum, discrepantia scripti et voluntatis, et[7] scripta contraria. Jam hoc perspicuum est, non magis in legibus, quam in testamentis, in stipulationibus, in reliquis rebus, quæ ex scripto aguntur, posse controversias easdem exsistere. Horum tractationes in aliis libris[8] explicantur.

XXVI. Nec solum perpetuæ actiones, sed etiam partes orationis iisdem locis adjuvantur, partim propriis, partim communibus : ut in principiis, quibus ut benivoli, ut dociles, ut attenti sint, qui audiant, efficiendum est propriis locis. Itemque narrationes, ut ad suos fines spectent[1], id est, ut planæ sint, ut breves, ut evidentes, ut credibiles, ut moratæ[2], ut cum dignitate : quæ quamquam in tota oratione esse debent, magis tamen sunt propria narrandi[3]. Quæ autem consequitur narrationem fides, ea persuadendo

6. *An sent.* Sch. et Ern. *aut sent.*

7. *Et scr. c.* Lallem. delet *et :* idem infra habet « harum tract. » pro « horum tract. »

8. *In aliis libris.* Int. de Inventione. Eodem pertinent illa paullo inferius : « dictum est in iis, in quibus, etc. » ubi videtur excidisse *libris :* denique « suppeditantur in aliis libris », ut de Or. etc. Ern.

XXVI. 1. *Spectant.* Lallem. Ern. Sch. *spectent.*

2. *Ut moratæ.* Sic optime Victor. Lambin. Male in multis edd. etiam in Ern. *moderatæ.* Quintil. IV, 2, 64 : « Neque ego quemquam deceperim, ut dissimulem, Ciceroni quoque plures partes placere. Nam præterquam planam et brevem et credibilem vult esse evidentem, *moratam*, cum dignitate ». Sch.

3. *Narrandi.* Ernest. quem Schütz. sequitur, reposuit *narranti*, quia alterum cum *propria* nullo modo coire potest. Fuerunt qui corrigerent *narrationis.*

quoniam efficitur, qui ad persuadendum loci maxime valeant, dictum est in iis, in quibus de omni ratione dicendi. Peroratio autem et alia quædam habet, et maxime amplificationem: cujus effectus is debet esse, ut aut perturbentur animi, aut tranquillentur; et, si ita jam affecti ante sunt, ut augeat eorum motus, aut sedet oratio.

Huic generi, in quo et misericordia, et iracundia, et odium, et invidia, et ceteræ animi affectiones perturbantur, præcepta suppeditantur aliis in libris, quos poteris mecum legere, quum voles. Ad id autem, quod te velle senseram, cumulate satisfactum esse debet voluntati tuæ. Nam, ne præterirem aliquid, quod ad argumentum in omni ratione reperiendum pertineret, plura, quam a te desiderata erant, sum complexus, fecique quod sæpe liberales venditores solent, ut, quum ædes fundumve vendiderint, rutis cæsis receptis[4], concedant tamen aliquid emptori, quod ornandi causa apte et loco positum esse videatur: sic tibi nos ad id, quod quasi mancipio dare[5] debuimus, ornamenta quædam voluimus non debita accedere.

4. *Rutis cæsis receptis*. Quintus Mucius libro singulari τῶν ὅρων. In rutis, inquit, et cæsis ea sunt, quæ terra non tenentur, quæque opere structili tectoriove non continentur. Recipere autem est excipere et reservare sibi. Gov. — Ulpianus in l. *fundi*: « si *ruta cæsa* excipiantur in venditione, ea placuit esse *ruta*, quæ eruta sunt, ut arena, creta et similia: *cæsa* esse, ut arbores cæsas, et carbones et his similia ». Ed.

5. *Quod quasi mancipio dare debuimus, ornamenta*, etc. Recte adjunxit partic. *quasi*. Nam mancipio dare, est alienare, ita ut rem accipientis omnino faciamus. At ita liber hic datus erat Trebatio, ut in eum jus etiam Cicero retineret. Prust. — *Mancipium*, jus proprietatis. Seneca, Epist. 73: « fortuna nihil dat *mancipio* ». Lucret. lib. III, vs. 935: « Vitaque *mancipio* nulli datur, omnibus usu ». Ed.

M. T. CICERONIS

DE

PARTITIONE ORATORIA DIALOGUS.

ARGUMENTUM

E SCHUTZII EDITIONE DESUMPTUM.

In hoc libro Cicero rogatus a Marco filio, ut quæ sibi de ratione dicendi græce tradidisset, latine explicaret, sic efficit, quod ille rogaverat, ut ad ejus quæstiones de singulis argumentis breviter respondeat. Omnis nimirum doctrina dicendi distribuitur

1° In vim oratoris, quæ est — in rebus — in verbis;

2° In orationem, cujus partes sunt quatuor:

Duæ ad rem docendam, narratio — confirmatio;

Duæ ad impellendos animos, principium — peroratio.

3° In quæstionem, quæ est — infinita, seu consultatio; — finita, seu causa, cap. 1.

Sequuntur I præcepta de vi oratoris, quæ est in inventione, collocatione, elocutione, memoria, actione.

1° Inventio pertinet ad fidem faciendam: ea fit argumentis, vel in re ipsa insitis, vel assumptis; ad motum animorum, cap. 2.

2° Collocatio accommodanda est ad finem quæstionis: hic est in consultatione fides, in causa fides et motus. Itaque tantum de causa dicendum erat. Hæc distinguitur auditorum genere: nam is qui audit, est vel auscultator, vel disceptator. Ille delectatur tantum, hic statuit aliquid vel de præteritis, ut judex, vel de futuris, ut senatus. Hinc sunt tria genera orationis, judiciale, deliberativum, id quod est in exornatione (alias demonstrativum). De singulis dantur præcepta collocationis, cap. 3, 4.

3° Elocutio, ad quam pertinet

a. Genus eloquendi sua sponte fusum, cap. 5, 6.

α. In simplicibus verbis, c. 5, quæ differunt — origine: nativa, reperta: — natura, ut sonantiora, graviora, etc. — tractatione: propria, nova, prisca, translata.

β. In conjunctis, ubi spectatur numerus, consecutio.

γ. In iis quæ sunt simplicium et conjunctorum communia, ut sit oratio dilucida, brevis, probabilis, illustris, suavis, cap. 6.

b. Genus orationis conversum ac mutatum.

4° Actio et

5° Memoria, de quibus brevissime respondetur, cap. 7.

II. Præcepta de oratione, cap. 8, sqq. Hæc pertinent

1° Ad exordia, seu principia, cap. 8.

2° Ad narrationem, cap. 9.

3° Ad confirmationem et reprehensionem, ubi quæritur

a. De inventione locorum

α. In confirmatione, qui sunt loci conjecturæ, cap. 10; definitionis, cap. 11; rationis, cap. 12.

β. In reprehensione, cap. 13.

b. De tractatione argumentorum, cap. 14.

4° Ad perorationem, ubi agitur

a. De amplificatione verborum, cap. 15, et rerum, cap. 16.

b. De enumeratione, cap. 17.

III. Præcepta de quæstionibus, cap. 18, seqq. quarum duo sunt genera :

1° Infinitum, seu propositum, cujus duo sunt genera,

a. Cognitionis, ubi quæritur :

α. Sit aliquid, necne, cap. 18; in eoque præterea, possitne aliquid effici, quemadmodum quidque fiat.

β. Quid sit, cap. 19. Aliud an idem sit, descriptio generis.

γ. Quale sit. Simpliciter : honestum, utile, æquum. Ex comparatione : quid honestius, utilius, æquius.

b. Actionis, cap. 20. Ad rationem officii, ad sedandos animos.

2° Finitum, seu causa, cap. 20. Hujus genera sunt

a. Exornatio, cujus quum sint plura et varia genera, hic

tantum spectantur laudandi vituperandique rationes, cap. 21-23.

b. Genus deliberativum, in quo primum quæritur

α. Quid suasoribus agendum sit. De utilitate, c. 25, 26; de ratione efficiendi, cap. 27.

β. Quid dissuadentibus, cap. 28.

γ. Quid utrique commune sit.

c. Genus judiciale, cap. 29, sqq. in quo

α. Quædam ante judicium agenda, cap. 29.

β. In ipsis judiciis, cap. 30, seqq. vel factum negandum, vel negandum, quod fatearis factum esse, eam vim habere, et id esse quod adversarius criminetur, vel rectum esse quod feceris, demonstrandum.

Hic primum universo exponitur disceptationis constituendæ ratio, cap. 30, 31. Deinde singulis controversiarum generibus qui loci sint proprii, quæritur; explicanturque

1° Loci constitutionis conjecturalis, cap. 32-35.

2° Definitivæ, cap. 36.

3° Generalis, cap. 37.

Quibus adduntur ii, qui in controversia de scripto et sententia, seu in constitutione legitima occurrunt, quam Cicero ante, quam genera controversiarum enumeraret, in numero haud posuerat, cap. 38, 39.

Epilogus habet brevem de usu philosophiæ Academicæ admonitionem, cap. 40.

M. T. CICERONIS

DE

PARTITIONE ORATORIA

DIALOGUS.

I. (1.) CICERO FILIUS. Studeo[1], mi pater, latine ex te audire ea, quæ mihi tu de ratione dicendi græce tradidisti; si modo tibi est otium, et si vis. — CICERO PATER. An est, mi Cicero, quod ego malim, quam te quam doctissimum esse? Otium autem primum summum est[2], quoniam aliquando Roma exeundi potestas data est; deinde ista tua studia vel maximis occupationibus meis anteferrem libenter. — C. F. Visne igitur, ut tu me græce soles ordine interrogare, sic ego te vicissim eisdem de rebus latine interrogem? — C. P. Sane, si placet[3]: sic enim et ego te meminisse intelligam, quæ accepisti; et tu ordine audies, quæ requires[4]. — C. F. Quot in partes distribuenda est omnis doctrina dicendi? — C. P. In tres. — C. F. Cedo quas? — C. P. Primum in ipsam vim oratoris, deinde in orationem, tum in quæstionem. — C. F. In quo est ipsa vis[5]? — C. P. In rebus, et verbis. Sed

I. 1. *Studeo*. MS *aveo*, quod præferrem, si libri plures faverent. ERN.

2. *Primum summum est*. Schützius cum Guelf: « primum est summum ».

3. *Sane, si placet*. MS Erl. delet *si*, quod Ern. probavit; unde Schütz. *si* delevit.

4. *Et tu ordine audies, quæ requires*. Vulgo *quæ requiris*. Futurum ostendunt Guelf. Erf. idemque receperunt Lambin. Ernest. Scн. — Bene « accepisti ... requires » sibi respondent.

5. *Ipsa vis*. Sc. oratoris.

et res, et verba, invenienda sunt, et collocanda. Proprie autem[6] in rebus invenire, in verbis eloqui dicitur. Collocare autem, etsi est commune, tamen ad inveniendum refertur. Vox, motus, vultus, atque omnis actio, eloquendi comes est, earumque[7] rerum omnium custos est memoria. — C. F. Quid? orationis quot sunt partes? — C. P. Quatuor : earum duæ valent ad rem docendam[8], narratio et confirmatio; ad impellendos animos duæ, principium et peroratio. — C. F. Quid? quæstio quasnam habet partes? — C. P. Infinitam, quam consultationem appello[9]; et definitam, quam causam nomino.

II. (II.) C. F. Quoniam igitur invenire primum est oratoris[1], quid quæret? — C. P. Ut inveniat, quemadmodum fidem faciat eis, quibus volet persuadere, et quemadmodum motum eorum animis[2] afferat.

— C. F. Quibus rebus fides fit? — C. P. Argumentis, quæ ducuntur ex locis, aut in re ipsa insitis, aut assumptis. — C. F. Quos vocas locos? — C. P. Eos, in quibus latent argumenta. — C. F. Quid est argumentum? — C. P. Probabile inventum ad faciendam

6. *Proprie autem.* Sch. cum Lamb. « proprie tamen ».

7. *Earumque rerum*, etc. MS V. « si earum rerum o. c. adsit memoria ». Verbum *est* malim deleri. *Rerum* abest ab ed. Junt. male. Ern.

8. *Ad rem docendam.* MS E. *dicendam*, male; frequenti confusione.

9. *Quam consult. appello.* MS E. *controversiam*, non bene, nam ea est *causa*. Alias Cicero vocat *propositum*; vid. mox cap. 5 et infra cap. 18. Ern. — J.V.L. consultationem vertit *thèse*, annotatque : thesis est quæstio generalis nullo nec temporum, nec personarum, etc. facto discrimine, e. c. an scelus cum prospera fortuna anteponendum sit virtuti cum miseria; hypothesis seu causa est quæstio de re speciali, facto discrimine temporum personarum, ut : utri magis invidendum sit Dionysio Syracusarum tyranno summum potentiæ apicem obtinenti divitiisque circumfluenti, an Socrati in carcere cum amicis philosophanti? — Resp. ad Top. 21.

II. 1. *Primum est oratoris.* Sic MS E. ed. Junt. Ven. melius quam « oratoris primum est ». Ern.

2. *Eorum animis.* MS V. « animis eorum ». Melius. Ern. — *Aut in re ipsa insitis, aut assumptis.* Cf. Top. 2. Vide etiam ibidem quomodo argumenta definiat.

fidem. — C. F. Quomodo igitur duo genera ista[3] dividis? — C. P. Quæ sine arte[4] putantur, ea remota appello, ut testimonia. — C. F. Quid insita? — C. P. Quæ inhærent in ipsa re. — C. F. Testimoniorum quæ sunt genera? — C. P. Divinum, et humanum: divinum, ut oracula, ut auspicia, ut vaticinationes, ut responsa[5] sacerdotum, aruspicum, conjectorum; humanum, quod spectatur ex auctoritate, et ex voluntate, et ex oratione, aut libera, aut expressa: in quo insunt scripta, pacta, promissa, jurata, quæsita[6]. — C. F. Quæ sunt quæ dicis insita? — C. P. Quæ infixa sunt[7] rebus ipsis[8], ut definitio, ut contrarium, ut ea, quæ sunt ipsi contrariove ejus aut similia, aut dissimilia, aut consentanea, aut dissentanea; ut ea, quæ sunt quasi conjuncta, aut ea, quæ sunt quasi pugnantia[9] inter se; aut earum rerum, de quibus agitur, causæ; aut causarum eventus, id est, quæ sunt effe-

3. *Duo genera ista.* MS E. « ista duo genera ». Ern.

4. *Quæ sine arte ... in ipsa re.* Schützius legi vellet: « assumpta, quæ sine arte putantur esse, remota appello, ut testimonia »; insita, « quæ inhærent in ipsa re »: conferrique jubet Top. cap. 3 et 18; Inv. I, 49.

5. *Ut responsa.* Alii *et*, minus recte.

6. *Quæsita.* H. l. sunt quæ per tormenta expressa sunt: unde supra dicuntur *expressa*, et opponuntur *liberis*. Ern. — Cf. Top. 20.

7. *Quæ infixa sunt.* MS V. « quæ jura i. s. » in quo videtur aliquid latere.

8. *Rebus ipsis.* Vulgo adduntur ista, quæ migrasse huc temere videntur e Topicorum cap. 2 et 3: « Tum ex toto, tum ex partibus, tum ex notatione, tum ex iis rebus, quæ quodammodo affectæ sunt ad id, de quo quæritur; et ad id totum, de quo disseritur, tum definitio adhibetur, tum partium enumeratio, tum notatio verbi; ex iis autem rebus, quæ quodammodo affectæ sunt ad id, de quo quæritur, alia conjugata appellantur, alia ex genere, alia ex forma, alia ex similitudine, alia ex differentia, alia ex contrario, alia ex conjunctis, alia ex antecedentibus, alia ex consequentibus, alia ex repugnantibus, alia ex causis, alia ex effectis, alia ex comparatione majorum, aut parium, aut minorum ». Hæc jam Lambinus deleverat, non improbante Grutero, secutique sunt nuper Ern. et Sch. — *Definitio.* Top. 21, 22. — Ibid. de contrario, 3; de dissimilibus, seu differentibus, 3; de conjunctis, 4; de causis et effectis, 4; de præcurrentibus, seu antecedentibus, 4; de rerum contentionibus, seu comparationibus, 4.

9. *Quæ sunt quasi pugnantia. Sunt*

cta de causis; ut distributiones, ut genera partium, generumve partes; ut primordia rerum et quasi præcurrentia, in quibus inest aliquid argumenti; ut rerum contentiones, quid majus, quid par, quid minus sit, in quibus aut naturæ rerum, aut facultates comparantur.

III. C. F. Omnibusne igitur[1] ex his locis argumenta sumemus? — C. P. Immo vero scrutabimur et quæremus ex omnibus: sed adhibebimus judicium, ut levia semper rejiciamus, nonnumquam etiam communia prætermittamus et non necessaria[2].

— C. F. Quoniam de fide respondisti, volo audire de motu. — C. P. Loco quidem[3] quæris; sed planius quod vis explicabitur, quum ad orationis ipsius quæstionumque rationem venero.

(III.) C. F. Quid sequitur igitur? — C. P. Quum inveneris, collocare: [cujus[4]] in infinita quæstione, ordo est idem fere, quem exposui, locorum; in definita autem adhibenda sunt illa etiam, quæ ad[5] motum animorum pertinent. — C. F. Quomodo igitur ista explicas? — C. P. Habeo communia præcepta fidem faciendi et commovendi. Quoniam fides est firma opinio; motus autem, animi incitatio aut ad voluptatem, aut ad molestiam, aut ad metum, aut ad cupidita-

abest a MS V. bene, ut opinor. Item mox *quid par* non bene. Ern.

III. 1. *Omnibusne igitur ex h. l.* A MS V. abest *igitur*: contra ed. Ven. addit post *semper* ante *sumemus*. Idem mox « ex locis istis ». Ern.

2. *Non. et. comm. præt. et non necessaria.* MS V. delet *communia*, item *et*, quod placet. *Communia* h. l. non sunt apta; et videntur esse a glossatore vel scholiaste. *Et* etiam abest ab ed. Ven. Ern. — Schütz. dat ut Ern. suadebat fretus auctoritate MS Guelf. — De communibus argumentis conf. Invent. I, 48.

3. *Loco quidem.* Schützius cum ed. Omnib. « Loco tu quidem ».

4. *Cujus in inf. q. Cujus* int. collocationis, si tamen lectio sana est: nam et MSS fluctuant in h. l. et sensus non satis commodus est. Nam Erl. habet: « cujus infinita quæstio est ». *Cujus* arbitror esse spurium: quo deleto omnia sunt plana. Ern. — Sch. *cujus* delevit.

5. *Quæ ad motum.* Hoc verum:

tem (tot enim sunt motus genera [6], partes plures generum singulorum) : omnem collocationem ad finem accommodo quæstionis. Nam est in proposito [7] finis, fides; in causa et fides, et motus. Quare quum de causa dixero, in qua est propositum [8], de utroque dixero. — C. F. Quid habes igitur de causa dicere? — C. P. Auditorum eam genere distingui. Nam aut auscultator est modo [9] qui audit, aut disceptator, id est, rei sententiæque moderator : ita, ut aut delectetur, aut statuat aliquid. Statuit autem aut de præteritis, ut judex, aut de futuris, ut senatus. Sic tria sunt genera, judicii, deliberationis, exornationis : quæ, quia in laudationes maxime confertur, proprium habet jam ex eo nomen [10].

IV. (IV.) C. F. Quas res sibi proponet in istis tribus generibus orator? — C. P. Delectationem in exornatione; in judicio, aut sævitiam, aut clementiam judicis; in suasione autem [1], aut spem, aut reformidationem deliberantis. — C. F. Cur igitur exponis hoc loco genera controversiarum? — C. P. Ut rationem collocandi ad finem cujusque accommodem. — C. F. Quonam tandem modo? — C. P. Quia, quibus in

nam et ante et post singularis est : alii *motus*. Ern.

6. *Tot enim sunt motus genera*. A M E. abest *motus*, a V. *sunt*. Post ed. Ven. « collocationem ad fidem a. g. »

7. *In prop. finis*. Ed. Ven. « in consultatione vel propositione f. f. » Ern.

8. *In qua est propositum*. Hoc spurium puto. Nam in causa inesse propositum, ut partem, e superiori patet, nec hic addi debebat : et non est peculiare genus causarum, quibus propositum inest; est enim in omnibus, sed in accessione. Ern. — Schützius dat « in qua est utrumque propositum ». Wetzelius, quæ Ernest. spuria judicavit, uncis inclusit.

9. *Est modo*. *Modo* abest a MS V. bene, ut opinor. Ern.

10. *Proprium habet jam ex eo nomen*. Nempe ut dicatur ἐπιδεικτικὸν, in quo non demonstratio vulgari sensu intelligitur, sed ostentatio ingenii ad placendum, unde *exornationis* genus h. l. dicitur. Ern.

IV. 1. *In suasione autem, aut*. *Autem* bene abest a MS V. idem mox *commodem* pro *accommodem*. Item ed. Ven. *formidationem*, pro *reformidationem*, quod sequitur. Ern.

orationibus delectatio finis est, varii sunt ordines collocandi. Nam aut temporum servantur gradus[2], aut generum distributiones[3]; aut a minoribus ad majora[4] adscendimus, aut a majoribus ad minora[5] delabimur; aut hæc inæquali varietate[6] distinguimus, quum parva magnis, simplicia conjunctis, obscura dilucidis, læta tristibus, incredibilia probabilibus inteximus, quæ in exornationem cadunt omnia. — C. F. Quid? in deliberatione quid spectas? — C. P. Principia, vel non longa, vel sæpe nulla. Sunt enim ad audiendum, qui deliberant, sua causa parati. Nec multum sane sæpe narrandum est. Est enim narratio aut præteritarum rerum aut præsentium[7]; suasio autem, futurarum. Quare ad fidem et ad motum adhibenda est omnis oratio. — C. F. Quid? in judiciis quæ est collocatio? — C. P. Non eadem accusatoris et rei: quod accusator rerum ordinem[8] prosequitur, et singula argumenta, quasi hasta in manu collocata[9], vehementer proponit, concludit acriter, confirmat tabulis, decretis,

2. *Temporum servantur gradus.* Ut fecit Cicero in Verrinis: Verris primum quæsturam, deinde in Asia præfecturam, post Romæ præturam, denique in Sicilia præturam narravit.

3. *Aut gen. distributiones.* Sic in orat. pro lege Manilia Cicero in quatuor capita partitur Pompeii laudes: 1° illius rei militaris peritiam, 2° fortitudinem, 3° famam, 4° felicitatem.

4. *A minor. ad majora.* Sic in oratione pro Marcello, facta comparatione omnium Cæsaris virtutum, concludit supra omnes eminere illius clementiam: « nil habet nec natura tua majus, quam ut velis, nec fortuna tua melius, quam ut possis servare quamplurimos ».

5. *A majoribus ad minora.* Ut si quis Hannibalis laudes minuendi causa diceret, eum illa bellica virtute qua hostes vinceret non caruisse, ea vero caruisse qua uti victoria sciret, qui exercitum suum in Capuanis deliciis frangi atque emolliri sivisset.

6. *Inæquali varietate.* Sic MS E. edd. Med. Asc. *inæquabili* est in MS V. edd. Ven. Ald. Jont. Ernest. — Sch. dat *inæqualia* quasi sensu postulante.

7. *Aut præteritarum r. aut præs.* Primum *aut* addidi e MS E. sequutus morem Ciceronis in hac forma.

8. *Rerum ordinem.* Ed. Ven. « rem ordinemque ». Ern.

9. *Hasta in m. collocata.* MS V. *hastas*, et Sch. mallet « hastas in m. collocatas ».

testimoniis, accuratiusque in singulis commoratur; perorationisque præceptis, quæ ad incitandos animos valent, et in reliqua oratione paullulum degrediens [10] de cursu dicendi, utitur, et vehementius in perorando. Est enim propositum, ut iratum efficiat judicem.

V. C. F. Quid faciendum est contra reo? — C. P. Omnia longe secus : sumenda principia ad benivolentiam conciliandam; narrationes aut amputandæ, quæ lædunt; aut relinquendæ, si totæ sunt molestæ; firmamenta ad fidem posita, aut per se diluenda, aut obscuranda, aut degressionibus obruenda; perorationes autem ad misericordiam conferendæ. — C. F. Semperne igitur ordinem collocandi, quem volumus, tenere possumus? — C. P. Non sane. Nam auditorum aures moderantur oratori prudenti et provido, et quod respuunt, immutandum est.

(V.) C. F. Expone deinceps, quæ ipsius orationis verborumque præcepta sint [1]. — C. P. Unum igitur genus est eloquendi sua sponte fusum, alterum versum, atque mutatum. Prima vis [2] est in simplicibus verbis; in conjunctis secunda. Simplicia invenienda sunt; conjuncta collocanda sunt [3].

Et simplicia verba partim nativa sunt, partim reperta. Nativa ea, quæ significata sunt [4] sensu; reperta,

10. *Degrediens*. Ern. *digrediens*, et infra *digr.* pro *degr.*

V. 1. *Præcepta sint*. Sic pro *sunt* legendum e latinitate judicavi. Reperi deinde in MS V. et ed. Ven. ab ed. Junt. plane abest. Ern.

2. *Prima vis*. Schützius dat « illius prima vis », sensu, ut ait, postulante. Equidem minime necesse puto; immo parum eleganter additum.

3. *Conjuncta coll. sunt*. MS uterque et ed. Ven. « conjunctio collocanda est », quod est exquisitius. Mox *verba* delet MS V. non male. Ern.

4. *Quæ significata sunt sensu*. Hæret hic Lambinus, itaque Gulielmius annotavit : « hoc est, quorum admoniti sunt primi illi homines, qui rebus verba imposuerunt, ipso sensu. *Significare* enim, signo et tamquam nutu est indicare. Et ut nunc res ipsas significant verba, ita eadem a rebus

quæ ex his facta sunt, et novata aut similitudine[5], aut imitatione, aut inflexione, aut adjunctione verborum. Atque etiam est hæc distinctio in verbis: altera, natura; tractatione, altera. Natura, ut sint alia sonantiora, graviora, leviora[6] et quodam modo nitidiora; alia contra: tractatione autem, quum aut propria sumuntur[7] rerum vocabula, aut addita ad nomen, aut nova, aut prisca, aut ab oratore modificata et inflexa quodam modo; qualia sunt ea, quæ transferuntur, aut immutantur, aut ea, quibus tamquam abutimur, aut ea, quæ obscuramus, quæ incredibiliter tollimus, quæque mirabilius, quam sermonis consuetudo patitur, ornamus.

VI. (VI.) C. F. Habeo de simplicibus verbis: nunc de conjunctione quæro. — C. P. Numeri quidam sunt in conjunctione servandi, consecutioque[1] verborum.

primum intensa et inculcata sunt ». Gaut. — Intellige, quæ indicata et suppeditata sunt per sensum scil. rerum, de quibus proprie dicitur, facta ex sensu. Ern. — Quintilianus, VIII, 3, h. l. excitans, habet: « quæ significata sunt, primo sensu ». Sch.

5. *Aut simil. aut im. aut infl. aut adj. Similitudine*, quod vertit J. V. L. *analogie*, ut dixit Cicero pro domo, c. 10, *fratricida*, *sororicida*, tractum e *parricida*; *mutatione*, ut verba *balare*, *mugire*, quæ animalium voces imitantur; *inflexione*, ut dixit Terentius, Eunuch. II, 3, 34, *curatura* pro *cura*; *adjectione*, qualis est verbum *semperlenitas* in Terentio, Andr. I, 2, 4, et multa alia. J. V. L. — *Adjunctio verborum* est quam grammatici dicunt compositionem. Ern.

6. *Sonantiora*, *gr. leviora*. Sic dedimus pro *consonantiora* e MS utroque. Sic c. sq. Or. 49, init. et c. estque hoc proprium in hac re verbum. Porro pro *graviora* MS V. habet *grandiora*, quod et ipsum in hac re usitatum est. Deinde vulgati habent alii *leviora*, alii *leniora*. Neutrum convenit sequentibus aut rei. Nam *levia* verba, quæ *gravibus* opponuntur, non sunt in laude, et *leniora* non consentiunt cum *nitidis*, in quibus est modo aliquid amplius, quam in præcedentibus: « leviora et quodammodo nitidiora » sunt ex eodem genere. Est ergo scribendum *læviora*. Lævia sunt gr. γλαφυρά. Aliis *lenia verba* laudantur etiam merito ut c. seq. In verbis suavitatem efficientibus sunt etiam lenia. Ern. — Sch. *grandiora*, *læviora*.

7. *Sumuntur*. Int. mutuo, ut fiant tropica. Sic aliquoties hoc verbum in Oratore et alibi habuimus. Ern.

VI. 1. *Consecutioque verborum*. *Consecutio* vertit J. V. L. *concordance*; annotatque: consecutio non servaretur, si quis quum dixisset, « vastabat agros, regiones populabatur, op-

Numeros aures ipsæ metiuntur, ne aut non compleas verbis, quod proposueris, aut redundes. Consecutio autem, ne generibus, numeris, temporibus, personis, casibus perturbetur oratio. Nam, ut in simplicibus verbis, quod non est latinum; sic in conjunctis, quod non est consequens, vituperandum est.

Communia autem simplicium conjunctorumque sunt hæc quinque quasi lumina; dilucidum, breve, probabile, illustre, suave. Dilucidum fit usitatis verbis, propriis, dispositis[2], aut circumscriptione conclusa, aut intermissione, aut concisione verborum; obscurum autem, aut longitudine, aut contractione orationis, aut ambiguitate, aut inflexione atque immutatione verborum. Brevitas autem conficitur simplicibus verbis, semel unaquaque re dicenda, nulli rei, nisi, ut dilucide dicas, serviendo. Probabile autem genus est orationis, si non nimis est comptum atque expolitum, si est auctoritas et pondus in verbis, si sententiæ vel graves, vel aptæ opinionibus hominum et moribus. Illustris autem oratio est, si et verba gravitate delecta ponuntur, et translata, et superlata, et ad nomen adjuncta, et duplicata, et idem significantia, atque ab ipsa actione atque imitatione rerum non abhorrentia. Est enim hæc pars orationis, quæ rem constituat[3] pæne ante oculos, is enim maxime

pugnabat urbes », adderet « multique mortales ab eo cædebantur » : sed dicere deberet « multosque mortales trucidabat ».

2. *Dispositis.* MS E. *compositis.* Sed illud melius : nempe verba disponuntur et componuntur vel per periodos, quæ est « circumscriptio conclusa », vel per membra, unde « oratio membratim fusa », quæ est h. l. *intermissio*, vel denique per commata et incisa, quæ est « concisio verborum ». Ern.

3. *Est ... quæ rem constituat.* Si esset in libris vulgatis *constituit*, quotusquisque sentiret aut crederet vitiosum esse, et auderet corrigere *constituat.* Sed consecutio legitima sic jubet, cujus Cicero accuratus observator fuit ex ipso præcepto suo, quod est in hoc ipso capite. Itaque licet in hoc genere correctionis cum fiducia versari.

sensus attingitur[4]: sed ceteri tamen, et maxime mens ipsa moveri potest. Sed quæ dicta sunt de oratione dilucida, cadunt in hanc illustrem omnia. Est enim plus aliquanto illustre, quam illud dilucidum: altero fit, ut intelligamus; altero vero, ut videre videamur. Suave autem genus erit dicendi, primum elegantia et jucunditate verborum sonantium et lenium; deinde conjunctione, quæ neque asperos habeat concursus, neque disjunctos[5] atque hiantes; et sit circumscripta non longo anfractu, sed ad spiritum vocis apto, habeatque similitudinem æqualitatemque[6] verborum; tum ex contrariis sumpta verbis[7], crebra crebris, paria paribus respondeant, relataque ad idem verbum[8]; et geminata, atque duplicata[9], vel etiam sæ-

4. *Is... attingitur.* Id est, afficitur oratione. Ed. Ven. male *his*. Mox videtur excidisse aut loco motum *et*, ut sit: « sed et ceteri tamen, maxime mens ipsa m. p. Ern.

5. *Disjunctos.* Immo *dijunctos*; est enim sermo de iis verbis, quæ propter concursum vocalium non coeant. Ern. — *Sed ad spiritum vocis apto.* Vid. de Orat. III, 46.

6. *Simil. æqual. q. verborum.* Sic Cicer. Orat. cap. 67: « Domus tibi deerat? at habebas. Pecunia superérat? at egebas ».

7. *Ex contrariis sumpta v. crebra crebris, paria paribus resp.* Schützius emendat, virgulam tantum post *verborum* ponens, « ex contrariis sumptam, tum ut verbis, crebra crebris, paria paribus resp. » — *Crebra crebris.* Hoc vertit J.V. L. *l'isocolon* exemplumque dat hæc verba sibi inter se opposita in Milon. c. 4: « didicimus, accepimus, legimus », quæ respondent iis, « arripuimus, hausimus, expressimus ». Secundum affert exemplum in eadem orat. cap. 16: « Quem cum omnium gratia noluit, hunc voluit cum aliquorum querela? quem jure, quem loco, quem tempore, quem impune non est ausus, hunc injuria, iniquo loco, alieno tempore, cum periculo capitis non dubitavit occidere? »

8. *Relataque ad idem verbum.* Vertit J. V. L. *l'adjonction*. Ut in hoc exemplo Rhetor. ad Herenn. IV, 17: « Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia ».

9. *Et geminata, atque duplicata.* Schützius delet *atque duplicata*, ut superfluum, et e glossemate natum. Vertit J. V. L. hæc verba solo gallico verbo *la conduplication*, annotatque: Latomus in commentario verba « geminata et duplicata » idem non significare contendit, alterum *gem.* pertinere ad repetitionem unius syllabæ, ut « me, me, adsum, qui feci »; alterum *dupl.* ad repetitionem plurium syllabarum, ut *occidi, occidi.* Sed forsitan verbum *duplicata* significat proprie repetitionem eorum verborum, verbum *geminata* autem notat hanc figuram quam Noster vocat Her. IV, 28,

pius iterata ponantur; constructioque verborum tum conjunctionibus copuletur [10], tum dissolutionibus relaxetur [11]. Fit etiam suavis oratio, quum aliquid aut invisum, aut inauditum, aut novum dicas. Delectat enim quidquid est admirabile: maximeque movet ea, quæ motum aliquem animi miscet, oratio, quæque significat oratoris ipsius amabiles mores: qui exprimuntur, aut significando judicio ipsius [12] ex animo humano ac liberali, aut inflexione sermonis, quum aut augendi alterius, aut minuendi sui causa, alia dici ab oratore, alia existimari videntur, idque comitate fieri magis, quam vanitate. Sed multa sunt suavitatis præcepta, quæ orationem aut magis obscuram, aut minus probabilem faciant [13]. Itaque etiam hoc loco nobis est ipsis, quid causa postulet, judicandum.

VII. C. F. Reliquum est igitur, ut dicas de conversa oratione atque mutata. — C. P. Est itaque [1] id genus totum situm in commutatione verborum [2]; quæ sim-

interpretationem, cujusque dat exemplum « rempublicam radicitus evertisti, civitatem funditus dejecisti ».

10. *Conjunctionibus copuletur*, etc. Exemplum affert J. V. L. ex or. pro lege Man. cap. 6: « Asia tam opima est et fertilis, ut et ubertate agrorum, et varietate fructuum, et magnitudine pastionis, et multitudine earum rerum, quæ exportantur, facile omnibus terris antecellat ».

11. *Dissolutionibus relaxetur*. Ed. Ven. addit *quasi*. Ern. — Exemplum affert J. V. L. ex Andria Terent. « accessi, vos semotæ, nos soli: incipit ».

12. *Aut sign. jud. ipsius ex animo humano*. Schützius corrigit: « aut significando judicibus animo humano ».

13. *Faciant*. Rescripsi sine dubitatione, pro *faciunt*, propter ea quæ statim dixi. Ern.

VII. 1. *Est itaque*. Edd. dant « est quidem ».

2. *Commutatione verborum*. Quia in h. l. plures modi loquendi sunt rhetorici, qui in libellis vulgaribus ac præceptis de oratione, sive, ut loquuntur, de stylo, non usurpantur aut explicantur, explicabimus singula, in quibus hærere studiosi possint. Ac *commutatio* quidem ipsa verborum quæ sit diximus in Clave, quæ et *immutatio* et *inversio* dicitur. Primum igitur verba singula in plura deducuntur, per synonymiam, periphrasim, formulam verborum, quam mox *orationem* dicit, ut quum pro *mori* dicitur, « fato fungi, diem obire, e conspectu discedere, etc. » verbum *factum* est compositum. *Oratione* contrahuntur verba, hoc modo: definitio contrahitur sic, quum e. c. pro definitione

plicibus in verbis ita tractatur[3], ut aut ex verbo dilatetur, aut in verbum contrahatur oratio : ex verbo, quum aut proprium, aut idem significans, aut factum verbum in plura verba diducitur[4]; ex oratione, quum aut definitio ad unum verbum revocatur, aut assumpta verba removentur, aut in circuitus diriguntur[5], aut in conjunctione fit unum verbum ex duobus. In conjunctis autem verbis triplex adhiberi potest commutatio[6], non verborum, sed ordinis tantummodo : ut, quum semel dictum sit directe, sicut natura ipsa tulerit[7], invertatur ordo, et idem quasi sursum versus retroque dicatur; deinde idem intercise atque permixte. Eloquendi autem exercitatio maxime in hoc toto convertendi genere versatur.

ponitur verbum, cujus est definitio : item res exprimitur per partitionem, aut descriptionem, denique per suum nomen. « Assumpta verba removentur », quum sublata synonymia exergasia, epithetis, solum verbum subjicitur. « In circuitus diriguntur », quum, quæ membratim dicta sunt, ad copiæ speciem, per periodum enuntiantur, quod sæpe facit Cicero in orationibus : « in conjunctione fit unum verbum e duobus », i. e. per compositionem, quum pro « qui patrem occidit », dicitur *parricida*. Ern.

3. *Tractatur*. Ed. Ven. *tractetur*.

4. *Diducitur; ex oratione, quum*. Schützius dat, ut in nonnullis edd. legitur teste Gothofredo : « diducitur. In verbum autem contrahitur oratio, quum ».

5. *Aut in circuitus diriguntur*. Hæc prorsus aliena sunt, quum hic de *contractione*, non de dilatatione agatur. Itaque suspicor hæc suo loco mota et post illa « aut factum verbum in plura verba diducitur », ponenda, et sic scribenda esse : « aut in circuitus dirigitur, aut in conjunct. » Sch.

6. *In conjunctis ... commutatio*. Hæc exciderunt e MS E. Ern.

7. *Sicut natura ipsa tulerit*. Credo Ciceronem scripsisse *tulerat : directe dicere* autem est, quum res dicuntur ordine naturæ, ut quod in eo est primum, etiam primo loco dicatur, et sic deinceps; deinde contra, ultimum primo loco, primum ultimo, item porro sine ordine naturali, quod est *intercise* atque *permixte* : ut si dixeris « omnia parent necessitati », quod est directe, dicas inverse « necessitati omnia parent », vel intercise « omnia necessitati parent ». Cujus generis multa sunt in orationibus Ciceronis, quum eadem res sæpius erat dicenda. Ernest. — J. V. L. exemplo affert illud Cic. pro Cæcin. c. 3 : « Quia res indigna sit, ideo turpem existimationem sequi; quia turpis existimatio sequatur, ideo rem indignam non judicari »; illudque Virgilii, Eclog. VIII, 49 : « Crudelis mater magis, an puer improbus ille? Improbus ille puer : crudelis tu quoque mater ».

(VII.) C. F. Actio[8] igitur sequitur, ut opinor.—C. P. Est ita : quæ quidem oratori et cum rerum et cum verborum momentis[9] commutanda maxime est. Facit enim et dilucidam orationem, et illustrem, et probabilem, et suavem, non verbis, sed varietate vocum, motu corporis, vultu, quæ plurimum valebunt[10], si cum orationis genere consentient, ejusque vim ac varietatem subsequentur. — C. F. Num quidnam de oratore ipso[11] restat? — C. P. Nihil sane, præter memoriam, quæ est gemina literaturæ[12] quodam modo, et in dissimili genere persimilis. Nam ut illa constat ex notis literarum, et ex eo, in quo imprimuntur illæ notæ : sic confectio memoriæ, tamquam cera, locis utitur, et in his imagines, ut literas, collocat.

VIII. (VIII.) C. F. Quoniam igitur vis oratoris omnis exposita est, quid habes de orationis præceptis dicere?—C. P. Quatuor esse ejus partes[1]; quarum prima et postrema ad motum animi valet (is enim initiis est et perorationibus concitandus); secunda, narratio; et tertia, confirmatio, fidem facit orationi. Sed amplificatio quamquam habet proprium locum, sæpe etiam primum, postremum quidem fere semper, tamen reliquo in cursu orationis adhibenda est, maximeque quum aliquid aut confirmatum est, aut reprehensum. Itaque ad fidem quoque vel plurimum valet.

8. *Actio*, quæ est quarta pars oratoris propria, cap. 6, 7. Cf. Her. III, 11; Or. III, 56; Inv. I, 7. WETZ.

9. *Cum verborum momentis.* Ed. Ven. *augmentis.* Illud ad *varietatem*, hoc ad *vim* refertur. ERN.

10. *Valebunt...consentient... subsequentur.* MS V. refert omnia ad actionem, habetque « valebit... consentiet ... subsequetur » : sed vulgatum melius. ERN.

11. *De oratore ipso.* MS idem habet « oratori ipsi ». Ed. Ven. « tibi de oratore ipso ». ERN.

12. *Quæ est gemina literaturæ.* Ita quoque Palatini; explicatque pluribus Franciscus Loretus Animadversionibus ad lib. I, Epist. 25 Symmachi. GRUT. — *Gemina*, similis; ut Horat. Serm. II, 3, 244, Epist. I, 10, 3. — De memoria conf. Her. III, 17.

VIII. 1. *Partes.* Cf. Inv. I, 14-56.

Est enim amplificatio vehemens quædam argumentatio; ut illa docendi causa sit, hæc commovendi. — C. F. Perge igitur ordine quatuor mihi istas[2] partes explicare. — C. P. Faciam, et a principiis primum ordiar: quæ quidem ducuntur aut ex personis, aut ex rebus ipsis. Sumuntur autem trium rerum gratia: ut amice, ut intelligenter, ut attente audiamur[3]. Quorum primus locus est in personis nostris, disceptatorum, adversariorum: e quibus initia benivolentiæ conciliandæ comparantur, aut meritis nostris, aut dignitate, aut aliquo genere virtutis, et maxime liberalitatis, officii, justitiæ, fidei; contrariisque rebus[4] in adversarios conferendis; et cum iis, qui disceptant, aliqua conjunctionis aut causa, aut spe significanda; et, si in nos aliquod odium offensiove collocata[5] sit, tollenda ea minuendave, aut diluendo, aut extenuando, aut compensando, aut deprecando. Intelligenter autem ut audiamur, et attente, a rebus ipsis ordiendum est. Sed facillime auditor discit, et, quid agatur, intelligit, si complectare a principio genus naturamque causæ[6], si definias, si dividas, si neque prudentiam ejus impedias confusione partium, nec memoriam multitudine: quæque mox de narratione dilucida dicentur, eadem etiam huc poterunt recte referri[7]. Ut attente autem audiamur, trium rerum aliqua consequemur: nam aut magna quædam proponemus, aut necessaria, aut conjuncta cum ipsis, apud quos res

2. *Mihi istas*, etc. Schützius cum MS Guelf. « istas mihi ».

3. *Ut... audiamur.* Cf. Inv. I, 16.

4. *Contrariisque rebus.* Sic MS E. quod verum puto: nam sic Cicero in hac forma semper: sic et edd. Ven. Junt. Vulgo abest *que*. Ern.

5. *Collocata sit.* Ed. Ven. « facta vel collata sit », quod melius videtur: nam « collocare offensionem » non dicitur. Ern. — Schützius corrigit *concitata*. Lallem. dedit *collata*.

6. *Naturamque causæ.* MS E. non habet *naturamque*. Et cetera omnia tantum ad genus pertinent. Ern.

7. *Referri.* MS Erl. *conferri.* Ern.

agetur. Sit autem hoc etiam in præceptis[8], ut, si quando tempus ipsum, aut res, aut locus, aut interventus alicujus, aut interpellatio, aut ab adversario dictum aliquod, et maxime in perorando, dederit occasionem nobis aliquam[9], ut dicamus aliquid ad tempus apte, ne derelinquamus: et, quæ suo loco de amplificatione dicemus, multa ex his poterunt ad principiorum præcepta transferri.

IX. (IX.) C. F. Quid? in narratione quæ tandem conservanda[1] sunt? — C. P. Quoniam narratio est rerum explicatio, et quædam quasi sedes ac fundamentum constituendæ fidei, ea sunt in ea servanda maxime, quæ etiam in reliquis fere dicendi partibus: quæ partim sunt necessaria, partim assumpta[2] ad ornandum. Nam ut dilucide probabiliterque narremus, necessarium est; sed assumimus[3] etiam suavitatem. Ergo ad dilucide narrandum eadem illa superiora explicandi et illustrandi præcepta repetemus, in quibus est brevitas: eaque sæpissime in narratione laudatur, de qua supra dictum est. Probabilis autem erit, si personis, si temporibus, si locis ea, quæ narrabuntur, consentient; si cujusque facti et eventi causa ponetur; si testata[4] dici videbuntur, si cum hominum opinione, auctoritate[5], si cum lege, cum more, cum

8. *Sit autem hoc etiam in præceptis.* Heusingerus conjicit: « sit etiam hoc in præceptis ».

9. *Dederit occ. nobis aliquam.* MS E. delet *aliquam*, quod placet, quia statim sequitur *aliquid*, et commode abest. ERN. — Sch. delevit. — Ultimum *ne* ante *derelinq.* conjungendum est cum superiore *ut* ante *si*, ita: sit hoc in præceptis, ut ne derelinq. si quando dederit occasio, i. e. utamur occasione ea quam nobis dederit aut tempus, aut res, etc. Vide Her. I, 6.

IX. 1. *Conservanda.* Lallem. *observanda.*

2. *Assumpta.* MS Guelf. *sumta.* Ante *assumpta* Lallem. addit *sunt.*

3. *Assumimus.* Melius e MS E. *assumamus* legas, aut *assumemus*, quia est oratio præcipientis. ERN. — Sch. dedit *assumamus.*

4. *Si testata dici.* MS E. *testate.* ERN.

5. *Opinione, auctoritate.* Schützius « op. vel auctoritate », quia ei videtur particula parum commode abesse.

religione conjuncta; si probitas narrantis significabitur, si antiquitas, si memoria[6], si orationis veritas, et vitæ fides. Suavis autem narratio est, quæ habet admirationes, exspectationes, exitus inopinatos, interpositos motus animorum, colloquia personarum[7], dolores, iracundias, metus, lætitias, cupiditates. Sed jam ad reliqua pergamus[8].

(x.) C. F. Nempe ea sequuntur, quæ ad faciendam fidem pertinent. — C. P. Ita est: quæ quidem in confirmationem et reprehensionem[9] dividuntur. Nam in confirmando, nostra probare volumus; in reprehendendo, redarguere contraria. Quoniam igitur omne, quod in controversiam venit, id aut sit[10], necne sit[11], aut quid sit, aut quale sit, quæritur: in primo conjectura valet, in altero definitio, in tertio ratio.

X. C. F. Teneo istam distributionem. Nunc conjecturæ locos quæro[1]. — C. P. In verisimilibus, et in propriis rerum notis posita est tota. Sed appellemus docendi gratia verisimile, quod plerumque ita fiat: ut, adolescentiam procliviorem esse ad libidinem. Propriæ autem notæ argumentum, quod numquam aliter fit, certumque declarat, ut fumus ignem. Verisimilia reperiuntur ex partibus et quasi membris narrationis: ea sunt in personis, in locis, in temporibus, in factis, in eventis, in rerum ipsarum negotiorumque naturis.

In personis naturæ primum spectantur, valitudinis,

6. *Si antiquitas, si memoria*. Lall. « si antiquitatis memoria ».

7. *Interpositos motus an. coll. personarum*. Schützius dat « interposita colloquia personarum, motus animorum », conferrique jubet Quint. Inst. Or. IV, 2, 108.

8. *Pergamus*. Ed. Ven. *transeamus*.

9. *Et repreh*. Schützius cum Guelf. et Victor. « et in repreh. »

10. *Id aut sit*. Margo ed. Ven. « id an aut sit », bene. Ern.

11. *Necne sit*. Schützius simpliciter *necne*.

X. 1. *C. l. quæro*. Agit de causæ constitutione conjecturali Her. I, 11, 17.

figuræ, virium, ætatis, marium, feminarum; atque hæc quidem in corpore: animi autem, aut quemadmodum affecti sint[2], virtutibus, vitiis, artibus, inertiis[3]; aut quemadmodum commoti, cupiditate, metu, voluptate, molestia. Atque hæc quidem in natura spectantur[4]. In fortuna, genus, amicitiæ, liberi, propinqui, affines, opes, honores, potestates, divitiæ, libertas, et ea, quæ sunt iis contraria. In locis autem et illa naturalia, maritimi an remoti a mari; plani an montuosi; læves an asperi; sálubres an pestilentes; opaci an aprici[5]: et illa fortuita, culti an inculti; celebres an deserti; coædificati an vasti; obscuri an rerum gestarum vestigiis nobilitati; consecrati an profani.

XI. In temporibus autem, præsentia et præterita et futura cernuntur: in his ipsis, vetusta, recentia, instantia, paullo post aut aliquando futura. Insunt etiam in temporibus illa, quæ temporis[1] quasi naturam notant, ut hiems, ver, æstas, autumnus: aut anni tempora, ut mensis, ut dies, ut nox, hora, tempestas[2]; quæ sunt naturalia: fortuita autem, sacrificia, festi dies, nuptiæ. Jam facta et eventus aut consilii sunt, aut imprudentiæ; quæ est aut in casu, aut in quadam animi permotione: casu, quum aliter ceci-

2. *Affecti sint*. Sic MS E. bene: pendet enim a *spectantur*: alii *sunt*.

3. *Inertiis*. MS *meritis*, male: *artes* et *inertiæ* opponuntur. Ern.

4. *In nat. spectantur*. *Spectantur* abest ab ed. Ven. bene, item mox *potestates*. Ern.

5. *Opaci an aprici*. MS V. addit *lucidi* post *opaci*. Ern.

XI. 1. *Temporis*. Ed. Ven. *temporum*.

2. *Tempestas*. Non videtur hic locum habere: neque enim est pars temporis aut diei. Ern. — Schützius ait: hunc locum sic arbitror constituendum esse (cf. Quintil. V, 10, 42, et Cic. de Inv. I, 26): « Insunt etiam in temporibus illa, quæ temporis quasi mensuram notant, ut annus, ut mensis, ut dies, ut nox, ut hora; aut anni tempora, ut hiems, ver, æstas, autumnus, quæ sunt naturalia: fortuita autem sacrificia, festi dies, nuptiæ ». Voc. *tempestas* aut spurium est, aut ante *sacrificia* ponendum. — *Tempestas* h. l. stare potest, quum hæc maxima ex parte ab anni temporibus pendeat. Wetz

dit[3], ac putatum sit; permotione, quum aut oblivio, aut error, aut metus, aut aliqua cupiditatis causa permovit. Est etiam in imprudentia necessitas ponenda. Rerum autem bonarum et malarum tria sunt genera: nam aut in animis, aut in corporibus, aut extra esse possunt. Hujus igitur materiæ, ad argumentum subjectæ, perlustrandæ animo partes erunt omnes, et ad id, quod agetur, ex singulis conjectura capienda.

Est etiam genus argumentorum aliud, quod ex facti vestigiis sumitur, ut telum, cruor, clamor editus[4], titubatio, permutatio coloris, oratio inconstans, tremor, et eorum aliquid, quod sensu percipi possit: etiam si præparatum aliquid, si communicatum cum aliquo, si postea visum, auditum, indicatum.

Verisimilia autem partim singula movent suo pondere; partim, etiamsi[5] videntur esse exigua per se, multum tamen, quum sunt coacervata, proficiunt: atque in his verisimilibus insunt nonnumquam etiam certæ rerum et propriæ notæ. Maximam autem facit fidem ad similitudinem veri, primum exemplum; deinde introducta rei similitudo; fabula etiam nonnumquam, etsi est[6] incredibilis, tamen homines commovet.

XII. (XI.) C. F. Quid? definitionis quæ ratio est[1], et quæ via? — C. P. Non dubium est id quidem, quin definitio genere declaretur, et proprietate quadam, aut etiam communium frequentia, ex quibus, proprium quid sit, eluceat. Sed quoniam de propriis oritur plerumque magna dissensio, definiendum est sæpe

3. *Aliter cecidit.* Sic ed. Ven. quod est melius, quam vulgatum *accidit*. Mox eadem pro *ponenda* habet *ponderanda*. Ern. — *In impr. necessitas ponenda.* Cf. Inv. I, 27.

4. *Editus.* Ed. Ven. Guelf. *auditus.*

5. *Etiamsi vid.* Lallem. *si vid.* — *Similitudo.* Cf. Inv. I, 30; Top. 3, 10.

6. *Etsi est incr.* Sic recte MS E. Vulgo *sit.* Ern.

XII. 1. *Def. quæ ratio est.* Cf. de Inv. II, 51; Top. 21, 22.

ex contrariis [2], sæpe etiam ex dissimilibus [3], sæpe ex paribus [4]. Quamobrem descriptiones [5] quoque sunt in hoc genere sæpe aptæ, et enumeratio consequentium [6], in primisque commovet explicatio [7] vocabuli ac nominis.

(XII.) C. F. Sunt exposita jam fere ea, quæ de facto, quæque de facti appellatione quæruntur. Nempe igitur ea restant, quæ, quum factum constet, et nomen, qualia sint, vocatur in dubium. — C. P. Est ita, ut dicis. — C. F. Quæ sunt igitur in eo genere partes? — C. P. Aut jure factum [8], depellendi aut ulciscendi doloris gratia, aut pietatis, aut pudicitiæ, aut religionis, aut patriæ nomine, aut denique necessitate, inscitia, casu. Nam quæ motu animi et perturbatione

2. *Ex contrariis.* Sic, si volo virtutem definire, dicam cum Horatio: « Virtus est vitium fugere, et sapientia prima Stultitia caruisse ».

3. *Ex dissimilibus.* Sic dicam eloquentiam eo a ceteris artibus distingui, quod nullis finibus circumscribatur, quum ceteræ artes finitæ sint et terminatæ.

4. *Ex paribus.* Sic Juno Æn. X, 81, Venerem alloquitur: « Tu potes Æneam manibus subducere Graium, Proque viro nebulam, et ventos obtendere inanes, Et potes in totidem classes convertere nymphas: Nos aliquid Rutulos contra juvisse, nefandum est? »

5. *Descriptiones.* Sæpissime descriptio definitionis locum obtinere potest, quæ scilicet ab ea differt, quod non solum proprias cujusque rei virtutes continet, sed multas rei dotes enumerat, quarum aliæ aliis rebus possunt esse communes. Respice Topic. cap. 22.

6. *Enumeratio cons.* Quæ fit, quum, postquam retulimus omnia quæ factum aliquod comitari aut sequi solent, concludimus factum illud admissum esse. Confer Philipp. VIII, cap. 2.

7. *Explicatio voc.* Quæ fit quum verbi sensum scrutamur et interrogamus. Sic Cicero dicit vocem *consulem* eum designare qui patriæ consulit, ideo Pisonem consulem non fuisse: quod probatur per explicationem vocabuli.

8. *Aut jure factum, depellendi.* Sic MS V. et ed. Ven. quod verum puto, atque recepi. Vulgati, « aut jure factum depellitur, aut ulc.» MS E. habet *appelletur.* Ern. — Quem Sch. sequitur. Lambinus corrigit *defenditur*, sed contra libros, in quibus *depellitur.* Hittorp. tamen et Pal. pr. habent *depelletur*, alter *depellendi*: ut mihi verisimile sit totam eam vocem esse a manu scribarum, qui verbum aliquod hic requiri putabant, quod belle nihilominus subintelligatur. Gaut.

facta sine ratione sunt, ea defensionem contra crimen, in legitimis judiciis, non habent, in liberis disceptationibus habere possunt. Hoc in genere, in quo, quale sit, quæritur, ex controversia [9], jure, et rectene [10] actum sit, quæri solet: quorum disputatio ex locorum descriptione sumenda est.

(XIII.) C. F. Agesis ergo, quoniam in confirmationem et reprehensionem diviseras orationis fidem, et dictum de altero est: expone nunc de reprehendendo. — C. P. Aut totum est negandum, quod in argumentatione adversarius sumpserit, si fictum aut falsum esse possis docere; aut redarguenda ea, quæ pro verisimilibus sumpta sint [11]: primum dubia sumpta esse pro certis; deinde etiam in perspicue falsis eadem posse dici; tum ex iis, quæ sumpserit, non effici, quod velit [12]. Accedere autem oportet ad singula [13]; sic universa frangentur. Commemoranda sunt etiam exempla, quibus simili in disputatione creditum non sit; conquerenda [14] conditio communis periculi, si ingeniis hominum criminosorum sit exposita vita innocentium.

XIII. (XIV.) C. F. Quoniam unde inveniantur [1], quæ ad fidem pertinent [2], habeo, quemadmodum in di-

9. *Ex controversia*. Hoc Schützius delet, ut ineptum, conferrique jubet de Orat. II, 26.

10. *Et rectene*. Schützius « et recte necne », quod reperit in Guelf. a manu correctoris.

11. *Sumpta sint*. Quia ante est « quod sumpserit », hic quoque scribendum est *sint* non *sunt*, ut vulgo. Ern. — Quod h. l. brevissime de reprehensione attingit, ea ampliavit Inv. I, 42.

12. *Quæ sumpserit ... quod velit*. Sic rescripsi e MS E. et ed. Ven. nam refertur ad adversarium, et *quod* pro *quæ* ex eodem MS. Vulgo erat, « quæ sumpserit ... quæ velint ». Ernest.

13. *Accedere autem op. ad singula*. Schützius dat « accidere autem oportet singula » ex ed. Omnib. Kob. Nimirum, inquit, Cicero a fasciculo baculorum imaginem mutuatus est, quos si singulos accideris, vel incideris, facile possis universos frangere.

14. *Conquerenda*. Ed. Kob. « tum querenda ». Sch. — De re cf. Herenn. III, 13; Inv. I, 52.

XIV. 1. *Inv.* Sch. Lall. *inveniuntur*.

2. *Quæ ad fidem pertinent*. Ed. Ven. *attinent*, quod verum videtur: nam et alibi huic illud substitutum est.

cendo singula tractentur, exspecto. — C. P. [Argumentationem[3]] quærere videris, quæ sit argumenti explicatio: [quæ sumpta ex iis locis, qui sunt expositi, conficienda et distinguenda dilucide est.] — C. F. Plane istuc[4] ipsum desidero. — C. P. Est ergo, ut supra dictum est, explicatio argumenti, argumentatio: sed ea conficitur, quum sumpseris aut non dubia, aut probabilia, ex quibus id efficias, quod aut dubium, aut minus probabile per se videtur. Argumentandi autem duo sunt genera, quorum alterum ad fidem directo spectat; alterum se inflectit ad motum. Dirigitur, quum proposuit aliquid, quod probaret, sumpsitque ea, quibus niteretur[5]; atque his confirmatis, ad propositum retulit[6], atque conclusit. Illa autem altera argumentatio, quasi retro et contra, prius sumit, quæ vult[7], eaque confirmat; deinde id, quod proponendum fuit, permotis animis jacit ad extremum. Est autem[8] illa varietas in argumentando, et non in-

3. *Argumentationem ... quæ sit argum. expl. quæ sumpta ... dil. est.* Verbum *argumentationem* sine dubio spurium est: nam nomen hoc post ponitur: est ergo explicatio argumenti argumentatio. Nec argumentatio sumitur e locis, sed argumentum; ejus autem tractatio est argumentatio. Deinde pro *quæ sit* Aldus et Junt. habent *quæ est:* sane *sit* in hoc textu stare non potest. Denique MS E. non habet « quæ sumpta... dil. est », quod placet: nam hic de genere modo sermo esse potest; explicatio ejus et præcepta faciendi sequuntur, videnturque ea verba aliunde sumpta esse, ubi de argumentatione sermo est. Ern. — Verba quæ Ern. spuria judicavit, Schützius delevit. — De re ipsa quam hoc capite et 14 tractat, confer pluribus disserentem Herenn. lib. II, cap. 18-29; de Invent. lib. I, cap. 29-41. Wetz.

4. *Istuc.* Sch. *istud.*

5. *Quibus niteretur.* Sic MS E. quod librarii esse non potest: vulg. *uteretur.* Similis confusio infr. c. 36, et pluribus aliis locis, qui deinde indicabuntur. Non dubitavi recipere. Sed ed.Ven. « quibus monstret ». Ern. — Quem Sch. sequitur.

6. *Ad prop. retulit.* Lallem. « ad prop. sese ret. » Sch. « se retulit ».

7. *Prius sumit, quæ vult.* Ut signa rei, ex quibus docere vult: « quod proponendum fuit », est quod volebat effici. Nempe ordine simplici primum dicimus, quod defendere volumus, deinde argumenta subjicimus: hic est contra. Ern.

8. *Est autem illa v.* MS E. ed.Ven. *etiam*, quod Sch. prætulit.

jucunda distinctio: ut, quum interrogamus[9] nosmet ipsi, aut percunctamur, aut imperamus[10], aut optamus, quæ sunt cum aliis compluribus sententiarum ornamenta. Vitare autem similitudinem poterimus, non semper a proposito ordientes; et si non omnia disputando confirmabimus[11], breviterque interdum, quæ erunt satis aperta, ponemus; quodque ex his efficietur, si id apertum sit, non habebimus necesse semper concludere.

XIV. C. F. Quid? illa, quæ sine arte appellantur, quæ jamdudum assumpta dixisti, ecquonam modo[1], ecquonam loco artis indigent? — C. P. Illa vero indigent : nec eo dicuntur sine arte, quod ita sunt, sed quod ea non parit oratoris ars, sed foris ad se delata, tamen arte tractat, et maxime in testibus. Nam et de toto genere testium, quam id sit infirmum, sæpe dicendum est; et argumenta, rerum esse propria; testimonia, voluntatum; utendumque est exemplis, quibus testibus creditum non sit; et de singulis testibus, si natura vani, si leves, si cum ignominia, si spe, si metu, si iracundia, si misericordia[2] impulsi, si præmio, si gratia adducti; comparandique superiore cum auctoritate testium[3], quibus tamen creditum non sit. Sæpe etiam quæstionibus resistendum est, quod et

9. *Quum int. nosmet ipsi.* Vulgo *nosmetipsos.* Ern. dedit *nosmet ipsi*, hoc sensu, quum non exspectamus, donec alius nos interroget, sed ipsi nos interrogamus. Sch. — De hac figura, gallice *subjection*, vid. ad Her. IV, 23.

10. *Imperamus.* Schützius sequutus est Heusingerum, qui emendavit *imploramus* ad Cic. Off. III, 10, 16, conferrique jubet Orat. 40, et de Orat. III, 53.

11. *Disputando confirmabimus.* Sic dedit Ernest. ex ed. Ven. MS E. pro vulg. « confirmando disputabimus », et Sch. sequutus est.

XIV. 1. *Ecquonam modo.* Abest a MS V. et ed. Ven. nec satis placet : et repetitio verbi *ecquonam* frigidiuscula videtur. Contra ab ed. Ven. abest « ecquonam loco ». Ern.

2. *Si misericordia.* MS E. « si invidia, si miser. » quod non alienum est.

3. *Comparandique superiore cum auctoritate testium.* Intell. cum testibus, quorum major auctoritas fuerit.

dolorem fugientes multi in tormentis ementiti persæpe sunt, morique maluerunt falsum fatendo, quam infitiando[4] dolere. Multi etiam suam vitam neglexerunt, ut eos, qui his cariores, quam ipsi sibi essent, liberarent; alii autem aut natura corporis, aut consuetudine dolendi, aut metu supplicii ac mortis[5], vim tormentorum pertulerunt; alii ementiti sunt in eos, quos oderant. Atque hæc exemplis firmanda sunt. Neque est obscurum, quin (quoniam in utramque partem[6] sunt exempla, et item ad conjecturam faciendam loci) in contrariis contraria sint sumenda. Atque etiam incurrit alia quædam in testibus et in quæstionibus ratio : sæpe enim ea, quæ dicta sunt, si aut ambigue, aut inconstanter, aut incredibiliter dicta sunt, aut etiam aliter ab alio dicta, subtiliter reprehenduntur.

XV. (xv.) C. F. Extrema tibi pars restat orationis, quæ posita in perorando est, de qua sane velim audire. — C. P. Facilior[1] est explicatio perorationis : nam est divisa in duas partes, amplificationem, et enumerationem. Augendi autem et hic est proprius locus in perorando; et in cursu ipso orationis declinationes ad amplificandum dantur, confirmata re aliqua, aut reprehensa. Est igitur amplificatio, gravior quædam affirmatio, quæ motu animorum conciliet in

4. *Quam inf. dolere.* Ern. « quam verum inf. dol. » E MSS Erl. inquit, et V. et ed. Ven. addidimus *verum*, quod et res jubet addere. Servorum exempla, qui in tormentis amore dominorum verum confessi non sunt, sed constantes negaverunt, plura Veteres tradidere. — Wetz. autem rectius intelligit de servis qui mori maluerunt scelus fatendo, quod non admiserant, quam, infitiando hoc idem scelus, tormentis diutius cruciari. Sequitur mox id ipsum de quo Ernest. hic agi putabat : « Multi etiam, etc. » *Verum* igitur delevit.

5. *Ac mortis.* Sic MS V. corrigit *aut :* sic ed. Ven. bene. Ern.

6. *In utramque partem.* Volebat ita legi de conjectura Lambinus, quemadmodum expresse habet Pal. pr. et Hittorp. Edd. vett. « in utraque parte ».

XV. 1. *Facilior.* Ed. Ven. *facilis*,

dicendo fidem. Ea et verborum genere conficitur, et rerum. Verba ponenda sunt, quæ vim habeant illustrandi, nec ab usu sint abhorrentia, gravia, plena, sonantia, juncta, facta, cognominata [2], non vulgata, superlata, inprimisque translata, nec in singulis verbis, sed in continentibus soluta [3], quæ dicuntur sine conjunctione, ut plura videantur. Augent etiam relata verba, iterata, duplicata [4], et ea, quæ adscendunt gradatim ab humilioribus verbis ad superiora [5], omninoque semper quasi naturalis et non explanata oratio [6], sed gravibus referta verbis, ad augendum accommodatior. Hæc igitur in verbis; quibus actio vocis, vultus [7], et gestus congruens, et apta ad animos permo-

non male. Ern.—De peroratione vid. Her. II, 30; Inv. I, 52-56.

2. *Facta, cognominata.* Primum uterque MS noster et ed. Ven. *ficta*. Sed *facta* in hac re usitatum Ciceroni. Sed quæ sunt verba *cognominata?* J. M. Brutus *coagmentata:* sed Ciceroni « coagmentare verba » dicitur pro vincire verba, quod ad h. l. est alienum: nam sermo est de verbis singulis: nec sunt composita: nam ea ante dixit *juncta*. Nihil melius habeo, quam esse verbum e græco συνώνυμα, ut et Strebæus accipit. Ern. — Vertit J. V. L. *mots synonymes*, exemplumque dat: « Immanis, tetra, crudelis, importuna bellua ».

3. *Nec in sing. verbis, sed in cont. soluta.* Vertit J. V. L. *détachés, non pas l'un de l'autre, mais par membres de phrases:* annotatque significari non talem sententiam « nos penates, aras, focos, sepulchra majorum; nos leges, jura, libertatem, conjuges, liberos, patriam defendimus », ubi verba ipsa singula ponuntur, sed talem sententiam: « me patria expulerat, bona diripuerat, domum incenderat, liberos conjugemque meam vexaverat ». Schützius dat « non solum in singulis verbis, etc. » vult interpungi post *continentibus*, interpretaturque: translata in continentibus sunt allegoriæ; soluta autem ἀσύνδετα.

4. *Relata verba, iterata, duplicata.* *Relata* verba sunt, quæ per anaphoram repetuntur; *iterata*, quum (figura antistrophes) in idem verbum sæpius desinimus; *duplicata*, quum idem verbum bis deinceps ponitur. Sch.

5. *Ab hum. verbis ad sup.* Schütz. delet *verbis*, ut ineptum. Vertit J. V. L. *les expressions qui enchérissent les unes sur les autres;* exemplumque dat illud Ciceronis in Verr. V, 66: « facinus est vincire civem romanum, scelus verberare, prope parricidium necare: quid dicam in crucem tollere? » Alterumque illud, « contemni se putant, despici, illudi ».

6. *Nat. et non expl. or.* Quæ non multis verbis utitur aut artibus oratoriis, sed simpliciter et breviter rem dicit. Ern.

7. *Actio vocis, vultus, et gestus*

vendos, accommodanda[8] est. Sed et in verbis, et in actione causa erit tenenda, et pro re agenda[9]: nam hæc quia videntur perabsurda, quum graviora sunt, quam causa fert; diligenter, quid quemque deceat, judicandum est.

XVI. (XVI.) Rerum amplificatio[1] sumitur eisdem ex locis omnibus, quibus illa, quæ dicta sunt ad fidem: maximeque[2] definitiones valent conglobatæ, et consequentium frequentatio[3], et contrariarum[4], et dissimilium, et inter se pugnantium rerum conflictio[5]; et causæ, et ea, quæ sunt de causis orta, maximeque similitudines et exempla; fictæ etiam personæ; muta denique loquantur[6], omninoque ea sunt adhibenda, si causa patitur, quæ magna habentur: quorum est duplex genus. Alia enim magna natura[7] videntur, alia usu: natura, ut cælestia, ut divina, ut ea, quo-

congruens. MS uterque delet *vultus*: Lambinus autem, quem Lall. sequutus est, e MS « voce, vultu, gestu », quia « actio vocis, vultus » durum est: sed tamen in his inest actio. ERN. — Pal. pr. et Hittorp. habent « actio vocis et gestus cong. » sine *vultus*, alter Pal. « actio vultus et gestus » sine *vocis*. GRUT.

8. *Accommodanda est*. Sic mihi semper legendum visum est: est enim præceptum: quia est in ed. Ven. recepi. Vulgo *accommodata*. ERN.

9. *Causa erit ten. et pro re agenda*. MS E. *ponderanda*, et post *agendum*. Ed. Venet. habet tantum *ponderanda*. Cetera absunt. ERN. — Schütz. sic locum hunc constituit: « sed in verbis, et in actione c. e. t. et pro re agendum. Nam quia videntur perabsurda, quæ graviora sunt, etc. »

XVI. 1. *Rerum amplificatio*. MS E. « rerum autem ampl. »

2. *Maximeque definitiones valent*. MS E. dat « maximeque et definitiones valent ». ERN.

3. *Conseq. frequentatio*. Exemplum dat Cic. Verr. V, cap. 65, quum quærit quid fiet, si vox illa « sum civis romanus », nullam opem ferre potest imploranti.

4. *Contrariarum*. Cic. Verr. V, c. 6, « ut quam damnatis servis crucem fixeras, hanc indemnatis civibus romanis reservares ».

5. *Inter se pugn. rerum conflictio*. Sic in Milon. c. 37: « quod me reducem esse voluisti? an ut, inspectante me, expellerentur ii, per quos essem restitutus? »

6. *Muta denique loquantur*. Hæc est prosopopœia, cujus pulcherrima exempla reperies nostro Flexerio; tum multa et in ipso Cicerone.

7. *Magna natura*. Sch. cum Erl. *natura magna*, quod Ern. placebat.

rum obscuræ causæ, ut, in terris mundoque admirabilia quæ sunt; ex quibus similibusque, si attendas, ad augendum permulta suppetunt : usu, quæ videntur hominibus aut prodesse aut obesse vehementius : quorum sunt genera ad amplificandum tria. Nam aut caritate moventur homines, ut deorum, ut patriæ, ut parentum; aut amore, ut fratrum, ut conjugum, ut liberorum, ut familiarium; aut honestate, ut virtutum, maximeque earum, quæ ad communionem hominum et liberalitatem valent. Ex iis et cohortationes sumuntur ad ea retinenda; et in eos, a quibus ea violata sunt, odia incitantur, et miseratio nascitur.

XVII. Proprius locus[1] est augendi, in his rebus aut amissis, aut amittendi periculo. Nihil est enim tam miserabile, quam ex beato miser. Et hoc totum quidem moveat, si bona ex fortuna[2] quis cadat : et a quorum caritate divellatur; quæ amittat, aut amiserit; in quibus malis sit, futurusve sit, exprimatur breviter. Cito enim arescit[3] lacryma, præsertim in alienis malis. Nec quidquam in amplificatione nimis enucleandum est : minuta est enim omnis diligentia; hic autem locus grandia requirit. Illud jam est judicii, quo quaque in causa genere utamur augendi. In illis enim causis, quæ ad delectationem exornantur, ii loci tractandi sunt, qui movere possunt exspectationem, admirationem, voluptatem. In cohortationibus autem, bonorum ac malorum enumerationes et exempla valent plurimum. In judiciis accusatori fere, quæ ad iracundiam; reo plerumque, quæ ad misericordiam

XVII. 1. *Proprius locus est.* Ern. addidit *est* ex ed. Ven. Sch. « proprius autem locus est » ex Guelf. qui habet « proprius aut locus ».

2. *Si bona ex fortuna.* MS V. non habet *ex* a pr. m. Ern. — Schützius corrigit « si qua ex fortuna ».

3. *Arescit.* Ed. Kob. *exarescit.* Sch. — Respice Invent. I, 56; Herenn. II, 31.

pertinent : nonnumquam tamen accusator misericordiam movere debet, et defensor iracundiam.

(XVII.) Enumeratio[4] reliqua est, nonnumquam laudatori, suasori non sæpe, accusatori sæpius quam reo, necessaria. Hujus[5] tempora duo sunt, si aut memoriæ diffidas eorum, apud quos agas, vel intervallo temporis, vel longitudine orationis : aut frequentatis firmamentis orationis, et breviter expositis, vim est habitura causa majorem. Et reo[6] rarius utendum est, quod ponenda sunt contraria; quorum dissolutio in brevitate lucebit[7], aculei pungent. Sed erit in enumeratione vitandum, ne ostentatio memoriæ suscepta videatur esse puerilis : id effugiet, qui non omnia minima repetet, sed brevia singula[8] attingens, pondera rerum ipsa comprehendet.

XVIII. (XVIII.) C. F. Quoniam et de ipso oratore, et de oratione dixisti, expone eum mihi nunc, quem ex tribus extremum proposuisti, quæstionis locum. — C. P. Duo sunt, ut initio dixi, quæstionum genera; quorum alterum, finitum temporibus et personis, causam appello[1]; alterum infinitum, nullis neque per-

4. *Enumeratio* est cap. 5, altera perorationis pars, ut et Inv. I, 52; Her. II, 30. Est etiam Inv. I, 29, pars argumentationis. Wetz.

5. *Hujus temp.* Vulgo « hujus ipsa temp. » hoc *ipsa* mihi suspectum fuit : deinde reperi abesse ab ed. Ven. itaque delevi. — Abest et Guelf. teste Sch.

6. *Et reo. Et* bene. Abest ab ed. Ven.

7. *Quorum diss. in br. lucebit.* Sic cum Lambino reposuimus pro *latebit*, qui hanc lectionem in MSS reperit, ut Gruterus in Palat. nos in Vit. et ed. Ven. Vulgatum *latebit* nec aptum loco, nec convenit verbo sequenti *pungent*. Nempe brevitas magis perspicuam facit dissolutionem, non occultat : quod foret vitiosum. Ern. — Schützius dat « non lucebit » ex ed. Kob. et MS Ox. Ψ.

8. *Brevia singula*. Schütz. corrigit « breviter singula ».

XVIII. 1. *Causam appello*. Sic ed. Ven. MS V. « causam controversiam » : Aldus et Junta edidere inverse « controversiam causam » ; Gruterus ex ed. vetere « controversiam causam ». Etiam supra vidimus in hac re turbari in libris. Fortasse fuit « controversiam et causam ». Nam et mox utrumque conjungit, ubi pariter in libris quibusdam ut Viteb. *et* omittitur. Ern. — Schützius putat *controversiam* e glossa esse. — De re cf. Top. 21.

sonis, neque temporibus notatum, propositum [2] voco. Sed est consultatio [3] quasi pars causæ quædam et controversiæ : inest enim infinitum in definito, et ad illud tamen referuntur omnia. Quamobrem prius [4] de proposito dicamus : cujus genera sunt duo, cognitionis alterum; ejus scientia est finis, ut, verine sint sensus : alterum actionis; quod refertur ad efficiendum quid, ut, si quæratur, quibus officiis amicitia colenda sit. Rursus superioris genera sunt tria : sit, necne; quid sit; quale sit. Sit, necne, ut, jus in natura sit [5], an in more. Quid autem sit [6] : sitne jus id, quod majori parti sit utile. Quale autem sit : juste vivere, sit, necne [7], utile. Actionis autem duo sunt genera : unum, ad persequendum aliquid, aut declinandum; ut, quibus rebus adipisci gloriam possis [8], aut quomodo invidia vitetur : alterum, quod ad aliquod commodum [9] usumque refertur; ut, quem-

2. *Propositum voco.* Ern. ex ed. Ven. delevit *quod* ante *propositum*. Lallem. dat « consultationem aut propositum voco ».

3. *Sed est consultatio*, etc. Consultatio est quæstio infinita, locus communis, etc. Vid. cap. 4. Gruterus in MS reperit « propositum latior pars controversiæ, quam causæ ». In primo *propositum* non refrager, quia post sic est, idque idem est quod θέσις, quæstio infinita. Vid. Clav. Sed cetera non placent : nam *controversia* et *causa* synonyma sunt : et θέσις quæ immiscetur amplificandi causa, non est proprie pars controversiæ; nec est major ejus pars in θέσει. Melius ed. Ven. « propositum latius, quasi pars controversiæ et causæ ». Ern. — Sch. dat « Sed est quasi latior pars causæ quædam propositum ». In MS Ox. « Sed est propositum latius quasi pars controversiæ quædam causæ ». Lallem. « Sed propositum latior pars causæ q. et c. »

4. *Quamobrem prius. Prius* abest a MS V. Ern. — De propos. cf. Top. 21-23; Quint. VII, 1.

5. *In natura sit.* MS V. « in natura ne sit », quod prætulerim : margo ed. Ven. delet primum *in*. Ern. — Sch. dedit « in natura ne sit », addens auct. MS Guelf.

6. *Quid autem sit : sitne.* Ed. Ven. « quale autem sit, sic » : non male : sæpe ita Cicero. Ern. — Schützius addidit *ut* ante *sitne*, et delevit *autem* : iterumque addidit *ut* ante *juste vivere*.

7. *Sit, necne, utile.* MS V. « sitne utile », melius. Ern.

8. *Possis*. MS Guelf. *possit*. S.

9. *Aliquod commodum*. Ed. Ven. « aliquam commoditatem ».

admodum sit respublica administranda, aut, quemadmodum in paupertate vivendum.

Rursus autem ex cognitionis[10] consultatione, ubi, sit, necne sit, aut fuerit, futurumve sit, quæritur, unum genus est quæstionis, possitne aliquid effici; ut, quum quæritur, ecquisnam perfecte sapiens esse possit : alterum, quemadmodum quidque fiat; ut, quonam pacto virtus pariatur, naturane, an ratione, an usu. Cujus generis sunt omnes, in quibus, ut in obscuris naturalibusque quæstionibus, causæ rationesque rerum explicantur.

XIX. (xix.) Illius autem generis, in quo, quid sit id, de quo agitur, quæritur, duo sunt genera : quorum in altero disputandum est, aliud an idem sit, ut pertinacia[1] et perseverantia; in altero autem, descriptio generis alicujus, et quasi imago exprimenda est, ut, qualis sit avarus, aut quid sit superbia[2].

Tertio autem in genere, in quo, quale sit, quæritur, aut de honestate, aut de utilitate, aut de æquitate dicendum est. De honestate sic : ut, Honestumne sit pro amico periculum, aut invidiam subire. De utilitate autem sic : ut, Sitne utile, in republica administranda versari. De æquitate vero sic : ut, Sitne æquum, amicos cognatis anteferre. Atque in hoc eodem genere, in quo, quale sit, quæritur, exoritur aliud quoddam disputandi genus. Non enim simpliciter solum quæritur, quid honestum sit, quid utile, quid æquum, sed etiam[3] ex comparatione, quid ho-

10. *Ex cogn. cons.* Lamb. « in cogn. consultatione ».

XIX. 1. *Ut pertinacia.* MS V. *pertinentia :* supra manus secunda adscripsit : « alii *pertinacia* ». Ern. — *Pertinacia et perseverantia.* Illa in vitio, hæc in virtute posita. Top. 23; Inv. II, 54; Herenn. III, 3. Wetz.

2. *Aut q. s. superbia.* MS Guelf. *superbus.* Sch.

3. *Sed etiam ... quid honestissimum.* Lallem. delet « ex comparatione, quid honestius, quid utilius, quid æquius, atque etiam ». Ex ea quam nunc ex-

nestius, quid utilius, quid æquius; atque etiam, quid honestissimum, quid utilissimum, quid æquissimum: cujus generis illa sunt, quæ præstantissima sit dignitas vitæ. (xx.) Atque ea quidem, quæ dixi, cognitionis sunt omnia.

Restant actionis : cujus alterum est præcipiendi genus, quod ad rationem officii pertinet; ut, quemadmodum colendi sint parentes : alterum autem ad sedandos[4] animos, et oratione sanandos, ut in consolandis mœroribus, ut in iracundia comprimenda, aut in timore tollendo[5], aut in cupiditate minuenda. Cui quidem generi contrarium est disputandi genus ad eosdem illos animi[6] motus, quod in amplificanda oratione[7] sæpe faciendum est, vel gignendos, vel concitandos. Atque hæc fere est partitio consultationum.

XX. C. F. Cognovi : sed quæ ratio sit[1] in his inveniendi et disponendi, requiro. — C. P. Quid? tu aliamne censes, et non eamdem[2], quæ est[3] exposita, ut ex eisdem locis ad fidem et ad inveniendum ducantur omnia? Collocandi autem quæ est exposita in aliis ratio, eadem huc transfertur.

(xxi.) Cognita igitur omni distributione propositarum consultationum, causarum genera restant admodum[4]. Et earum quidem forma duplex est : quarum

ponit ratione, Cicero divisit opus suum de Officiis. J. V. L.

4. *Alterum autem ad sed.* Schützius cum Lamb. « alterum quod ad sedandos animos ».

5. *In tim. tollendo.* Ed. Ven. *deliniendo.* Ern.

6. *Animi motus.* Ed. Ven. *animorum m.* Ern.

7. *In amplificanda oratione.* « In amplificatione orationis », ed. Ven.

XX. 1. *Sed quæ r. sit.* MS V. delet *sed.* Scribendum est *sit* cum Lambin. pro vulg. *est*, nisi malis *requiro* delere. Sed *sit* habet ed. Ven. Ern.

2. *Eamdem.* Vulgo « eamdem esse », quod *esse* Ern. delevit ex ed. Venet. MS Vit. sequente Schützio cum MS Guelf.

3. *Quæ est exposita.* Supra c. 2.

4. *C. genera restant admodum.* Sic MS E. Pro *adm.* vulg. *omnino* sensu

altera delectationem sectatur aurium[5]; alterius, ut obtineat, probet et efficiat, quod agit, omnis est suscepta contentio. Itaque illud superius, exornatio dicitur: quod quum latum genus esse potest[6], saneque varium, unum ex eo delegimus, quod ad laudandos claros viros suscipimus[7], et ad improbos vituperandos. Genus enim nullum est orationis, quod aut uberius ad dicendum, aut utilius civitatibus esse possit, aut in quo magis orator in cognitione virtutum vitiorumque versetur. Reliquum autem genus causarum, aut in provisione posteri temporis, aut in præteriti disceptatione versatur: quorum alterum deliberationis est, alterum judicii. Ex qua partitione tria genera causarum exstiterunt: unum, quod, a meliori parte, laudationis est appellatum; deliberationis alterum; tertium judiciorum. Quamobrem de primo primum, si placet, disputemus. — C. F. Mihi vero placet.

XXI. C. P. Ac laudandi vituperandique rationes, quæ non ad bene dicendum solum, sed etiam ad honeste vivendum valent, exponam breviter, atque a principiis exordiar et laudandi et vituperandi. Omnia enim sunt profecto laudanda, quæ conjuncta cum virtute sunt; et quæ cum vitiis, vituperanda. Quamobrem finis alterius est honestas, alterius turpitudo.

eodem: sed *admodum* non est ab aberratione aut correctione librarii: ejusque glossa citius sit *omnino*, quam hujus illud. Ed. Verb. voluit idem dare, sed est *a modo*: eadem ed. addit « et præcepta ». Ern.

5. *Aurium*. Vel delendum est, ut opinor, *aurium*; vel scribendum *auditorum*. Ita paullo post: « quoniam in his causis omnis ratio fere ad voluptatem auditoris refertur, utendum erit iis, in oratione, singulorum verborum, etc. » Sch.

6. *Quum latum genus esse potest*. Aut *quum* vitiosum est, aut *potest*: nempe aut *quoniam*, aut *possit* scribendum est. Ern.

7. *Suscipimus*. Vulgo *suscepimus*, quod est ita manifeste vitiosum, ut corrigere non dubitaverim. *Suscipimus* est, adhibemus, usurpamus in dicendo. Et sic ed. Ven. Ern.

Conficitur autem genus hoc dictionis, narrandis exponendisque factis, sine ullis argumentationibus, ad animi motus leniter tractandos magis, quam ad fidem faciendam aut confirmandam accommodate. Non enim dubia firmantur, sed ea, quæ certa [1], aut pro certis posita sunt, augentur. Quamobrem ex iis, quæ ante dicta sunt, et narrandi. et augendi præcepta repetentur.

Et, quoniam in his causis omnis ratio [2] fere ad voluptatem auditoris et ad delectationem refertur, utendum erit iis, in oratione, singulorum verborum insignibus, quæ habent [3] plurimum suavitatis : id est, ut factis verbis [4], aut vetustis, aut translatis frequenter utamur, et in ipsa constructione verborum, ut paria paribus, et similia similibus sæpe referantur; ut contraria, ut geminata, ut [5] circumscripta numerose, non ad similitudinem versuum, sed ad explendum aurium sensum, apto quodam quasi verborum modo [6]. Adhibendaque frequentius etiam illa ornamenta rerum sunt [7], sive quæ admirabilia et nec opinata, sive significata monstris, prodigiis, et oraculis; sive quæ videbuntur ei, de quo agimus, accidisse divina [8] atque fatalia. Omnis enim exspectatio ejus, qui audit, et admiratio, et improvisi exitus, habent aliquam in audiendo voluptatem.

XXI. 1. *Quæ certa*. Ed. Venet. *testata*. — De re vid. ad Her. II, 3.

2. *In his causis omnis ratio*. MS V. ed. Ven. *oratio*. Vulgatum verum est. Ern.

3. *Habent*. Rectius foret *habeant*, atque ita Ciceronem scripsisse puto : in edd. pr. est *hnt*, quod utroque modo legi potest. Ern.

4. *Id est, ut factis verbis*. Non satis oratio sibi omnibus partibus respondet : ut hoc non satis præcedenti « utendum erit ». Pro *factis* MS V. rursus habet *fictis*. Ed. Ven. *id fit, si f. v.* quod placet. Ern.

5. *Ut circumscr*. Ern. delet tacite *ut*.

6. *Apto quodam quasi verborum modo*. Est frequens Ciceroni in hac re, quo magis miror Lambinum correxisse *nodo*, quod jam Grut. improbavit. Ern.

7. *Sunt*. Abest ed. Ven. bene. Ern.

8. *Accidisse divina*. *Cecidisse*, ed. Ven. Guelf. quod Ern. placuit.

XXII. Sed quoniam in [1] tribus generibus bona malave versantur, externis, corporis, et animi; prima sunt externa [2], quæ ducuntur a genere : quo breviter modiceque laudato, aut, si erit infame, prætermisso; si humile, vel præterito, vel ad augendam ejus, quem laudes, gloriam, tracto [3]; deinceps, si res [4] patietur, de fortunis erit et facultatibus dicendum, postea de corporis bonis; in quibus quidem, quæ virtutem maxime significat [5], facillime forma laudatur. Deinde est ad facta veniendum, quorum collocatio triplex est : aut enim temporum servandus est ordo, aut in primis recentissimum quodque dicendum, aut multa et varia facta in propria virtutum genera sunt [6] dirigenda. (XXII.) Sed hic locus virtutum atque vitiorum latissime patens, ex multis et variis disputationibus nunc in quamdam angustam et brevem concludetur [7]. Est igitur vis virtutis duplex : aut enim scientia cer-

XXII. 1. *In tribus gen.* Schütz. e MS Guelf. « tribus in gen. »

2. *Prima sunt externa.* MS V. non habet *externa*, et melius abfuerit. Ern. — *Corporis bona.* Aristoteli ἀγαθὰ τὰ ἐν σώματι, κάλλος, ὑγίεια, ἰσχὺς, μέγεθος, ἀρετὴ ἀγωνιστικὴ, εὐγηρία.

3. *Ad augendam ejus, quem laudes, gloriam, tracto.* Primum, latinitate jubente, correxi dudum *laudes* pro *laudas.* Sic deinde reperi in MS E. et ed. Ven. Junta etiam vitiosius *laudat.* Tum pro *tacto* legendum credidi *tracto.* Decepit homines quod ante dictum est genus humile præteriri debere, putaruntque dixisse Ciceronem, si tamen de eo dicendum sit, id breviter fieri debere. Sed id est ab hoc loco alienum : nam leviter tangendo non augetur gloria. Cicero dicit, aut prætermittendam esse prorsus ejus mentionem, vel, si tamen de eo dicatur, id esse ita faciendum, ut inde gloria ejus augeatur, quem laudemus. Sed hoc est « ad gloriam trahere ». Rem esse puto ita claram, ut recte in textu poni sine libris putem. Ern.

4. *Si res patietur.* Sic ed. Ven. pro *patitur* : margo *patiatur* : *patietur* recepi : ante est *si erit.* Ern.

5. *Quæ virtutem maxime significat.* Guelf. « in primis quod quasi virt. m. significat ». Lambinus, « quod virtutem maxime significat ». Sch. — Aristoteli, Rhet. I, 5, ἀγαθὰ τὰ ἔξω, εὐγένεια, φίλοι, χρήματα, τιμή.

6. *In pr. virt. gen. sunt dirigenda.* Quod est « in genera dirigere? » Immo *dirimenda*, vel *digerenda* : hoc maxime. Ern. — Schützius dedit *digerenda* cum Lambino.

7. *In quamdam angustam et brevem concludetur.* MS E. dat *concluditur.* Ern.

nitur virtus, aut actione. Nam, quæ prudentia, quæ calliditas, quæque gravissimo nomine sapientia appellatur, hæc scientia pollet una. Quæ vero moderandis cupiditatibus, regendisque animi motibus laudatur, ejus est munus in agendo : cui temperantiæ nomen est. Atque illa prudentia in suis rebus, domestica; in publicis, civilis appellari solet. Temperantia autem in suas itidem res et in communes distributa est, duobusque modis in rebus commodis[8] discernitur; et ea, quæ absunt, non expetendo, et ab iis, quæ in potestate sunt, abstinendo. In rebus autem incommodis est itidem duplex : nam quæ venientibus malis obstat, fortitudo; quæ[9], quod jam adest, tolerat et perfert, patientia nominatur. Quæ autem hæc uno genere complectitur, magnitudo animi dicitur : cujus est liberalitas, in usu pecuniæ; simulque altitudo animi, in capiendis[10] incommodis et maxime injuriis; et omne, quod est ejus generis, grave, sedatum, non turbulentum[11]. In communione autem[12] quæ posita pars est, justitia dicitur; eaque erga deos, religio, erga parentes, pietas, vulgo autem bonitas[13], creditis

8. *In rebus commodis.* Hæc non sunt in ed. Ven. Male. Ern. — Lall. delet *commodis*.

9. *Quæ, quod jam adest.* Lambin. « quæ vero ea, quæ jam adsunt ».

10. *In capiendis incommodis.* MS E. *dimittendis :* quæ est glossa e latinitate ecclesiastica pro *prætermittendis*. *Capere injurias* est *accipere*. Si quis velit ἐμφατικώτερον intelligere, accipiat pro tolerare, parem se in iis ferendis præstare. Ern.

11. *Sedatum, non turbulent.* Gruter. *vel non turbul.* Est hoc, inquit, a Pal. pr. et ita fuisse in aliis item scriptis inde colligas, quod illud *vel non turbulentum* absit quinto : arbitrabantur nimirum scribæ fuisse notam variæ lectionis : quum tamen innueret, altitudinem animi versari circa res graves sedatasque, vel certe extra turbulentiam. Hittorp. habet *grave, sedatum, non turb.* ut edidit Lamb. Nam retro cusi « grave insedatum et turbulentum ». Ernest. delevit *vel* ex ed. Ven. cujus in marg. additur *et*.

12. *In comm. autem.* In ed. Venet. abest *autem :* margo habet : *in commune autem*. Ern.

13. *Vulgo autem bonitas.* Hoc Schütz. ut ineptissimum scioli emblema delevit.

in rebus fides, in moderatione animadvertendi lenitas, amicitia in benivolentia[14] nominatur.

XXIII. Atque hæ quidem virtutes cernuntur in agendo. Sunt autem aliæ quasi ministræ comitesque sapientiæ : quarum altera, quæ sint in disputando vera atque falsa, quibusque positis quid sequatur, distinguit et judicat; quæ virtus omnis in ratione scientiaque disputandi sita est : altera autem oratoria. Nihil enim est[1] aliud eloquentia, nisi copiose eloquens sapientia : quæ ex eodem hausta genere, quo[2] illa, quæ in disputando[3] est, uberior est atque latior, et ad motus animorum vulgique sensus accommodatior. Custos vero virtutum omnium, dedecus fugiens, laudemque maxime consequens, verecundia est. Atque hi sunt fere[4] quasi quidam habitus animi, sic affecti et constituti, ut sint singuli inter se proprio virtutis genere distincti : a quibus ut quæque res gesta est, ita sit honesta necesse est, summeque laudabilis. Sunt autem alii quidam perfecti animi habitus[5], ad virtutem quasi præculti et præparati rectis studiis et artibus : ut, in suis rebus, studia literarum, ut numerorum ac sonorum[6], ut mensuræ, ut siderum, ut equorum, ut venandi, ut armorum; in communibus, propensiora studia in aliquo genere virtutis præcipue

14. *Amicitia in benivolentia.* Schützius « in amicitia benivolentia ».

XXIII. 1. *Nihil enim est.* Sch. « nihil est enim ». Idem infra *loquens* pro *eloquens*, et sic Ernest.

2. *Quo illa.* Schütz. delet *quo*, ut *illa* sit ablativus.

3. *Quæ in disputando est.* Hoc *est* MS E. addit, ut edd. Ven. Junt. quo sine oratio est durior : non enim solet in hac forma omitti. Sed potuit omitti, quia mox sequitur. Ern.

4. *Hi sunt fere.* Vulgo, « hi sunt quidem fere », quod *quidem* semper me offendit, nec in hac formula reperi. Quia et ab ed. Ven. abest delevi. Ern. — Schütz. sequitur.

5. *Perfecti animi habitus.* Epitheton me solet offendere. Commode abesset : edit. Ven. habet *fícti*. Ernest. — Schütz. delevit *perfecti* cum Lambino.

6. *Numerorum ac sonorum.* Lall. dat *ut sonorum.*

colendo[7], aut divinis rebus deserviendo, aut parentibus, amicis, hospitibus, præcipue atque insigniter diligendis. Atque hæc quidem virtutum : vitiorum autem sunt genera contraria.

Cernenda autem sunt diligenter, ne fallant ea nos vitia, quæ virtutem videntur imitari : nam et prudentiam malitia, et[8] temperantiam immanitas in voluptatibus aspernandis, et magnitudinem animi superbia in animis[9] extollendis, et despicientia in contemnendis honoribus, et liberalitatem effusio, et fortitudinem audacia imitatur, et patientiam duritia immanis[10], et justitiam acerbitas, et religionem superstitio, et lenitatem mollitia animi, et verecundiam timiditas, et illam disputandi prudentiam concertatio captatioque verborum, et hanc oratoriam vivam inanis quædam profluentia loquendi. Studiis autem bonis similia videntur ea, quæ sunt in eodem genere nimia.

(XXIII.) Quamobrem omnis vis laudandi vituperandique ex his sumetur virtutum vitiorumque partibus : sed in toto quasi contextu orationis hæc erunt illustranda maxime, quemadmodum quisque generatus, quemadmodum educatus[11], quemadmodum institutus moratusque fuerit; et, si quid cui magnum aut incredibile acciderit, maximeque si id divinitus accidisse potuerit videri; tum quod quisque senserit, dixerit, gesserit, ad ea, quæ proposita sunt, virtutum genera

7. *Genere virtutis præcipue colendo.* Schütz. delet *præcipue* cum Victor.

8. *Et temper.* Lallem. delet *et.* — De vitiis quæ virtutem videntur imitari, cf. Inv. II, 54; Her. II, 3.

9. *Superbia in animis extollendis.* Schütz. delet *animis.* Lamb. edidit : « Superbia in animis extollendis et veræ gloriæ laudisque studium despicientia in contemnendis honoribus ». Ceterum tota hæc ῥῆσις « et magnitudinem..... honoribus » haud scio an insititia sit. Sch.

10. *Duritia immanis.* MS E. edit. Ven. *inanis.* Male. Ern.

11. *Quemadmodum educatus.* Abest a MS E. Nempe id etiam intel-

accommodabuntur[12], ex illisque iisdem inveniendi locis causæ rerum, et eventus, et consequentia requirentur. Neque vero mors eorum, quorum vita laudabitur, silentio præteriri debebit, si modo quid erit animadvertendum, aut in ipso genere mortis, aut in iis rebus, quæ post mortem erunt consequutæ.

XXIV. (XXIV.) C. F. Accepi ista, didicique breviter, non solum quemadmodum laudarem alterum, sed etiam quemadmodum eniterer, ut possem ipse jure laudari. Videamus igitur deinceps, in sententia dicenda quam viam et quæ præcepta teneamus. — C. P. Est igitur[1] in deliberando finis utilitas, ad quem omnia ita referuntur in consilio dando, sententiaque dicenda, ut illa prima sint suasori, aut dissuasori videnda, quid aut possit fieri, aut non possit, et quid aut necesse sit, aut non necesse. Nam et, si quid effici non potest, deliberatio tollitur, quamvis utile sit; et, si quid necesse est (necesse autem id est, sine quo salvi liberive esse non possumus), id est reliquis, et honestatibus in civili ratione, et commodis anteponendum. Quum autem quæritur, quid fieri possit, videndum etiam est, quam facile possit: nam quæ perdifficilia sunt, perinde habenda sæpe sunt, ac si effici non possint. Et quum de necessitate attendemus, etsi aliquid non necessarium videbitur, videndum tamen erit, quam sit magnum. Quod enim permagni interest[2], pro necessario sæpe habetur. Itaque quum constet hoc genus causarum ex suasione et

ligi potest in verbo *institutus*. Ern. — Lallem. hoc delevit.

12. *Quod quisque... accommodabuntur*. Usitatius erat *accommodabitur*: sed vulgatum etiam sine vitio est. Ernest. — Lall. dedit *quæ quisque*.

XXIV. 1. *Est igitur*. Ed. Ven. *sit igitur d. f. u. ad quam*, quod non displiceret, si sequeretur *referantur*. Ernest.

2. *Permagni interest*. Schütz. cum MS Ox. ψ. Lamb. Lall. *permagnum est*.

dissuasione; suasori proponitur simplex ratio : si et utile est, et fieri potest, fiat. Dissuasori duplex : una, si non utile est[3], ne fiat; altera, si fieri non potest, ne suscipiatur[4]. Sic suasori utrumque docendum est, dissuasori alterum infirmare sat est.

(xxv.) Quare quoniam in his versatur omne consilium duobus, de utilitate ante dicamus, quæ in discernendis bonis malisque versatur. Bonorum autem partim necessaria sunt, ut vita, pudicitia, libertas, ut liberi[5], conjuges, germani, parentes : partim non necessaria; quorum alia[6] sunt per se expetenda, ut ea, quæ sita sunt in officiis atque virtutibus; alia, quod aliquid commodi efficiunt, ut opes et copiæ. Eorum autem, quæ propter se expetuntur, partim honestate ipsa, partim commoditate aliqua expetuntur : honestate, ea, quæ proficiscuntur ab iis virtutibus, de quibus paullo ante est dictum; quæ sunt laudabilia ipsa per se : commoditate autem aliqua, quæ sunt in corporis aut in fortunæ bonis expetenda; quorum alia sunt quodam modo[7] cum honestate conjuncta, ut honos, ut gloria; alia diversa, ut vires, forma[8], valitudo, nobilitas, divitiæ, clientelæ. Est

3. *Si non utile est*. Sch. *si utile non est*. Sic et Lallem.

4. *Ne suscipiatur*. Sic pro *nec suscip*. edidi ex ed. Ven. et MS E. Ern. — Et sic Guelf. teste Sch.

5. *Liberi ..... parentes*. Liberi, conjux, parentes non possunt dici omnino necessaria bona, quoniam sine his vivitur. Hoc eos Cicero nomine appellat, quia dixit esse quædam tanti pretii ut necessariis rebus æquiparentur. J. V. L. — De variis bonorum generibus cf. Inv. II, 52.

6. *Quorum alia*, etc. Nisi Ciceronem subtilitatis in partiendo neglectæ arguere velimus, necesse est quædam hic interpolata esse statuamus. Recte se habebit bonorum divisio, si ejectis verbis « quorum alia... opes et copiæ », sic procedat oratio : « partim non necessaria. Horum partim propter se et honestate ipsa, partim commoditate aliqua expetuntur, etc. » Sch.

7. *Sunt quodam modo cum honest. conj.* Vulgo erat *quasi quodammodo*. Ernest. e MS E. delevit *quodammodo*, ut glossam τοῦ *quasi*. Sed Schütz. potius *quasi* delendum censuit : idem ante *quorum alia* puncto maximo distinxit.

8. *Ut vires, forma, val.* MS E.

etiam quædam quasi[9] materies subjecta honestati; quæ maxime spectatur in amicitiis. Amicitiæ autem caritate et amore cernuntur: nam quum deorum, tum parentum, patriæque cultus, eorumque hominum, qui aut sapientia, aut opibus excellunt, ad caritatem referri solet; conjuges autem, et liberi, et fratres, et alii[10], quos usus familiaritasque conjunxit, quamquam etiam caritate ipsa, tamen amore maxime continentur. In his igitur rebus quum bona sint, facile est intellectu, quæ sint contraria.

XXV. Quod si semper optima tenere possemus, haud sane, quoniam quidem ea perspicua sunt, consilio multum egeremus. (XXVI.) Sed quia temporibus, quæ vim habent maximam, persæpe evenit, ut utilitas cum honestate certet, earumque rerum contentio plerumque deliberationes efficit, ne aut opportuna propter dignitatem, aut honesta propter utilitatem relinquantur: ad hanc difficultatem explicandam præcepta referamus. Et quoniam non ad veritatem solum, sed etiam ad opiniones eorum, qui audiunt, accommodanda est oratio: hoc primum intelligamus, hominum duo esse genera; alterum indoctum et agreste, quod anteferat semper utilitatem honestati; alterum humanum et politum[1], quod rebus omnibus dignitatem anteponat. Itaque huic generi laus, honor, gloria,

omnibus verbis addidit *ut;* « ut vires, ut forma, ut val. etc. » Quod rectum videtur. Ern.

9. *Est etiam quædam quasi materies subjecta honestati.* Sic MS E. vulgo « quasi quædam m. » sed in illa forma est hic ordo perpetuus, etsi non necessario *quasi* suo verbo additur, ut alibi diximus. Paullo ante addidi *in* ex ed. Ven. *fortunæ bonis*. Ern.

10. *Et alii.* MS E. *et hi*, melius fortasse. Ern.

XXV. 1. *Humanum et politum.* Haud aliter Pal. quintus. Non longe aliter quam quod e suis Lambinus *et expolitum:* retro impressi tantum *alterum expolitum*, quomodo tamen Pal. pr. et Hittorp. Grut. — Ed. Ven. *expolitumque:* at margo: *alterum expolitum quod.* Ernest.

fides, justitia, omnisque virtus; illi autem alteri, quæstus, emolumentum, fructusque proponitur. Atque etiam voluptas[2], quæ maxime est inimica virtuti, bonique naturam fallaciter imitando adulterat, quam immanissimus quisque acerrime sequitur, neque solum honestis rebus, sed etiam necessariis anteponit, in suadendo, quum ei generi hominum consilium des, sæpe sane laudanda est.

XXVI. Et illud videndum, quanto magis homines mala fugiant, quanto sequantur bona : nam neque honesta tam expetunt, quam devitant turpia. Quis enim honorem, quis gloriam, quis laudem, quis ullum decus tam umquam expetat, quam ignominiam[1], infamiam, contumeliam, dedecus fugiat? quarum rerum dolor gravis est[2]. Est genus hominum ad honestatem natum, malo cultu pravisque opinionibus corruptum[3] : quare in cohortando atque suadendo propositum quidem nobis erit illud, ut doceamus, qua vi[4] bona consequi, malaque vitare possimus. Sed

2. *Atque etiam voluptas.* Hic locus in vulgatis prava interpunctione vitiatus est, quam nos correximus. Primum initium novi periodi est in *atque etiam* : et sic est in ed. Ven. deinde omnia uno tenore continuantur, desinuntque in *laudanda est*, ubi et finit ed. Junt. quum stulte in vulgatis novi etiam capitis initium sit. — *In suadendo.* Rursus initium novæ sententiæ in verbis « et illud videndum », ut est etiam in MS V. ed. Ven. *videndum est*. Ern.

XXVI. 1. *Quam ignominiam.* Lamb. abjecit *ut* quod ante *ignom.* ponitur, idemque facere voluit Gulielmius fide Hittorp. et vero abest item Pal. quinto : sed et is præterea excluserat *tum*, quod proxime præcessit : et nescio quam hic belle mihi videatur quadrare utrumque. Gaut. — Lambinum Ern. et Schütz. sequuti sunt freti Guelf. et Erl.

2. *Gravis est. Est genus.* MS E. sic habet : « q. r. d. gravis est testis, genus hominum . . . esse corruptum ». Ern. — Lectionem hujus MS Schützius adoptavit.

3. *Corruptum.* Ed. Ven. *omne corruptum.*

4. *Qua vi bona consequi, malaque vitare possimus.* In MSS Lambini erat *qua via*, MS E. habet *quæ bona*, etc. Opinor pro *qua re*, ut est in ed. Ven. V. *qui* pro quomodo, bene. Sic et supra. Ern. — Schütz. dedit *qua via* cum Guelf. Pal. pr. *quæ bona*; quint. *quare bona.*

apud homines bene institutos plurimum de laude et de honestate dicemus; maximeque ea virtutum genera tractabimus, quæ in communi hominum utilitate tuenda augendaque versantur. Sin apud indoctos imperitosque dicemus, fructus, emolumenta, voluptates, vitationesque dolorum proferantur; addantur etiam contumeliæ atque ignominiæ : nemo enim est[5] tam agrestis, quem non, si ipsa minus honestas[6], contumelia tamen et dedecus magnopere moveat.

(XXVII.) Quare, quod ad utilitatem spectet[7], ex iis, quæ dicta sunt, reperietur : quid autem possit effici, necne[8], in quo etiam, quam facile possit, quamque expediat, quæri solet, maxime ex causis iis, quæ quamque rem efficiant, est videndum. Causarum autem genera sunt plura. Nam sunt aliæ, quæ ipsæ conficiunt; aliæ, quæ vim aliquam ad conficiendum afferunt[9]. Itaque illæ superiores, conficientes vocentur; hæ reliquæ ponantur in eo genere, ut sine his confici non possit. Conficiens autem causa[10] alia est absoluta et perfecta per se[11]; alia aliquid adjuvans, et efficiendi socia quædam : cujus generis vis varia est,

5. *Nemo enim est tam agrestis.* Schützius, puncto præposito, præbet *est enim.*

6. *Si ipsa minus honestas, contum.* Lambinus : « si minus ipsa honestas, at cont. »

7. *Quod ad utilit. spectet.* Sic pro *spectat* MSS nostri, ed. Ven. ut postulat consuetudo latinitatis elegantis. Sed videtur etiam *quid* legendum, ut post. Ern. — Schütz. tamen retinuit *spectat* invito Guelf.

8. *Quid autem possit effici, necne.* Vulgo « quod possit effici, necne possit ». Primum *quid* rescripsimus e MS E. et ed. Ven. et delevimus alterum *possit*, quod numquam sic additur. Exempla in contrarium sunt pauca et dubia. Ern. — Schütz. dat cum Lambino, « ecquid autem possit effici, necne ».

9. *Quæ vim aliquam ad conficiendum afferunt.* Guelf. « quæ vim ad conficienda aliqua afferunt ». Lamb. « quæ viam aliquam ad conficiendum aperiunt ».

10. *Causa alia est.* Lallem. delet *causa.*

11. *Alia est absoluta et perfecta per se.* Gothofr. laudat lectionem : « alia est absolvens et perficiens ipsa per se ».

et sæpe aut major, aut minor, ut et illa[12], quæ maximam vim habet, sola sæpe causa dicatur. Sunt autem aliæ causæ, quæ aut propter principium, aut propter exitum, conficientes vocantur. Quum autem quæritur, quid sit optimum factu; aut utilitas, aut spes efficiendi ad assentiendum impellit animos. Et, quoniam de utilitate jam diximus, de efficiendi ratione dicamus.

XXVII. Quo toto genere[1], quibuscum, et contra quos, quo tempore, aut quo loco, aut quibus facultatibus armorum, pecuniæ, sociorum, earumve[2] rerum, quæ ad quamque rem efficiendam pertinent, possimus uti, requirendum est. Neque solum ea sunt, quæ nobis suppetant[3], sed etiam illa, quæ adversentur, videnda. Et, si ex contentione procliviora erunt nostra; non solum effici posse, quæ suademus, erit persuadendum, sed curandum etiam, ut illa[4] facilia, proclivia, jucunda videantur. (XXVIII.) Dissuadentibus autem, aut utilitas labefactanda est, aut efficiendi difficultates efferendæ[5], neque aliis ex præceptis, sed iisdem ex suasionis locis. Uterque vero ad augendum habeat exemplorum aut recentium, quo notiora sint, aut veterum, quo plus auctoritatis habeant, copiam: maximeque sit in hoc genere meditatus, ut possit vel

12. *Ut et illa.* MS E. « ut etiam ea »; lenius. Hæc usque ad *dicatur* absunt ed. Ven. Ern.

XXVII. 1. *Quo toto genere... aut quibus fac.* Sch. dat cum Lamb. « quo toto in genere, et quibuscum, et contra quos, et quo tempore, et quo loco, et quibus fac. »

2. *Earumve rerum.* Lallem. *earumque rerum.*

3. *Suppetant..... adversentur.* Sic recte ed. Ven. Vulgo « suppetunt... adversantur ». Ern. — Sch. indicativum servavit.

4. *Facilia.* Hoc abest ed. Ven. non male: sunt et in contrario tantum duo. Ern.

5. *Difficultates efferendæ, neque aliis ex præceptis,* etc. Arbitror Ciceronem scripsisse *afferendæ*, quia hic nondum de augendo agitur, et « efferre e locis », id est, reperire, eruere, durius est. Ager effert, non rusticus ex agro. Ern.

utilia ac necessaria sæpe honestis, vel hæc illis anteferre. Ad commovendos autem animos maxime proficient, si incitandi erunt, hujusmodi sententiæ, quæ aut ad explendas cupiditates, aut ad odium[6] satiandum, aut ad ulciscendas injurias pertinebunt. Sin autem reprimendi; de incerto statu fortunæ, dubiisque eventis rerum futurarum, et retinendis suis fortunis, si erunt secundæ; sin autem adversæ, de periculo, commonendi. Atque hi quidem sunt perorationis loci. Principia autem in sententiis dicendis brevia esse debent[7]: non enim supplex, ut ad judicem, venit orator, sed hortator atque auctor. Quare proponere, qua mente dicat, quid velit, quibus de rebus dicturus sit, debet, hortarique ad se breviter dicentem audiendum. Tota autem oratio, simplex, et gravis, et sententiis debet ornatior esse, quam verbis.

XXVIII. (XXIX.) C. F. Cognovi jam laudationis et suasionis locos: nunc, quæ judiciis accommodata sint, exspecto; idque nobis genus restare unum puto. — C. P. Recte intelligis. Atque ejus quidem generis finis est æquitas; quæ non simpliciter spectatur, sed ex comparatione nonnumquam: ut, quum de verissimo accusatore disputatur[1], aut quum hereditatis, sine lege, aut sine testamento, petitur possessio; in quibus causis quid æquius, æquissimumve sit, quæritur: quas ad causas facultas petitur argumentationum ex iis, de quibus mox dicetur, æquitatis locis. Atque etiam ante judicium, de constituendo ipso

6. *Aut ad odium satiandum*, etc. *Ad* addidimus e MS E. edd. Ven. Junt. Nam et in tertio membro est. ERNEST.

7. *Principia autem in sententiis dicendis brevia esse debent.* E MS E. ed. Ven. sic edidi pro *debebunt*, quia idem tempus est in sequentibus. ERNEST. — Sic et Sch.

XXVIII. 1. *Disputatur.* Sch. cum Lamb. *disceptatur*, de verissimo accusatore. Nempe in ea quæ dicitur divinatio. (Qualis est in Cæcilium in causa Verrina). ERN.

judicio solet esse contentio, quum aut, sitne actio illi, qui agit, aut jamne sit, aut num jam esse desierit, aut illane lege, hisne verbis sit actio, quæritur. Quæ etiam si ante, quam res in judicium venit, aut concertata, aut dijudicata, aut confecta non sunt[2]; tamen in ipsis judiciis permagnum sæpe habent pondus, quum ita dicitur: Plus petisti; sero petisti; non fuit tua petitio; non a me[3], non hac lege, non his verbis, non hoc judicio. Quarum causarum genus est positum in jure civili: quod est in privatarum ac publicarum rerum lege, aut more positum; cujus scientia neglecta ab oratoribus plerisque, nobis ad dicendum necessaria videtur. Quare de constituendis actionibus, accipiendis subeundisque judiciis, de excipienda iniquitate actionis, de comparanda æquitate, quod ea fere generis ejus sunt, ut, quamquam in ipsum judicium sæpe delabantur[4], tamen ante judicium tractanda videantur, paullulum ea separo a judiciis; tempore magis agendi, quam dissimilitudine generis. Nam omnia, quæ de jure civili, aut de æquo et bono disceptantur, cadunt in eam formam[5], in qua, quale quid

2. *Confecta non sunt. Non* aberat a MSS Lambini, probabatque et ipse et Hotomannus. Idque contextus satis firmat rectum esse, etsi Gruter. id se videre negat. Res maxime patet e particula *tamen*; tamen in judicio multum valet, quum ab eo, unde petitur, tales exceptiones fiunt, plus petisti, sero petisti, etc. etsi hæc omnia ante judicium disputata et confecta sunt: sc. vim tamen habere possunt, quum in ipso judicio repetuntur et apud judicem causæ petitori opponuntur. Itaque *non* saltem uncis inclusi. Ern.

3. *Non a me, non hac lege.* Lambinus addit trium MSS auctoritate, « non a me petere debuisti, n. h. l. » at nihil adjectum Palat. Gruт. — *Petere deb.* glossam Ern. arbitratur. — *Necessaria*, quod demonstravit Crassus apud Cic. de Or. I, 35-45. Wetz.

4. *Delabantur.* Vulgo *dilabantur*, quod mihi non placet: MS E. ed. Ven. habent *delab.* nec aliter margo, quod est verum, pro influant: ductum a fluminibus, quæ in mare delabuntur, non dilabuntur. Horat. Carm. III, 29, ubi vide Bentleium. Ernest. — Jam in *delabuntur* præcesserat Lambinus, et sic nuper Schütz.

5. *In eam formam.* Guelf. addit *causarum*.

sit, ambigitur, de qua dicturi sumus : quæ in æquitate et jure maxime consistit.

XXIX. (XXX.) In omnibus igitur causis tres sunt gradus, ex quibus unus aliquis capiendus est, si plures non queas, ad resistendum. Nam aut ita consistendum est, ut id, quod objicitur [1], factum neges; aut illud, quod factum fateare, neges eam vim habere, atque id esse, quod adversarius criminetur; aut, si neque de facto, neque de facti appellatione ambigi potest, id, quod arguere [2], neges tale esse, quale ille dicat, et rectum esse, quod feceris, concedendumve [3], defendas. Ita primus ille status, et quasi conflictio cum adversario, conjectura quadam; secundus autem definitione atque descriptione, aut informatione [4] verbi; tertius æqui, et veri, et recti [5], et humani ad ignoscendum disputatione tractandus est. Et quoniam semper is, qui defendit, non solum resistat oportet, aliquo statu, aut infitiando, aut definiendo, aut æquitate opponenda, sed etiam rationem subjiciat recusationis suæ [6] : primus ille status rationem habet iniqui criminis, ipsam negationem infitiationemque facti; secundus, quod non sit in re, quod ab adversario ponitur [7] in verbo; tertius, quod id recte factum esse defendat, quod sine ulla nominis controversia factum

XXIX. 1. *Ut id, quod objicitur.* Addidi *id* e MS E. quia in altero membro est « aut illud, quod f. f. » Videtur etiam *aut*, quod ante est post *nam*, huc transferendum, « ut aut id quod obj. » nam *consistendum est* ita pertinet ad omnia, quæ sequuntur : exprimitque eum qui post *status* dicitur, cujus primum genus hic exprimitur, quod est, ut post dicitur, in conjectura. Ern. — Conf. omnino cap. 29, 30 : sive de quæstione et judicatione, Quintil. III, 11, et Nost. Inv. I, 13, 14.

2. *Quod arguere.* Ed. Ven. « quod arguitur ». Sic et Guelf. Lambin. *arguere*.

3. *Concedendumve.* Lv. ignoscendum. Cf. de Inv. II, 31. Sch.

4. *Informatione verbi.* Est ipsa explicatio verbi per definitionem aut descriptionem. Ern.

5. *Veri, et recti.* Abest *et recti* a MS E. Ern.

6. *Recusationis suæ.* Schütz. delet *suæ* cum Guelf. probante Heusingero.

7. *Ponitur.* Sch. e Guelf. *ponatur*.

fatetur. Deinde unicuique rationi opponendum est ab accusatore id, quod si non esset in accusatione, causa omnino esse non posset. Itaque ea, quæ sic referuntur, continentia[8] causarum vocentur: quamquam non ea magis, quæ contra rationem defensionis afferuntur, quam ipsæ defensionis rationes, continent causas; sed[9] distinguendi gratia rationem appellamus eam, quæ affertur ab reo[10] ad recusandum, depellendi criminis causa; quæ nisi esset, quid defenderet[11], non haberet: firmamentum autem, quod contra ad labefactandam rationem refertur, sine quo accusatio stare non potest.

XXX. Ex rationis autem, et ex firmamenti conflictione, et quasi concursu, quæstio exoritur quædam[1], quam disceptationem voco: in qua, quid veniat[2] in judicium, et de quo disceptetur, quæri solet. Nam prima adversariorum contentio diffusam habet quæstionem: ut in conjectura, Ceperitne pecunias Decius[3]; in definitione, Minueritne majestatem Norbanus; in æquitate, Jurene occiderit Opimius Gracchum. Hæc, quæ primam contentionem habent ex

8. *Continentia.* Conf. Inv. I, 26, II, 12; Top. 25. Wetz.

9. *Sed disting.* Ante hæc Schützius puncto maximo distinguit.

10. *Affertur ab r.* Pro *a reo* e MS E. ut est cap. 36 bis. Ad hanc formam et alii corrigendi sunt loci. Ern. — De ratione et firmamento conf. Inv. I, 14; Her. I, 10, II, 18. Wetz.

11. *Quid defenderet.* Schütz. cum Guelf. ed. Kob. *quod defenderet.*

XXX. 1. *Exoritur quædam.* Sch. e Guelf. *quædam exoritur.*

2. *Quid veniat in judicium:* Vulgo *deveniat*, quod nusquam sic reperi: forma legitima est *veniat*. « Devenire in judicium » sic proprie esset, ut nupta « delabi in judicium ». Ed. Ven. habet *veniat*: itaque recepi. Ern. — Quem Sch. sequitur.

3. *Ceperitne pecunias Decius.* Hoc exemplum et duo sequentia pertinent ad facta notissima vel ex aliis Ciceronis scriptis. P. Decius Mus, quem severe Noster judicat, Brut. cap. 28, accusavit an. U. C. 632 L. Opimium, ut C. Gracchi interfectorem, defendente Opimium consule C. Carbone. Decius tribunus fuit plebis anno 636, prætor anno 638, coss. Scauro et Metello (Aurel. Vict., III, 72). Vid. et de Orat. II, 31, ubi mentionem ite-

arguendo et resistendo, lata[4], ut dixi, et confusa sunt. Rationum et firmamentorum contentio adducit in angustum disceptationem. Ea in conjectura nulla est. Nemo enim ejus, quod negat factum, rationem aut potest, aut debet, aut solet reddere. Itaque in his causis eadem et prima quæstio, et disceptatio est extrema. In illis autem, ubi ita dicitur, Non minuit majestatem, quod egit de Cæpione turbulentius; populi enim romani dolor justus vim illam excitavit; non tribuni actio; majestas autem, quoniam est magnitudo quædam populi romani, in ejus potestate ac jure retinendo, aucta est potius, quam deminuta : et ubi ita refertur, Majestas est in imperii atque in nominis[5] populi romani dignitate, quam minuit is, qui per vim multitudinis rem ad seditionem vocavit : exsistit illa disceptatio, Minueritne majestatem, qui voluntate populi romani rem gratam et æquam per vim egerit. In his autem causis, ubi aliquid recte factum, aut concedendum esse factum[6] defenditur, quum est facti subjecta ratio, sicut ab Opimio, Jure feci, salutis omnium, et conservandæ reipublicæ causa; relatum-

rum facit Noster accusati Decii, « quod pecunias contra leges ceperit ». — C. Norbanus, seditiosus tribunus (vid. de Off. II, 14) accusavit anno U. C. 658 Q. Servilium Cæpionem amissi exercitus. Vid. etiam de hoc ad Her. I, 14. — Notior est Opimius, quam ut de eo aliquid dicamus. J. V. L.

4. *Lata... et confusa... adducit in angustum.* Schützius cum Lambino *diffusa.* Primum intelligitur ex altero. Disceptatio in angustum adducitur, quum status causæ, i. e. quæ affirmat accusator et negat defensor, cum ratione utriusque ad quæstionem unam redigitur; ut in illo : « Minueritne maj. pop. rom. qui rem populo gratam et æquam per vim egerit? » Hæc disceptatio erat lata et confusa, quum accusator diceret : « minuit trib. pleb. majestatem : nam egit per vim » : defensor : « non minuit majestatem : nam rem egit æquam et gratam populo, et volente populo ». Ern.

5. *In imperii atque in nominis pop. rom. dign.* Sic ed. Ven. MS E. Sic et Lambin. Sic semper in hac definitione majestatis est apud Veteres: Vulgo *in omni pop. rom.* Vulgo etiam *in* ante *imperii* excidit, idque restituimus. Ernest.

6. *Aut conc. esse factum.* Factum quod aberat ed. Ven. probante Ernest. Sch. delevit.

que est ab Decio, Ne sceleratissimum quidem civem, sine judicio, jure ullo necare potuisti : oritur illa disceptatio, Potueritne recte, salutis reipublicæ causa, civem, eversorem civitatis, indemnatum necare? Ita disceptationes eæ, quæ in his controversiis oriuntur, quæ sunt certis personis et temporibus notatæ, fiunt rursus infinitæ, detractisque temporibus et personis, rursum ad consultationis formam rationemque revocantur.

XXXI. (xxxi.) Sed in gravissimis firmamentis etiam illa ponenda sunt, si qua ex scripto legis, aut testamenti, aut verborum ipsius judicii, aut alicujus stipulationis, aut cautionis opponuntur defensioni contraria. Ac ne hoc quidem genus in eas causas incurrit, quæ conjectura continentur : quod enim factum negatur, id argui[1] non potest scripto. Ne in definitionem quidem venit, genere scripti ipsius[2]. Nam etiamsi verbum aliquod de scripto[3] definiendum est, quam vim habeat; ut, quum ex testamentis, quid sit penus, aut quum ex lege prædii quæritur, quæ[4] sint ruta cæsa : non scripti genus, sed verbi interpretatio controversiam parit. Quum autem[5] plura significantur scripto, propter verbi aut verborum ambiguitatem, ut liceat ei, qui contra dicat, eo trahere significationem scripti, quo expediat, aut velit; aut, si ambigue scriptum non sit[6], vel a verbis voluntatem et

XXXI. 1. *Id argui*. Ed. Ven. *id quidem*. Ern.

2. *In definitionem quidem venit, genere scripti ipsius*. Lambinus corrigit *venit, genus scripti ipsius*. Videtur vel intelligendum, vel addendum *causa*. Sensus : causa, quæ disceptatur, non definitur ex genere scripti, ut ejus ratio habeatur in constituenda causa et controversia.

3. *De scripto*, MS E. *ex scripto*, certe usitatius Ern.

4. *Quæ sint ruta cæsa*. Sic MS E. non *sunt*, ut vulgati, et sic semper legi ipse. Ern.—Resp. Top. 26.

5. *Quum autem plura*. Schütz. cum Guelf. « quum autem sint plura ».

6. *Aut, si amb. scr. non sit*. Delevi e cod. E. et ed. Ven. *etiam* ante *si*, quod et sine libro delendum erat. Ern.

sententiam scriptoris abducere, vel alio se, eadem de re, contrario[7] scripto defendere : tum disceptatio ex scripti contentione exsistit, ut in ambiguis disceptetur, quid maxime significetur; in scripti sententiæque contentione, utrum potius sequatur judex; in contrariis scriptis, utrum magis sit comprobandum.

(XXXII.) Disceptatio autem quum est constituta, propositum[8] esse debet oratori, quo omnes argumentationes, repetitæ ex inveniendi locis[9], conjiciantur. Quod quamquam satis est ei, qui videt, quid in quoque loco lateat, quique illos locos, tamquam thesauros aliquos argumentorum, notatos habet; tamen ea, quæ sunt certarum causarum propria, tangemus.

XXXII. In conjectura igitur, quum est in infitiando reus, accusatori hæc duo prima sunt (sed accusatorem pro omni actore et petitore appello : possunt enim etiam sine accusatore[1] in causis hæc eadem controversiarum genera versari); sed hæc duo sunt ei prima, causa et eventus. Causam appello, rationem efficiendi; eventum, id, quod est effectum. Atque ipsa quidem partitio[2] causarum paullo ante in suasionis locis distributa est. Quæ enim in consilio capiendo futuri temporis præcipiebantur, quamobrem aut utilitatem viderentur habitura, aut efficiendi facultatem, eadem, qui de facto argumentabitur, colligere debebit, quamobrem et utilia illi, quem arguet, fuisse, et ab eo effici

— De ambig. conf. Invent. I, 40, 41.

7. *Contrario scripto.* Ernest. Schütz. *contrarie scripto.*

8. *Propositum esse debet oratori.* Sic, non *proposita*, legendum esse, semper judicavi. Et sic habent MS Vit. et Ven. Ernest. — Sic et Guelf. teste Sch.

9. *Ex inveniendi locis.* Sic, non *inveniendis*, ut habent vulgati, scripsit Cicero. Sic habet MS V. et ed. Ven. Ald. Junt. Id verum esse quisque monitus statim sentiet. Ern.

XXXII. 1. *Sine accusatore.* Sch. dedit « sine accusatione » e MS E. et Guelf. probante Ern.

2. *Partitio causarum . . . distributa est.* Durior pleonasmus; sed eodem modo infra cap. 40 : « partitio distributa » et « partitiones dividere ». Ern.

potuisse demonstret. Utilitatis conjectura[3] movetur, si illud, quod arguitur, aut spe bonorum, aut malorum metu fecisse dicitur : quod fit[4] acrius, quo illa in utroque genere majora ponuntur. Spectantur[5] etiam ad causam facti, motus animorum, si ira recens, si odium vetus, si ulciscendi studium, si injuriæ dolor; si honoris, si gloriæ, si imperii, si pecuniæ cupiditas; si periculi timor, si æs alienum, si angustiæ rei familiaris; si audax, si levis, si crudelis, si impotens, si incautus, si insipiens, si amans[6], si[7] commota mente, si vinolentus[8], si cum spe efficiendi, si cum opinione celandi, aut, si patefactum esset, depellendi criminis, vel perrumpendi periculi, vel in longinquum tempus differendi; aut si judicii pœna levior, quam facti præmium; aut si facinoris voluptas major, quam damnationis dolor. His fere rebus facti suspicio confirmatur, quum et voluntatis in reo causæ reperiuntur, et facultas. In voluntate autem utilitas ex adeptione alicujus commodi, vitationeque alicujus incommodi quæritur, ut aut spes, aut metus impulisse videatur, aut alius[9] repentinus animi motus, qui etiam citius in fraudem, quam ratio utilitatis, impellit. Quamobrem sint hæc dicta de causis. — (XXXIII.) C. F. Teneo, et quæro, qui sint illi eventus, quos ex causis effici dixisti.

XXXIII. C. P. Consequentia quædam signa præ-

3. *Conjectura*. Ed. Ven. *et* pro *etiam*, quod hic sane desideratur. Est enim hoc alterum præceptum. Ern.

4. *Quod fit acrius*. Sch. cum Lamb. « quod eo fit acr. »

5. *Spectantur etiam ad c. f.* Possis explicare : considerantur ad causam facti reperiendam vel demonstrandam motus, etc. Sed arbitror Ciceronem scripsisse *spectant*. Ern. — Schützius Ern. conjecturam adoptavit.

6. *Si amans*. Guelf. et ed. Ven. *si amens*.

7. *Si commota mente*. Ernest. delet *si* tacite.

8. *Si vinolentus, si cum spe efficiendi*. Schütz. cum edit. Omnib. et Kob. dat « si violentus, si cum spe efficiendi ».

9. *Aut alius repentinus animi motus*. Schützius cum iisdem edd. *aut aliquis repentinus*, etc.

teriti, et quasi impressa facti vestigia : quæ quidem vel maxime suspicionem movent, et quasi tacita sunt criminum testimonia, atque hoc quidem graviora, quod causæ communiter videntur insimulare et arguere omnes posse, quorum modo interfuerit aliquid; hæc proprie attingunt eos ipsos, qui arguuntur, ut telum, ut vestigium, ut cruor, ut deprehensum aliquid, quod ablatum ereptumve videatur, ut responsum inconstanter, ut hæsitatum, ut titubatum, ut cum aliquo visus, ex quo suspicio oriatur, ut eo ipso in loco visus, in quo facinus, ut pallor, ut tremor, ut scriptum, aut obsignatum, aut depositum quippiam. Hæc enim et alia[1] sunt, quæ aut in re ipsa[2], aut etiam ante quam factum est, aut postea, suspiciosum crimen efficiant. Quæ si non erunt, tamen causis ipsis, et efficiendi facultatibus uti oportebit, adjuncta illa disputatione[3] communi, non fuisse illum tam amentem, ut indicia facti aut effugere, aut occultare non posset; ut ita apertus esset, ut locum crimini relinqueret. Communis ille contra locus, audaciam temeritati, non prudentiæ esse conjunctam. Sequitur autem ille locus ad augendum, non esse exspectandum, dum fateatur; argumentis peccata convinci : et hic etiam exempla ponentur[4]. Atque hæc quidem de argumentis.

XXXIII. 1. *Hæc enim et alia.* MS E. « hæc enim et alia », ut ipse olim correxeram, melius MS V. et ed. Ven. Med. « hæc enim alia ». ERN. — Schützius dedit « hæc enim talia sunt ».

2. *Quæ aut in re ipsa.* Ab aliis abest *in*.

3. *Adjuncta illa disputatione communi, non fuisse illam.* MSS E. V. addunt : « ut, si a reo dici poterit (*potest*) non (*vel aut*) alia ratione commodius effici potuisse, aut » : cui similia sunt cap. 35, init. Eadem sunt in ed. Ven. sed post « occultare non posset ». Ea delevit in exemplo meo corrector. ERN.

4. *Exempla ponentur.* Sic esse debet, non *ponuntur* : est enim præceptum. Sic etiam MSS V. et E. et edd. Ven. Med. Junt. ERN. — Sic et MS Guelf. teste Sch.

XXXIV. (XXXIV.) Sin autem erit etiam testium facultas: primum genus erit ipsum laudandum, dicendumque, ne argumentis teneretur reus, ipsum sua cautione effecisse[1], testes effugere non potuisse; deinde singuli laudentur (quæ autem essent laudabilia, dictum est); deinde etiam argumento firmo[2], quia tamen sæpe falsum est, posse recte non credi; viro bono et firmo, sine vitio judicis, non posse non credi. Atque etiam, si obscuri testes erunt, aut tenues, dicendum erit, non esse ex fortuna fidem ponderandam, aut eos esse cujusque locupletissimos testes, qui id, de quo agatur, facillime scire possint. Sin quæstiones habitæ, aut postulatio ut habeantur[3], causam[4] adjuvabunt: confirmandum genus primum quæstionum erit; dicendum de vi doloris, de opinione majorum, qui eam rem totam[5] nisi probassent, certe repudiassent; de institutis Atheniensium, Rhodiorum, doctissimorum hominum, apud quos etiam (id quod acerbissimum est) liberi civesque torquentur; de nostrorum etiam

XXXIV. 1. *Sua cautione effecisse.* Sic MS E. V. et ed. Ven. rectius quam *fecisse.* Nam illud esset idem, quod commisisse, sc. in partem deteriorem dictum: quod est alienum. ERN. — Sic et MS Guelf. teste Sch.

2. *Etiam argumento firmo.* Hæsere editores in hoc epitheto. Itaque ed. Med. dat *infirmo* (quod etiam in Pal. quinto et Grut. dicit hoc sibi salivam movere), sed hoc ordine « infirmo etiam argumento ». Grut. placet *argumentando*, quod est in Pal. pr. Verum, quod subjicitur, non est argumentatio, sed argumentum modo. Suspicor e lectione Med. scripsisse Ciceronem: *deinde universe*, vel *universo*: ita respondebunt sibi: « singuli laudentur... deinde univ. argumento ». Sic rursus cap. 35, *genus universum* et *singuli* occurrunt. Nisi vero illa lectio est correctio alterius, eaque (*firmo*) e sequentibus huc tracta est. Ceterum parentheses hujus loci (nempe Ernest. puncto et virgula distinguens post *firmo*, verba « quia tamen s. f. e. p. recte non credi » parenthesi inclusit) non notatæ eum impeditum et obscurum fecerunt. ERN. — Schützius autem secundam hanc parenthesin in Ernest. reprehendit, colonque simplex post *firmo* posuit.

3. *Aut postulatio ut habeantur.* Malim quod est in Pal. quinto « aut postulo ut h. » GRUT.

4. *Causam adjuvabunt.* Abest ab ed. Ven. *causam.* ERN.

5. *Qui eam rem totam nisi probassent.* MS E. ed. Ven. delent *totam*: forte melius. ERN.

prudentissimorum hominum institutis, qui quum de servis in dominos quæri noluissent, de incestu tamen et conjuratione, quæ facta me consule est, quærendum putaverunt. Irridenda etiam[6] disputatio est; qua solent uti[7] ad infirmandas quæstiones, et meditata puerilisque[8] dicenda. Tum facienda fides, diligenter esse et sine cupiditate quæsitum; dictaque quæstionis[9] argumentis et conjectura ponderanda. Atque hæc accusationis fere membra sunt.

XXXV. (xxxv.) Defensionis autem primum infirmatio causarum; aut non fuisse, aut non tantas, aut non sibi soli, aut[1] commodius potuisse idem consequi; aut non iis se esse moribus, non ea vita; aut nullos animi motus, aut non tam impotentes fuisse. Facultatum autem infirmatione utetur, si aut vires, aut animum, aut copias, aut opes abfuisse demonstrabit; aut alienum tempus[2], aut locum non idoneum, aut multos arbitros, quorum crederet nemini; aut non se tam ineptum[3], ut id susciperet, quod occultare non posset, neque tam amentem, ut pœnas ac judicia contemneret. Consequentia autem diluet, exponendo, non esse illa certa indicia facti, quæ etiam nullo admisso consequi possent; consistetque in singulis; et

6. *Irridenda etiam disp. est.* MS E. *autem*. Ed. Ven. abest *est*. Ern.

7. *Uti*. Ed. Ven. *niti*. Ern.

8. *Meditata puerilisque*. Quomodo *meditata* est disputatio puerilis? An scribendum *minuta*, quod solet cum *puerilis* conjungi, ut Brut. 83; Or. 44. Arridet: Si est a Cicerone meditata, est argute exquisita, contorta ridicule. Ern. — *Meditata* dicitur ea, quæ studium puerile redolet, ac declamatoris artificium prodit. Sch. — Sic fere Cæsar apud Sallust. orationes adversariorum eleganter irridet, non *meditatas* quidem, sed quod idem valet, compositas ac magnificas vocando, dein ita repræsentando ut obsoletis et puerilibus declamationibus constare videantur, postremo rogando: sed, per deos immortales! quo oratio illa pertinuit?

9. *Quæst*. Leg. opinor *in quæstione*.

XXXV. 1. *Aut comm.* Lall. «aut se comm.» Idem infra delet *se* ante *esse moribus*.

2. *Aut alienum tempus*. Hæc absunt ab ed. Lallem.

3. *Tam ineptum*. Ed. Venet. «tam

ea, aut eorum, quæ ipse facta esse dicit[4], propria esse defendet potius, quam criminis; aut si sibi cum accusatore communia essent, pro periculo[5] potius, quam contra salutem valere debere; testiumque et quæstionum genus universum[6], et quod poterit, in singulis, ex reprehensionis locis, de quibus ante dictum est, refellet.

Harum causarum principia, suspiciosa ad acerbitatem[7], ab accusatore ponentur; denuntiabiturque insidiarum commune periculum; excitabunturque animi, ut attendant. Ab reo autem, querela conflati criminis collectarumque suspicionum, et accusatoris insidiæ, et item commune periculum proferetur, animique ad misericordiam allicientur, et modice benivolentia judicum colligetur. Narratio autem accusatoris erit quasi membratim gesti negotii suspiciosa explicatio, sparsis omnibus argumentis, obscuratis defensionibus. Defensori, aut præteritis, aut obscuratis suspicionum argumentis, rerum ipsarum eventus erunt casusque narrandi. In confirmandis autem nostris argumentationibus, infirmandisque contrariis, sæpe erunt accusatori motus animorum incitandi, reo mitigandi. Atque hæc quidem utrique maxime in peroratione facienda[8]: alteri frequentatione argumentorum, et coacervatione universa; alteri, si plane causam redarguendo explicarit, enumeratione, ut quidque diluerit, et miseratione ad extremum.

apertum », ut cap. 33, « ita apertus ».

4. *Dicit*. Dedi *dicit* e MS E. ed. Ven. pro *dicet*. Intelligendum est autem de defensore sive reo. Quodsi hoc ad accusatorem pertinet, scribendum est *diceret*, propter sequentia. Ern. — Wetzel. sine causa correctum ab Ernestio contendit.

5. *Pro periculo p*. Sensus postulat ut legatur: « propulsando periculo ».

6. *Quæstionum genus universum*. Gulielmius emend. censebat *universim*.

7. *Suspiciosa ad acerbitatem*. Id est, quæ suspicionem movere possint periculorum, quibus judicum severitas exacuatur. Ern.

8. *Atque hæc ... fac*. Sch. ex edit. Omnib. et Kob. « a. hoc... faciendum ».

XXXVI. (XXXVII.) C. F. Scire mihi jam videor, quemadmodum conjectura tractanda sit. Nunc de definitione audiamus. — C. P. Communia dantur in isto genere accusatori defensorique præcepta. Uter enim definiendo describendoque verbo magis ad sensum judicis opinionemque penetrarit, et uter ad communem verbi vim, et ad eam præceptionem, quam inchoatam habebunt in animis ii, qui audient, magis et propius accesserit, is vincat necesse est. Non enim argumentando hoc genus tractatur, sed tamquam explicando excutiendoque verbo : ut, si in reo, pecunia absoluto, rursusque revocato, prævaricationem accusator esse definiat, omnem judicii corruptelam ab reo; defensor autem, non omnem, sed tantummodo accusatoris corruptelam ab reo : sit ergo hæc[1] contentio prima verborum; in qua, etiamsi propius accedat ad consuetudinem mentemque sermonis defensoris definitio, tamen accusator sententia legis nititur[2] : negat enim probari oportere[3], eos, qui leges[4] scripserint, ratum habere judicium, si totum corruptum sit; si unus accusator corruptus sit, rescindere : nititur æquitate[5]; ut illa quasi scribenda lex sic esset; quæque tamen complecteretur in judiciis corruptis, ea verbo uno prævaricationis comprehendisse dicitur. Defensor

XXXVI. 1. *Sit ergo hæc*. Hoc est consequens superioris : *ut*, *si*, etc. pertinetque ad exemplum propositum. *Ergo* est alienum : nisi positum est, quia *si* antecedentis longius abest. Ern.

2. *Sententia legis nititur*. MS E. *utetur*. Item V. bis, male; certe futurum est alienum. Ern.

3. *Negat probari oportere*. « Prob. oportere » non satis commoda h. l. verba; quæ si abessent, nemo desideraret. Ern.

4. *Qui leges scripserint*. Pro vulg. « qui scripserunt » scripsi e MS E. Ern.

5. *Rescindere : nititur æquitate*, etc. Hic locus aperte est corruptus, et haud facile sine libris sanandus. Hoc primum certum puto, interpungendum est post *rescindere*, ut facit ed. Ald. Junt. idque nos fecimus. Pro *nititur* rursus MS V. *utitur*. In verbis « nititur æquitate » respicit auctor superius « sententia legis nititur ». Pro « ut illa quasi », quod sequitur, uter-

autem testabitur.[6] consuetudinem sermonis, verbique vim ex contrario reperiet, quasi ex vero accusatore, cui contrarium est nomen prævaricatoris[7]; ex consequentibus, quod ea litera[8] de accusatore soleat dari judici; ex nomine ipso, quod significat eum, qui in contrariis causis quasi varie[9] esse positus videatur.

que MS et ed. Ven « utilitate, quasi scr. lex esset ». In ceteris nihil juvant libri. Ea sic fere corrigenda puto, « ut illa etiamsi scripta (libri MSS habent *scribta*) lex sic esset (scil. ut prævaricationis tantum mentio fieret) tamen quæque complecteretur in judiciis corruptis (id est, tamen omnia exprimeret, quæ ad corruptelam judiciorum pertinent) ea v. u. p. e. dicatur ». Ern. — Pro « quoque tamen com. » ed. Omnib. Kob. « quamque vim comp. » — Pal. pr. habet « corruptus sit æquitate utilitate quasi scribenda lex si esset », quintus « corruptus sit non rescindere utitur æquitate utilitate; « qua si scribenda lex sit quamquam tunc complectitur ». Grut. — Lambinus, quum ad libri quem possidebat Rancounetus, oram adscripta legisset hæc: « qui judicia accusatoremve corruperit », ita legendum putabat: « quod si scripta lex sic esset: *qui judicium accusatoremve corruperit*, quæcumque tamen complecteretur judicii corrupti nomine, ea verbo uno, etc. » At in lege, quam Cicero innuit, scriptum esse oportuit: *qui prævaricatus fuerit.* Agitur enim de definitione prævaricationis. Mihi vero totus locus ita constituendus videtur: « In qua, etiamsi propius accedat ad consuetudinem mentemque sermonis defensoris definitio, tamen accusator sententia legis nitetur, ut illa late quasi scripta esse et quamque vim in judiciis corruptis verbo uno prævaricationis comprehendisse dicatur: nitetur æquitate; negabit enim probari oportere (i. e. æquum esse) eos, qui leges scripserint, ratum habere judicium, si totum corruptum sit, si unus accusator corruptus sit, rescindere; defensor autem, etc. » Sch. — Ceterum locus J. V. L. integer videtur.

6. *Testabitur.* Sic scripsi pro vulg. *testatur*: nam sequitur *reperiet*. Ern.

7. *Prævaricatoris.* Sic MS E. bene, nam opponitur *accusatori*: vulgo *prævaricationis*. Ern.

8. *Quod ea litera de acc. soleat d. j.* Int. verbum: sic dicitur, quia, qui scriptum sequitur, dicitur *literam* sequi. Sic infra, cap. 39, conjunguntur « verbum et litera ». Strebæus accipit de tabella quæ judici datur: sed fluctuat; estque durior interpretatio: cui et pronomen *ea repugnat*. Ern. — Schützius contra Strebæi conj. probat, et quum hac in tabella, quæ datur judicibus, inscripta esset litera *P*, quæ prævaricationem notaret, credit fortasse Ciceronem scripsisse: « quod P litera de acc. » — Pro *soleat* Ern. scribit *solet*, quia et post est *significat*.

9. *Varie.* Schützius dat *vare.* Sic, inquit, recte Gesnerus emendavit in Thes. L. L. V. Prævaricatio, ut « vare sit positus » is, qui varis pedibus et nimium divaricatis in utraque causa stare videatur. Sic Ulpian. in L. 1, D. de prævaricat. « prævaricator est quasi varicator ». *Vare* J. V. L. probat.

Sed huic tamen ipsi confugiendum est ad æquitatis locos, ad rerum judicatarum auctoritatem, ad finem aliquem [10] periculi : communeque sit hoc præceptum, ut, quum uterque definierit, quam maxime potuerit, ad communem[11] sensum vimque verbi, tum similibus, exemplisque eorum, qui ita loquuti sunt [12], suam definitionem sententiamque confirmet. Atque accusatori in hoc genere causarum locus ille communis, minime esse concedendum, ut is, qui de re confiteatur, verbi se interpretatione defendat : defensor autem et ea, quam proposui, æquitate nitatur, et, ea quum secum faciat, non re, sed depravatione verbi se urgeri queratur. Quo in genere percensere poterit plerosque inveniendi locos : nam et similibus utetur, et contrariis, et consequentibus; quamquam uterque, tamen reus, nisi plane erit absurda causa, frequentius. Amplificandi autem causa, quæ, aut quum digredientur a causa, dici solent, aut quum perorabunt, hæc vel ad odium, vel ad misericordiam, vel omnino ad animos judicum movendos ex iis, quæ sunt ante posita, sumentur, si modo rerum magnitudo, hominumve aut invidia, aut dignitas postulabit.

XXXVII. (xxxvii.) C. F. Habeo ista : nunc ea, quæ quum, quale sit quippiam, disceptatur, quæri ex utraque parte deceat, velim audire. — C. P. Confitentur in isto genere, qui arguuntur, se id fecisse ipsum, in quo reprehendantur [1] : sed, quoniam jure se fecisse dicunt, juris est omnis ratio nobis explicanda. Quod

10. *Ad finem al. per. Aliquem* abest a MS E. nec video quo pertineat. Ern. — Schützius corrigit « affinem aliquam periculi ».

11. *Ad communem sensum.* Schütz. « accommodate ad comm. s. » auctore Lambino.

12. *Qui ita loquuti sunt.* Edd. Med. Ald. etc. *item. Ita* verum est; qui verbum eo sensu dixere. Ern.

XXXVII. 1. *In quo reprehendantur.* Sic Ernest. priores, et ipse nuper Schütz. « se id fecisse ipsum, in quo reprehenduntur ».

dividitur in duas partes primas, naturam atque legem: et utriusque generis vis in divinum et humanum jus est distributa; quorum æquitatis est unum, alterum religionis. Æquitatis autem vis est duplex: cujus altera directi[2], et veri, et justi, et, ut dicitur, æqui et boni ratione defenditur; altera ad vicissitudinem referendæ gratiæ pertinet: quod in beneficio[3], gratia; in injuria, ultio[4] nominatur. Atque hæc communia sunt naturæ atque legis: sed propria legis et ea, quæ scripta sunt, et ea, quæ sine literis[5], aut gentium jure[6], aut majorum more, retinentur. Scriptorum autem privatum aliud est, publicum aliud: publicum, lex, senatusconsultum, fœdus; privatum, tabulæ, pactum conventum, stipulatio. Quæ autem scripta non sunt, ea aut consuetudine, aut conventis hominum, et quasi consensu obtinentur. Atque etiam hoc in primis, ut nostros mores legesque tueamur, quodam modo naturali jure præscriptum est. Et quoniam breviter aperti fontes sunt[7] quasi quidam æquitatis, meditata nobis ad hoc causarum genus esse debebunt ea, quæ dicenda erunt in orationibus, de natura, de legibus, de more majorum, de propulsanda injuria, de ulciscenda, de omni parte juris. Si imprudenter, aut necessitate, aut casu quippiam fecerit, quod non concederetur iis, qui sua sponte et voluntate fecissent: ad ejus facti deprecationem, ignoscendi petenda venia est; quæ sumetur ex plerisque locis æquitatis.

2. *Directi*. Scribendum aut *recti*, quod alibi vero et justo additur, aut *directe*: nam alterum genus, quod sequitur, non est directum, et ex ipsa notione æquitatis sumptum. Ern. — Schützius dat *directa* e MS Guelf.

3. *Quod in beneficio*. Debebat esse *quæ*: sed intelligi potest *genus*. Ern.

4. *Ultio nominatur*. MS E. habet *punitio*. Ern.

5. *Sine literis*. Id est, sine lege scripta. Ern.

6. *Aut gent. jure*. Ed. Venet. « aut naturæ jure ».

7. *Aperti fontes sunt*. Schütz. cum Guelf. « aperti sunt fontes ».

Expositum est, ut potui brevissime, de omni controversiarum genere : nisi præterea tu quid requiris.

XXXVIII. (XXXIII.) C. F. Illud equidem, quod jam unum restare video; quale sit, quum disceptatio versatur[1] in scriptis. — C. P. Recte intelligis : eo enim exposito, munus promissi[2] omne confecero. Sunt igitur ambigui duobus adversariis præcepta communia. Uterque enim hanc significationem, qua utetur ipse, dignam scriptoris prudentia esse defendet; uterque id, quod adversarius ex ambigue scripto intelligendum esse dicet, aut absurdum, aut inutile, aut iniquum, aut turpe esse defendet, aut etiam discrepare cum ceteris scriptis, vel aliorum, vel maxime, si poterit, ejusdem; quamque defendet ipse, eam rem et sententiam quemvis prudentem et justum hominem, si integrum daretur, scripturum fuisse, sed planius; eamque sententiam, quam significari posse dicet[3], nihil habere, aut captionis, aut vitii; contrariam autem si probarit, fore, ut multa vitia, stulta, iniqua, contraria consequantur. Quum autem aliud scriptor sensisse videtur, et aliud scripsisse : qui scripto nitetur, eum, re exposita, recitatione uti oportebit; deinde instare adversario, iterare, renovare, interrogare, num aut scriptum neget, aut contra factum infitietur. Post, judicem ad vim scripti vocet. Hac confirmatione usus, amplificet rem lege laudanda, audaciamque confutet ejus, qui quum palam contra fecerit, idque fateatur, adsit tamen, factumque defendat. Deinde infirmet defensionem, quum adver-

XXXVIII. 1. *Versatur.* Ed. Ven. *versetur.* Ern. — De re conf. Invent. II, 40-48.

2. *Munus promissi.* MS E. « quod promisi omne confecero » : vulgatum est exquisitius et elegantius. Ern.

3. *Posse dicet.* MS E. ed. Ven. *dicit,* non bene. Ern. — Idem Ernest. infra « contrarium autem » pro « contrariam autem ».

sarius aliud voluisse, aliud sensisse scriptorem, aliud scripsisse dicat[4]; non esse ferendum, a quoquam potius latoris sensum, quam a lege, explicari. Cur ita scripserit, si ita non senserit? Cur, quum ea, quæ plane scripta sint, neglexerit[5], quæ nusquam[6] scripta sint, proferat? Cur prudentissimos in scribendo viros, summæ stultitiæ putet esse damnandos? Quid impedierit scriptorem, quo minus exciperet illud, quod adversarius, tamquam si exceptum esset, ita dicit[7] se sequutum? Utetur exemplis iis, quibus idem scriptor, aut, si id non poterit, quibus alii, quod excipiendum putarint, exceperint. Quærenda etiam ratio est, si qua poterit inveniri, quare non sit exceptum: aut iniqua lex, aut inutilis futura dicetur, aut alia causa obtemperandi, alia abrogandi: dissentire adversarii vocem atque legis. Deinde amplificandi causa[8], de conservandis legibus, de periculo rerum publicarum atque privatarum, quum aliis locis, tum in perorando maxime graviter erit, vehementerque dicendum.

XXXIX. (XXXIX.) Ille autem, qui se sententia legis voluntateque defendet, in consilio atque in mente scriptoris, non in verbis ac literis vim legis positam esse defendet: quodque nihil exceperit in lege, laudabit, ne diverticula peccatis darentur, atque ut ex facto cujusque judex legis mentem interpretaretur. Deinde erit utendum exemplis, in quibus omnis æquitas perturbetur[1], si verbis legum, ac non sententiis

4. *Aliud scripsisse.* Hoc Sch. delet, ut glossema verborum « aliud voluisse », ex superioribus sumptum.

5. *Neglexerit.* Sic scribendum, non *neglexit*, et sic habent MSS nostri. Edd. Ven. Med. Junt. Ern.

6. *Nusquam.* Sic MS E. ed. Ven. vulgo, *quæ numquam scripta.* Ern.

7. *Dicit.* Scribe *dicat.* Ern.

8. *Amplificandi causa.* Conf. supra c. 35, et in primis Inv. II, 45. Wetz.

XXXIX. 1. *Perturbetur.* Sic pro *perturbaretur* dedimus e MS V. edd. Ven. Med. Junt. Nam alias post scri-

pareatur. Deinde genus ejusmodi calliditatis et calumniæ retrahatur[2] in odium judicis, cum quadam invidiosa querela. Et si incidet imprudentiæ causa, quæ non ad delictum, sed ad casum necessitatemve pertineat, quod genus paullo ante attigimus[3]: erit iisdem æquitatis sententiis contra acerbitatem verborum deprecandum.

Sin scripta inter se dissentient: tanta series artis est, et sic inter se sunt pleraque connexa et apta, ut, quæ paullo ante præcepta dedimus ambigui, quæque proxime sententiæ et scripti, eadem ad hoc genus causæ tertium transferantur[4]. Nam quibus locis in ambiguo defendimus eam significationem, quæ nos adjuvat, eisdem in contrariis legibus nostra lex defendenda est. Deinde est efficiendum, ut alterius scripti sententiam, alterius verba defendamus. Ita quæ modo de scripto sententiaque præcepta sunt, eadem huc omnia transferemus[5].

CONCLUSIO.

XL. (XL.) Expositæ sunt tibi omnes oratoriæ partitiones, quæ quidem e media illa nostra academia floruerunt[1]: neque sine ea aut inveniri, aut intelligi, aut tractari possunt. Nam et partiri ipsum, et definire, et ambigui partitiones[2] dividere, et argumen-

bendum esset *pareretur*. Etiam sine libris hoc vidi, et edidissem. ERN.

2. *Retrahatur*. Schützius cum Lambino *retrahetur*.

3. *Quod genus paullo ante attigimus*. Cap. 37. Cf. Inv. II, 31, 32.

4. *Transferantur*. Ed. Ven. *referantur*. ERN.

5. *Transferemus*. Ed. Ven. *transferimus*. Corrector fecit *transferamus*. In eadem additur: « superiorum epilogatio », nempe e margine MS. ERN.

XL. 1. *Floruerunt*. Aut *effloruerunt* scribendum, aut *floruerunt* sic intelligendum: sed illud melius puto. ERN. — Sch. scribit *effloruerunt* de conj. Mich. Bruti. Lamb. *fluxerunt*.

2. *Partitiones div*. Schützius corrigit *partes*. *Ambigui partes*, inquit, sunt quæ Orat. II, 26, « genera am-

torum locos nosse, et argumentationem ipsam concludere, et videre, quæ sumenda in argumentando sint, quidque ex iis, quæ sumpta sunt, efficiatur, et vera a falsis, verisimilia ab incredibilibus dijudicare, et distinguere, aut male[3] sumpta, aut male conclusa reprehendere, et eadem vel anguste disserere, ut dialectici qui appellantur, vel, ut oratorem decet, late exprimere[4] : illius exercitationis et subtiliter disputandi, et copiose dicendi [artis[5]] est. De bonis vero rebus et malis, æquis, iniquis, utilibus, inutilibus, honestis, turpibus, quam potest habere orator, sine illis maximarum rerum artibus, facultatem, aut copiam? Quare hæc tibi sint, mi Cicero, quæ exposui, quasi indicia fontium illorum : ad quos si nobis eisdem ducibus aliisve perveneris, tum et hæc ipsa melius, et multo majora alia cognosces. — C. F. Ego vero, ac magno quidem studio, mi pater; multisque ex tuis præclarissimis muneribus nullum majus exspecto.

bigui » dicuntur. Quam correctionem J. V. L. probavit.

3. *Aut male s.* Schützius cum Guelf. et Kob. « et aut male ».

4. *Exprimere.* Guelf. *expromere.* Fortasse verius *exponere.* Sch.

5. *Dicendi artis. Artis* spurium puto : nam « copiose dicendi » ita ad exercitationem refertur, ut « subtiliter disserendi », quia per *et* conjunguntur : « et s. disserendi, et copiose dicendi ». — Sch. *artis* omnino delevit.

M. T. CICERONIS
DE OPTIMO GENERE
ORATORUM

ARGUMENTUM

E SCHUTZII EDITIONE DESUMPTUM.

Hunc libellum Cicero præfationis loco præmisit conversis a se de græco in latinum Æschinis in Ctesiphontem et Demosthenis pro Ctesiphonte orationibus contrariis. In quo, motus fortasse reprehensione quorumdam, qui dicendi ejus genus ut Asianum et redundans incessebant (Quintil. XII, 10, coll. cum cap. 4 hujus libelli), unum tantum esse genus perfecti oratoris docet; optimum nimirum esse, qui dicendo animos auditorum doceat, delectet, permoveat; hunc autem esse, oratorem vere Atticum, qui non in tenui solum genere elaboret, sed qui parva submisse, magna graviter et ornate dicere possit; Atticique oratoris perfectissimum exemplar esse Demosthenem, quod ut facilius a Romanis intelligeretur, se laborem duas istas Æschinis ac Demosthenis orationes convertendi suscepisse, cap. 1-6. Deinde causam Ctesiphontis in judicium deductam, in qua ista summorum Græciæ oratorum contentio versata est, exponit cap. 7.

M. T. CICERONIS

DE OPTIMO GENERE

ORATORUM.

I. (1.) Oratorum genera esse dicuntur, tamquam poetarum: id secus est; nam alterum est multiplex. Poematis enim tragici, comici, epici, melici etiam ac dithyrambici, quod magis est tractatum a[1] Latinis, suum quodvis est diversum a reliquis[2]. Itaque et in tragœdia comicum vitiosum est, et in comœdia turpe tragicum; et in ceteris suus est cuique sonus[3], et quædam intelligentibus nota vox. Oratorum autem si

I. 1. *Quod magis est tractatum a Latinis.* Fortasse, « quod magis est tractatum a Græcis, quam a Latinis ». Muret. — Miror Ciceronem scripsisse dithyrambicum poema magis tractatum fuisse a Latinis, quum constet neminem umquam Latinorum carmen dithyrambicum composuisse. Itaque placeret, si hic locus ita legeretur, ut ex MSS libri corrupta scriptura amicus meus, homo doctissimus, emendavit: « Poematis enim, tragici, comici, epici, melici, dithyrambici etiam ac iambici, quod magis est tractatum a Latinis ». Ursin. — Memini, quum Romæ essem, hunc locum sic a Romulo Amasæo restitui: « quod minus est tractatum a Latinis ». Nam revera dithyrambicum poema nemo umquam Latinus scripsit, ut ille dicebat. Lamb. — Forte magis arrideat interpretatio Turnebi, Advers. lib. I, cap. 4, corrigentis *quo*, et putantis hæc verba non ad dithyrambicum, sed universim ad poematum genus referenda esse. Prustæus. — Sed nec sic quidem, inquit Ernest. commodus sensus est. Mihi totum spurium et scholion esse videtur; et *quo magis* nihil habet quod ei respondeat. Si genuinum esset, scribendum esset *quod minus*. Schützius omnino hæc verba delevit.

2. *A reliquis. Itaque.* Lallem. *a reliquis genus. Itaque.*

3. *Suus est cuique sonus.* Sic bene MS V. pro vulgato *cujusque certus sonus*: nam *certus* est in *suus*: cujusque tamen ferri posset. Ernest. — *Sonus* in hoc genere verbum Ciceroni usurpatum in Bruto, cap. 26, ubi de Fannii oratione quadam sic dicit: « Sed nec ejusmodi est, ut a pluribus confusa videatur: unus enim sonus est totius orationis, et idem stylus ». Strab.

quis ita numerat plura genera[4], ut alios grandes, aut graves, aut copiosos, alios tenues, aut subtiles, aut breves, alios eis interjectos, et tamquam medios putet: de hominibus[5] dicet aliquid, de re parum[6]. In re enim, quod optimum sit, quæritur; in homine dicitur, quod est. Itaque licet dicere et Ennium, summum epicum poetam, si cui ita videtur; et Pacuvium tragicum; et Cæcilium fortasse comicum. Oratorem genere non divido[7]: perfectum enim quæro. Unum est autem genus perfecti, a quo qui absunt, non genere differunt, ut ab Attio Terentius; sed in eodem non sunt pares. Optimus est enim orator, qui dicendo animos audientium et docet, et delectat, et permovet. Docere, debitum est; delectare, honorarium[8]; permovere, necessarium. Hæc ut alius melius, quam alius, concedendum est; verum id fit non genere, sed gradu. Optimum quidem unum est; et proximum, quod ei simillimum: ex quo perspicuum est, quod optimo dissimillimum sit, id esse deterrimum.

4. *Ita numerat plura genera. Plura* abest a MS V. quod placet. Videtur et *numeret* scrib. quia sequitur *dicet* aut *dicit*. Ern. — Schützius delevit *plura*.

5. *De hominibus*. I. e. dicit aliquid de hominibus, quorum aliis alius est dicendi character: pauca dicet de ipsa eloquentia, cujus idea perfectissima quæritur. Paust.

6. *De re parum*. MS V. addit *ipsa*. Ern. — *Ennium* nat. ann. Urb. 514, mort. 583. Brut. 18-20. — *Pacuvium* Ennii ex sorore nepotem, quem sui admiratores Romanum Euripidem prædicare solebant. Horat. Ep. II, 1, 56. De eo adi Quint. X, 1. — Cæcilium Statium, Pacuvii æqualem (Cic. Brut. 74), a. 584 mortuum. Cui Vulcatius apud Gellium, XV, 24, palmam dat comico, quique, ut Varro apud Nonium judicat, in argumento poscit palmam. — Terentius, cujus septem supersunt comœdiæ, Menandri imitator, diversus genere ab Attio nat. a. 582, poeta tragico (Orat. III, 7), quem hujus admiratores comparare solebant cum Sophocle. Horat. Ep. II, 1, 56. Wetz.

7. *Oratorem genere non divido*. Oratoris munus est docere, delectare, permovere: quo siquis non fungatur, inter oratores non numerabitur. Ut autem id alius alio melius præstet, non genere ipso, sed gradu distabit a ceteris. Poetæ differunt a genere: qui enim in arte grammatica excellit, si minime sit epopœiæ peritus, is ab epicorum poetarum genere exclusus locum inter comicos tenebit. Paust.

8. *Delectare, honorarium*. Sic Orat.

II. (II). Nam quoniam eloquentia constat ex verbis et sententiis, perficiendum est, ut pure et emendate loquentes, quod est latine, verborum præterea, et propriorum, et translatorum elegantiam persequamur: in propriis, ut aptissima eligamus; in translatis, ut similitudinem sequuti, verecunde utamur alienis. Sententiarum autem totidem genera sunt, quot diximus esse laudum: sunt enim docendi, acutæ; delectandi, quasi argutæ; commovendi, graves. Sed et verborum est structura quædam, duas res efficiens, numerum, et lenitatem[1]; et sententiæ suam compositionem habent, et ad probandam rem accommodatum ordinem: sed earum omnium rerum, ut ædificiorum, memoria est quasi fundamentum, lumen actio. Ea igitur omnia in quo summa, erit orator peritissimus[2]; in quo media, mediocris; in quo minima, deterrimus. Et appellabuntur omnes oratores, ut pictores appellantur etiam mali; nec generibus inter sese, sed facultatibus different. Itaque nemo est orator, qui se Demosthenis similem esse nolit: at Menander, Homeri noluit; genus enim erat aliud. Id non est in oratoribus: aut si est, ut alius gravitatem sequens, subtilitatem fugiat; contra, alius acutiorem se, quam ornatiorem velit: etiamsi est in genere tolerabili, certe non est in optimo; siquidem, quod omnes laudes habet, id est optimum.

III. (III.) Hæc dixi brevius equidem, quam res petebat; sed ad id, quod agimus, non fuit dicendum pluribus. Unum enim quum sit genus, id quale sit,

cap. 21: «Probare, necessitatis est; delectare, suavitatis; flectere, victoriæ».

II. 1. *Lenitatem*. Sch. cum Lamb. *lævitatem*.

2. *Erit orator peritissimus*. Fortasse addendum *is*. MS V. ed. Med. Ven. *peritissimus orator*. Ernest. — Lambin. dedit *præstantissimus*. Ruhnkenius ad Rutil. Lup. p. 200, conjicit *perfectissimus*, quod Schütz. in textum intulit.

quærimus. Est autem tale, quale floruit Athenis : ex quo Atticorum oratorum ipsa vis ignota est, nota gloria. Nam alterum multi viderunt, vitiosi nihil apud eos; alterum pauci, laudabilia esse multa. Est enim vitiosum in sententia, si quid absurdum, aut alienum, aut non acutum, aut subinsulsum est; in verbis, si inquinatum, si abjectum, si non aptum, si durum, si longe petitum. Hæc vitaverunt fere omnes, qui aut Attici numerantur, aut dicunt attice. Sed quatenus valuerunt [1], sani dumtaxat et sicci [2] habentur, sed ita, ut palæstrice spatiari in xysto [3] iis liceat, non ab Olympiis coronam petant. Qui quum [4] careant omni vitio, non sunt contenti quasi bona valitudine, sed vires, lacertos, sanguinem quærunt, quamdam etiam suavitatem coloris : eos imitemur, si possumus; sin minus, illos potius, qui incorrupta sanitate sunt (quod est proprium Atticorum), quam eos, quorum vitiosa abundantia est, quales Asia multos tulit. Quod quum faciemus (si modo id ipsum assequemur; est enim permagnum), imitemur, si poterimus, Lysiam [5], et ejus quidem tenuitatem potissimum : est enim mul-

III. 1. *Sed quatenus valuerunt, sani dumtaxat,* etc. Edendum curavi *sed qui hactenus val.* libris omnibus reclamantibus, sententia ipsa et ratione postulante. Hoc enim sentit Cic. « Qui hactenus valuerunt, ut vitia vitarent, sani dumtaxat et sicci habeantur, et liceat illis palæstrice in xysto spatiari; non autem coronam ab Olympiis petant »; id est, non habeantur in principibus oratoribus, neque perfectæ eloquentiæ laudem ferant. LAMB. — Lallem. cum Gulielmio « sed qui eatenus valuerunt, sani dumtaxat, etc. » quod Grut. placebat.

2. *Sani dumtaxat et sicci.* Sic ed. Venet. Med. bene, pro « sani et sicci dumtaxat ». ERN. — Conf. omnino de eloquentia Attica Brut. 84.

3. *Sed ita, ut palæstrice spatiari in xysto.* Accedere aveam ad Paschalii conjecturam, lib. de Coronis, *palæstritæ* GRUT.

4. *Qui quum careant.* Refertur ad illos oratores Atticos, de quibus dixit : sed vitium inest verbis. Correxi *quamvis* pro *quum* ex ed. Ven. *Ita* tamen utrumque intelligi potest, Sed in illa editione est « qui quomodo et quamvis c. » In quo quid lateat nescio. ERNEST. — Quem Schütz. sequutus est.

5. *Lysiam.* De quo vid. Brut. c. 9.

tis in locis grandior; sed quia et privatas ille plerasque, et eas ipsas aliis, et parvarum rerum causulas scripsit, videtur esse jejunior, quoniam se ipse consulto ad minutarum genera causarum limaverit.

IV. (IV.) Quod qui ita faciet, ut, si cupiat uberior esse, non possit, habeatur sane orator, sed de minoribus : magno autem oratori etiam illo modo sæpe dicendum est in tali genere causarum. Ita fit, ut Demosthenes certe possit summisse dicere; elate Lysias fortasse non possit. Sed si eodem modo putant, exercitu in foro et in omnibus templis, quæ circum forum sunt, collocato, dici pro Milone decuisse, ut si de re privata ad unum judicem diceremus; vim eloquentiæ sua facultate, non rei natura, metiuntur. Quare quoniam nonnullorum sermo jam increbruit, partim se ipsos attice dicere, partim neminem nostrum dicere : alteros negligamus; satis enim his res ipsa respondet, quum aut non adhibeantur ad causas, aut adhibiti derideantur : nam si arriderentur[1], esset id ipsum Atticorum. Sed qui dici a nobis attico more nolunt, ipsi autem, se non oratores esse[2], profitentur; si teretes aures habent, intelligensque judicium, tamquam ad picturam probandam, adhibentur[3] etiam inscii faciendi, cum aliqua solertia judicandi : sin autem intelligentiam ponunt in audiendi fastidio, neque eos quidquam excelsum magnificumque delectat; dicant, se subtile quiddam et politum velle, grave ornatum-

IV. 1. *Arriderentur*. Sic pro *arrideantur* edidimus : nam sequitur *esset*. MS V. habet *si ridentur*, quod est e *riderentur* per compendium scripto, et addit idem *etiam*. Ern. — Quem Schutz. sequitur.

2. *Se non oratores esse, prof*. Deleverim *esse*. Non dicimus : « profiteor me oratorem esse », sed « profiteor me oratorem », nisi quis malit scribere *confitentur*. Ern.

3. *Adhibeantur*. Sic scribendum est, non *adhibentur*. Sic in sequente, quod est huic contrarium, est *dicant*. Et foret primum *si teretes*, etc. ἀναχόλουθον. Ern. — Quem Schutz. sequitur.

que contemnere : id vero desinant dicere, qui subtiliter dicant[4], eos solos attice dicere, id est, quasi sicce et integre[5]. At ample, et ornate, et copiose, cum eadem integritate, Atticorum est. Quid? dubium est, utrum orationem nostram tolerabilem tantum, an etiam admirabilem esse cupiamus? Non enim jam quærimus, quid sit attice, sed quid sit optime dicere. Ex quo intelligitur, quoniam Græcorum oratorum præstantissimi sunt ii, qui fuerunt Athenis; eorum autem princeps facile Demosthenes[6] : hunc si quis imitetur, eum et attice dicturum, et optime : ut, quoniam Attici nobis propositi sunt ad imitandum, bene dicere, id sit attice dicere.

V. (v.) Sed quum in eo magnus error esset, quale esset id dicendi genus : putavi mihi suscipiendum laborem, utilem studiosis, mihi quidem ipsi non necessarium. Converti enim ex Atticis duorum eloquentissimorum nobilissimas orationes inter se contrarias, Æschinis Demosthenisque; nec converti, ut interpres, sed ut orator, sententiis iisdem, et earum formis, tamquam figuris, verbis ad nostram consuetudinem aptis : in quibus non verbum pro verbo[1] necesse ha-

4. *Qui subtiliter dicant.* Sic, non *qui subtiliter dicunt*, et sic est in MS V. Ern.

5. *Quasi sicce et integre. At ample.* Sic Schützius. Ernest. virgulam ponit ante *at ample.* Sic dedi, inquit, e MS, edd. Med. Ald. Junt. nam *integre* huc pertinet : in altero membro est « cum eadem integritate » scil. qua illi superiores; tum vero *at ample :* transpositæ fuere particulæ *et* et *at.* Ita arbitror locum esse bene constitutum, qui in libris valde vitiatus est. Ern. — Victorius : « quasi sicce et integre: et ample ». Grut. « quasi sicce. At integre, et ample, etc. » Feder. autem Morellus ita legit, et interpungit : « eos solos Attice dicere. Idcirco si sicce et integre, et ample ». Lallem. post Lamb. « Idcirco si sicce et integre, at si ample ».

6. *Princeps facile Demosthenes.* Cf. Orat. cap. 7 sqq.

V. 1. *Non verbum pro verbo.* Lambinus expunxit *pro*, non necessario : Sic Terentius Eunucho : « Par pro pari referto, quod eam mordeat ». Gaut. — Hunc nostri locum laudavere *Rollin*, *Traité des Études*, lib. I, cap. 2, art. 3; *Batteux*, *de la Construction*

bui reddere, sed genus omnium verborum vimque servavi. Non enim ea me annumerare lectori putavi oportere, sed tamquam appendere. Hic labor meus hoc[2] assequetur, ut nostri homines, quid ab illis exigant, qui se atticos volunt, et ad quam eos quasi formulam dicendi revocent, intelligant.

Sed exorietur Thucydides[3]: ejus enim quidam eloquentiam admirantur. Id quidem recte; sed nihil ad eum oratorem, quem quærimus. Aliud est enim explicare res gestas narrando, aliud argumentando criminari, crimenve dissolvere; aliud narratione tenere auditorem, aliud concitare. At loquitur pulchre. Num melius, quam Plato? Necesse tamen est oratori, quem quærimus, controversias explicare forenses dicendi genere apto ad docendum, ad delectandum, ad permovendum.

VI. (VI.) Quare si quis erit, qui Thucydidio[1] genere causas in foro dicturum se esse profiteatur, is ab-

oratoire, Part. III, cap. 5, et ii omnes qui de vertendi præceptis scripserunt. Iisdem fere verbis ac noster usus est Horatius in Art. Poet. vers. 133: « Nec verbum verbo curabis reddere fidus Interpres ».

2. *Hic labor meus hoc assequetur, ut nostri homines. Hoc* abest ab ed. Lallem.

3. *Sed exorietur Thucydides: ejus enim quidam eloq. admirantur.* Hoc nobis maximum argumentum est opus istud a Cicerone in juventute non scriptum esse, ut quidam contenderunt, quod hic Noster invehitur in eos qui Thucydidium genus affectarent. Etenim in opere superiori, quod scriptum fuit anno 707, ait cap. 9 de his atticismi sectatoribus: « Novum quoddam imperitorum et inauditum genus », quo verbo *inauditum* non designare potuisset doctrinam jam a pluribus annis florentem. Restat Manutii conjectura putantis præfationem hanc a Cicerone in senectute appositam fuisse operi, quod in juventute composuerat: sed nullo hæc conjectura nititur argumento. Quid enim repugnat quin arbitremur Ciceronem, jam ad umbratilia studia, imperante Cæsare, foro senatuque tacente, deductum, ut Platonis Timæum, sic atticæ eloquentiæ pulcherrima specimina in latinam linguam vertisse? — De Thucydidis eloquentia in orationibus historiæ insertis conspicua, adi Brutum, cap. 83. Wetz.

VI. 1. *Thucydidio genere causas.* Ed. Mediol. « Thucydidis genere causas ». Ern.

horreat[2] etiam a suspicione[3] ejus, quæ[4] versatur in re civili[5] et forensi : qui Thucydidem laudavit[6], suæ nostram adscribat sententiam[7]. Quin ipsum Isocratem, quem divinus auctor Plato, suum fere æqualem, admirabiliter in Phædro[8] laudari fecit a Socrate, quemque omnes docti summum oratorem esse dixerunt, tamen hunc in numero[9] non repono. Non enim in acie versatur, et ferro[10]; quasi rudibus ejus eludit[11] oratio. A me autem (ut cum maximis minima conferam) gladiatorum par nobilissimum inducitur. Æschines[12], tamquam Æserninus[13], ut ait Lucilius,

2. *Is abhorreat.* Schützius corrigit *abhorrebit*, sensu, ut ait, postulante.

3. *A suspicione.* Ed. Med. « a sumptione et suspicione ». Ern.

4. *Quæ versatur.* Scribe *quod* : refertur enim ad *genus*. Ern. — Et sic Schütz. fecit.

5. *In re civili.* Ed. Med. « in jure civili ». Male. Ern.

6. *Qui Thuc. laudavit.* Scribendum aut *laudavit* cum Lambino, quod et placet Grutero, aut *laudarit*. Ern. — Schütz. Lambinum sequutus est.

7. *Suæ nostram adscribat sentent.* Sic Ernest. dedit ex ed. Med. Vulgo, « adscribat suæ nostram sent. »

8. *In Phædro.* Vide etiam Orat. cap. 13. Plato, si fides sit Diog. Laert. major erat Isocrate sex annis : nam natus erat Isocrates sub archonte Lysimacho, Plato autem sub archonte Aminia, quo anno Pericles obiit.

9. *Hunc in numero.* Lamb. « hunc hoc in numero », minus recte : nam et Plaut. in Menæchmis : « extra numerum es mihi » : et in Curcul. « salve extra pretium tertia ». Lucretii item est : « extra numerum procedere », lib. IV. Gul. — Gulielmius corrigebat *hoc in num.* speciose. Ern.

10. *Et ferro.* Hoc non aptum verbo *versatur*. MS V. habet *foro*, quod non displicet omnino : sed tamen non solet sic proprium hoc addi in allegoria. Putem excidisse *pugnat*. Schützius dat *versatur ferro* ex emendatione Purgoldi.

11. *Eludit.* Est pro *ludit*, cui contrarium est *pugnat ferro*. Ernest. — Schütz. corrigit *ludit*, dicitque *eludit* h. l. aptum non esse, quod dicitur de gladiatoribus, quum adversariorum ictus arte quadam devitant.

12. *Æschines, tamquam.* Schütz. inserit « verba Æschines enim cum Demosthene, tamq. » quia alias ita sonarent verba, ac si Demosthenes cum Pacidiano compararetur.

13. *Æschines, tamquam Æserninus, ut ait Lucilius*, etc. Hic Æserninus fuit Samnis, id est, gladiator, et compositus cum præstantissimo gladiatore Placidiano, seu Pacidiano, quem commemorat Horat. Sat. II, 7, 96. Proferuntur autem hi versus a Nonio Marcello et Lucilio, cap. 4, *in Spatium* : « Æserninu' fluit flacco ore : Samnis spurcus homo, vita illa dignu' locoque, Cum Placidiano componitur? optimu' longe Post homines

...... Non spurcus homo, sed doctus et acer,
Cum Pacideiano [14] huic componitur, optimu' longe
Post homines natos [15] ......

Nihil enim illo oratore [16] arbitror cogitari posse divinius.

Huic labori nostro duo genera reprehensorum opponuntur. Unum hoc : verum melius Græci. A quo quæratur, ecquid possint ipsi melius latine? Alterum : Quid istas potius legam, quam græcas [17]? Iidem Andriam et Synephebos ; nec minus Terentium et Cæcilium, quam Menandrum legunt [18]. Nec Andromacham igitur, aut Antiopam, aut Epigonos latinos recipiant. Sed tamen Ennium et Pacuvium et Attium potius, quam Euripidem et Sophoclem legunt. Quod igitur est eorum in orationibus e græco conversis fastidium, nullum quum sit in versibus?

VII. (VII.) Sed aggrediamur jam, quod suscepimus, si prius exposuerimus, quæ causa in judicium de-

natos gladiator qui fuit unus? » Vide Tusc. I, 24, et ad Quint. Fratr. III, 4. LAMB.

14. *Pacideiano*. Schütz. Ern. *Pacidiano*.

15. *Post homines natos*. Schützius addidit finem versus : « gladiator qui fuit unus ».

16. *Nihil enim illo oratore*, etc. An ergo solo Æschine? immo hoc potius de Demosthene dixerit. Nempe *par gladiatorum*, quod inducit Cicero, est Æschines et Demosthenes, utriusque oratione de Corona latine facta. Excidisse videatur nomen Demosthenis : « Æschines..... natos : et Demosthenes ». Sed Demosthenes indicatur nomine *Pacidiani*. Videtur legendum *illo pari*. ERN.

17. *Quam græcas? Iidem Andriam* ... *recipiant*. Sic est apud Victorium, Manutium et Gruterum. Ernest. vellet *at iidem And.* et *rejiciunt* pro *recipiant*, in quo ed. Med. habet *recipiunt;* vulg. enim male coire cum præcedentibus. Schützius sic cum Lamb. locum constituit : « quam græcas? Nec Andromacham igitur, aut Antiopam, aut Epigonos latinos recipiant. Sed tamen Ennium et Pacuvium, et Attium potius, quam Euripidem et Sophoclem legunt. Iidem Andriam et Synephebos, nec minus Terentium et Cæcilium quam Menandrum legunt. Quod ig. »

18. *Iidem* ... *legunt*. Eodem modo Fin. I, 2, Cicero refutat eos qui sibi exprobrabant quod Græcorum philosophorum opera in latinam linguam transferret.—*Andria*, Terentii comœdia superstes; *Synephebi*, comœdia

ducta sit. Quum esset lex Athenis, « ne quis populi scitum faceret, ut quisquam corona donaretur in magistratu[1] prius, quam rationes retulisset »; et altera lex, « eos, qui a populo donarentur, in concione donari debere; qui a senatu[2], in senatu » : Demosthenes curator muris reficiendis fuit, eosque refecit pecunia sua; de hoc igitur Ctesiphon scitum fecit, nullis ab ipso rationibus relatis, ut corona aurea donaretur, eaque donatio fieret in theatro, populo convocato (qui locus non est concionis legitimæ), atque ita prædicaretur, EUM DONARI VIRTUTIS ERGO BENIVOLENTIÆQUE, QUAM ERGA POPULUM ATHENIENSEM HABERET. Hunc igitur Ctesiphontem in judicium adduxit Æschines, quod contra leges scripsisset, ut et rationibus non relatis corona donaretur, et ut in theatro, et quod de virtute ejus et benivolentia falsa scripsisset;

Cæcilii deperdita : in quibus uterque Menandrum imitatus est, aut potius vertit. — *Andromache*, Euripidis tragœdia superstes. *Antiopa*, ejusdem deperdita, cujus fragmenta exstant in ed. Beck. tom. II, pag. 424-28; *Epigoni*, Sophoclis tragœdia deperdita, cujus fragmenta exstant in ed. Brunckii, vol. III, pag. 612-13. Quas in latinum transtulerant Ennius, Pacuvius et Attius. WETZ.

VII. 1. *In magistratu.* Si genuinum est, intelligitur munus publicum quodlibet, et curatio publica, qualis est h. l. curatio ludorum, murorum ædificandorum. Sed mihi est suspectum. ERN.

2. *Qui a senatu, in senatu : Dem.* Vulgò : « quia in senatu. Demosthen. » Quam labem omnibus in editionibus inveterasse hactenus eo mirere magis quod anno jam 1596 Federicus Morellus malo remedium attulerat, data in lucem hac opella, cum insigni, ut ipse inscripsit, emendatione loci hactenus deplorati. Qui locus hic ipse est, in quo nunc versamur. Atque ita quidem Muretum emendasse, testis est liber a me olim inspectus Romæ, de quo in præfatione admonui. Quid, quod eamdem Petrus Faber, uti ex conjectura sibi oblatam emendationem proponit in commentario ad Ciceronis Lucullum, cap. 4. Quis igitur hanc lectionem primus conjiciendo divinaverit incertum est : sed negligere illam neque debuerant critici posteriores, nisi forte ignorabant, neque ego volui. Duces hic sane quatuor meos omitto : at fidem illis eatenus obligavi, ut fas mihi esset aliquando ab eorum recedere consensu, hoc est, ubi non posset videri dubium, quin a Cicerone ipsi recederent. Esse autem ab illius manu quod edendum curavi, ambiget nemo, qui Atticarum in legum collectione, tit. VI, num. 3, *De præmiis*

quoniam Demosthenes nec vir bonus esset, nec bene meritus de civitate. Causa ipsa abhorret illa quidem a formula consuetudinis nostræ; sed est magna. Habet enim et legum interpretationem satis acutam in utramque partem, et meritorum in rempublicam contentionem sane gravem. Itaque causa Æschini[3], quoniam ipse a Demosthene esset capitis accusatus, quod legationem ementitus esset, ut ulciscendi inimici causa, nomine Ctesiphontis, judicium fieret de factis famaque Demosthenis. Non enim tam multa dixit de rationibus non relatis, quam de eo, quod civis improbus, ut optimus, laudatus esset[4].

Hanc multam Æschines a Ctesiphonte petiit quadriennio ante Philippi Macedonis mortem; sed judicium factum est aliquot annis post, Alexandro jam Asiam tenente : ad quod judicium concursus dicitur e tota Græcia factus esse. Quid enim aut tam visendum, aut audiendum fuit, quam summorum oratorum in gravissima causa, accurata et inimicitiis incensa contentio?

Quorum ego orationes si, ut spero, ita expressero, virtutibus utens illorum omnibus, id est, sententiis, et earum figuris, et rerum ordine, verba persequens eatenus, ut ea non abhorreant a more nostro (quæ si e græcis omnia conversa non erunt, tamen ut generis

bene de rep. meritorum, eam viderit legem, quam hic Tullius respexit, et latine sic reddidit, ut prope verbo verbum : ἐὰν μέν τινα ὁ δῆμος ὁ Ἀθηναίων στεφανοῖ, ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ τὸν στέφανον ἀναγορεύεσθαι. Ἐὰν δὲ ἡ βουλὴ, ἐν τῷ βουλευτηρίῳ. OLIVET. — Hanc emendationem et Ernest. probavit, et Schütz. in textum intulit. Olim Lambinus correxerat « in sua tribu Demosthenes curator muris reficiendis fuit », quod Grutero placuerat.

3. *Itaque causa Æschini.* Lambin. « causa autem fuit accusandi Ctesiphontem Æschini, quoniam ipse a Demosthene ».

4. *Quod... laudatus esset.* De hac causa celebri vide Orat. cap. 28 ; de Orat. III, 56 ; Plin. Jun. Ep. II, 3 ; Val. Max. VIII, 10, 1.

ejusdem sint elaboravimus[5]): erit regula, ad quam eorum dirigantur orationes, qui attice volunt[6] dicere. Sed de nobis satis: aliquando enim Æschinem ipsum latine dicentem audiamus.

5. *Elaboravimus.* Sic recte vulgati, quia antecedit *conversa erunt*. Ergo male MS V. ed. Med. *elaborabimus*, quod Gulielmio placebat. Ern.

6. *Qui attice volunt dicere.* Ernestius, quem Schützius sequitur, corrigit *volent*, quod in MS V. nec improbat *velint*.

TABULA

RERUM

QUÆ IN HOC PRIMO VOLUMINE PRIMÆ PARTIS CICERONIS CONTINENTUR.

FINIS TOMI PRIMI PRIMÆ PARTIS.

Conditions de la Seconde Souscription.

La collection complète des *Classiques Latins* se compose de 150 gros volumes grand in-8 beau papier, imprimés par Didot, et entièrement publiés, à 4 fr. 50 c. le volume; total : 675 fr. au lieu de 1981 fr. 50 c., prix de la première souscription.

Les livraisons seront de 2 ou 4 volumes tous les dix jours, ou d'un plus grand nombre, au choix des souscripteurs. On versera, en souscrivant, 9 fr. imputables sur les deux derniers volumes. Pour les départements et l'étranger, chaque ballot de 10 volumes coûtera en sus pour l'emballage 50 c., et 75 c. pour 20 volumes; le port à la charge du souscripteur.

En prenant dès à présent livraison de toute la collection, les 150 volumes ne coûteront que 625 fr. y compris emballage et port pour la France; 330 fr. pour chaque moitié, et 170 fr. pour chaque quart de la collection.

Après les 25 premiers souscripteurs le prix sera porté à 6 fr. le volume.

Vu le petit nombre d'exemplaires on ne servira que les 50 premiers souscripteurs à la collection complète.

Quelques exemplaires des divers auteurs se vendent séparément au prix de :

vol.		fr.		fr.
1	Catulle,	6	au lieu de	16.
20	Cicéron,	100	—	365.
3	Claudien,	11	—	37.
1	Florus,	6	—	13.
3	Horace,	18	—	38.
1	Justin,	6	—	16.
3	Juvénal et Perse,	16	—	40.
2	Juvénal seul,	12	—	32.
3	Lucain,	16	—	38
3	Martial,	16	—	48
10	Ovide,	60	—	125.
1	Les Métamorphoses en grec,	6	—	16.
2	Phèdre,	12	—	37.
4	Plaute,	21	—	61.
13	Pline l'ancien,	65	—	186.
2	La zoologie avec notes de Cuvier,	12	—	30.
2	Pline le jeune,	10	—	25.

vol.		fr.		fr.
1	Properce,	8	au lieu de	16.
3	Quinte-Curce,	17	—	50.
7	Quintilien,	35	—	94.
10	Sénèque, phil. et trag.	50	—	140.
2	Silius Italicus,	10	—	32.
4	Stace,	20	—	61.
2	Suétone,	14	—	36.
3	Térence,	16	—	38.
1	Tibulle,	6	—	16.
13	Tite-Live,	65	—	163.
2	Val. Flaccus,	10	—	27.
3	Val. Maxime,	13	—	35.
1	Vell. Paterculus,	6	—	16.
8	Poetæ minores,	36	—	113.
4	César.			
1	Corn. Nepos,	Ne se vendront pas séparément.		
1	Salluste,			
6	Tacite,			
9	Virgile,			

SOUS PRESSE :

T. LUCRÈCE, servant de complément à la Collection.

2 VOLUMES, qui seront livrés aux souscripteurs à la collection complète, au prix des autres volumes.

N. B. Quelques volumes incomplets de la première souscription circulant dans le commerce, on ne garantit que les exemplaires revêtus de la présente couverture et provenant de la seconde souscription

Imprimerie de H. Fournier et comp., rue de Seine, 14.